Staats- und
Universitätsbibliothek
Bremen

Staats- und Universitätsbibliothek Bremen

Digitale Sammlungen

1760

Visual Library

Brem.c.65

Brem
c
65

Brem.
C. 65

BIBLIOTHECA
BREMENSIS
NOVA
HISTORICO-PHILOLOGICO-THEOLOGICA

CLASSIS PRIMAE
FASCICVLVS PRIMVS.

BREMAE & AMSTELODAMI
Sumptibus Bibliopolarum
G. W. RVMPII & H. VIEROOT.
MDCCLX.

VIRO

PERQVAM MAGNIFICO

VOLCHARDO MINDEMANN

JCTO EXCELLENTISSIMO,

REIPVBLICAE PATRIAE CONSVLI SENIORI,

ET

HOC TEMPORE QVAM MAXIME PRAESIDI,

VT

BIBLIOTHECAM HANC,

QVAE AB VRBE PATRIA BREMA NOMEN SVVM SORTITVR,

NOVAM,

AD

REIPVBLICAE LITTERARIAE COMMODVM

ET

SCIENTIARVM INCREMENTVM

CONDITAM, ET CONDENDAM,

TVEATVR,

FOVEAT,

ET

NOMEN SVVM, CEV IMAGINEM

PATRONI MVSARVM,

VTI IN BIBLIOTHECIS SAEPIVS

ASSOLET,

ANTE FORES EIVS

COLLOCARI PATIATVR,

PRIMVM HVNC FASCICVLVM

DICAT, CONSECRAT,

EIDEMQVE

FELICEM ET TRANQVILLAM

REIPVBLICAE ADMINISTRATIONEM

ET

QVAEVIS VERA ET SALVTARIA BONA,

VT ET

SENATVI POPVLOQVE

BREMENSI

ILLIBATAM LIBERTATIS

CONSERVATIONEM

A SVMMO PATRE LVMINVM

EX ANIMO VOVET

EIVS CONDITOR.

LECTORI BENEVOLO

S. & O.

NICOLAVS BARKEY

S. Theologiae Doctor in Eccleſia & Schola Bremenſi.

Inſtitutum colligendi & edendi Symbolas Literarias, præſertim Theologicas, Philoſophicas, Philologicas, Hiſtoricas Virorum Eruditorum, quæ lucem videant dignas, reipublicæ Literariæ adeo gratum fuit, ut vix quicquam benevolentius exceptum fuerit. Teſtes ſunt, ne plures extra Patriam cieam, BIBLIOTHECA BREMENSIS *Hiſtorico-Philologico-Theologica*, quam Duumviri Celeberrimi THEODORVS HASÆVS & FRIDERICVS ADOLPHVS LAMPIVS, ſupra laudem noſtram poſiti, condiderunt, uterque primum

mum, & poſt ſolus *Haſæus:* MVSEVM deinde BREMENSE, quod idem laudatus HASÆVS conſtruxit, adſciſcente ſibi in auxilium Celeb. N. NONNENIVM, Cognatum & Collegam in utroque munere exoptatiſſimum, per Dei gratiam adhuc in vivis ſuperſtitem: SYMBOLÆ denique LITERARIÆ, quas Celeb. Anteceſſor meus CONRADVS IKENIVS, Vir mea laude major, ad incrementum eruditionis collegit. Succeſſor Viro huic Praeſtantiſſimo in utroque munere, divino numine, datus, ſicuti in officiis publicis, ita in collectione Symbolarum Literariarum veſtigia ejus legere actutum decrevi. Hortabantur & excitabant me Belgio valedicentem hanc in rem Amici amœniſſimæ hujus regionis quam plurimi, &

inter

inter eos Viri Literatiſſimi. Me autem Bremam, dulciſſimam Patriam, deportato, rebar propoſitum meum in ſpongiam incubuiſſe. Accidit enim, ut prodiret, cura Virorum Doctiſſimorum, admodum Reverendi CONRADI, & Clariſſimi itidem CONRADI IKENIORVM, *Illius* in Eccleſiaſtico, *Hujus* in munere Profeſſorio, Collegarum æſtimatiſſimorum, *Continuatio Symbolarum* memoratarum, ab *Illius* Avunculo & *Hujus* Venerando Parente inchoatarum. Protinus ex animo abjeci omne ſtudium propoſitum meum urgendi, incongruum eſſe exiſtimans, Viros hos interpellare, vel moliri aliquid, quod primi occupantis, vel etiam hæreditario jure ipſis proprium videri poſſet: quin quicquid Amici ad me ab-

legaturi essent, Viris his laudatis, ut evulgarent, tradere mecum constitueram. Revivisebat autem propositi jam abjecta cura, cum anno & quod excurrebat exacto deprehenderim, *Ikenios* meos laborem hunc, difficilem se ad hoc opus præbente Bibliopola Halensi, intermisisse, & ex illis perceperim, se opera & auxilio Bibliopolarum destitutos esse. Et ipse hoc tempore curam meam ad editionem symbolarum dirigens, haud facile esse expertus fui, Bibliopolas, ut opus edant Latio sermone conscriptum, adhortari; monentes, emptores & lectores hujusmodi scriptorum indies imminui, eorumque majorem accrescere numerum, qui magis amant & excolunt Germanicum idioma, & quorum ad palatum magis sunt

alius

alius in dolis ſcripta. Tandem autem inveni in ipſa urbe noſtra Bibliopolam ad promovendum hoc Inſtitutum facilem, virum honeſtiſſimum *G. W. Rump*, qui, ſi modo Bibliopolarum aliquis in Belgio ſocias ſibi daret manus, operam ſuam mihi addixit. Tardaverunt ſequentibus annis inquiſitionem hanc belli motus, qui Patriæ quoque tranquillitatem turbabant, & languescentes utcunque reddiderunt Muſas. Poſtquam autem lux paulo ſerenior urbi affulſerat, facilem ſe Rumpio præbuit Vir itidem honeſtiſſimus *H. Vieroot*, Bibliopola Amſtelodamenſis, quorum juncta opera & auxilio tandem Bibliothecæ hujus condendæ hoc ipſo Faſciculo primordia ceperunt. Ad modum Bibliothecæ *Haſæo-Lampianæ*, à qua

nomen ſuum ſortitur, vel ad modum *Muſei Bremenſis & Symbolarum Litterarium*, paucis tantum exceptis, adornabitur.

Patebit Bibliotheca hæc Nova *Philologis, Philoſophis, Hiſtoricis, Criticis, Exegetis, Theologis*, omnibusque, quibus fundum ſcientiarum amplificare & locupletare curæ cordique eſt. Maxime accepti erunt, qui vel antiqua & cognita dilucidius exponunt, & in ordinem concinniorem redigunt, vel dubia ſolvunt, vel nova, licet vel paradoxa videantur, conjectando aut problematice proferunt, imprimis, qui eadem ex indubiis principiis demonſtrare ſatagunt, & Sacra Oracula V. & N. T. illuſtrant.

Comiter utcunque & *officioſe* excipientur omnes, protervum de eorundem inven-

inventis judicium, quo famæ noxa vel leviſſima fiat, vel laſcivam correctionem metuendi cauſam non habituri. Respublica enim Literaria nullum agnoſcit nec ferre poteſt Dictatorem, qui velut ex Tripode pronunciat, neque ego tam infrunitus ſum, ut meo me ipſemet pede metiri ignorem. Improbo malos Ariſtarchorum mores, qui aliena ſcripta laceſſere, & in ea fronte caperata ingenii ſui vires exercere non verentur. Licitum interea ſit, ſi ſuboriantur dubia, eadem modeſte proferre, vel occaſione data inventa aliorum corroborare aut illuſtrare, aut denique iisdem aliqua addere, quod poſtremum propter foecunditatem hujus aut illius veritatis non raro, & primis inventoribus, qui viam monſtrarunt, gratiſſimum accidere ſolet.

Auctoribus interea tutelam & defenſionem fœtuum ſuorum relinquo, ſi eos defendendos eſſe arbitrantur, aut è re ſua exiſti-

exiſtimant. Dabitur in hac ipſa Bibliotheca Apologiis ejusmodi locus. Licitum autem omnino ſit, ſi qua forte ex fervore cauſæ, quæ agitur, defendendæ exciderunt parum honorifice in alios dicta, eadem ſeponere, aut mitigare, ne in odii, irarum, altercationum & ſimultatum campum convertatur Bibliotheca, in qua liberales conveniunt Muſæ. Neque ferendus eſt κολοιος εν ταις Μουσαις *graculus inter Muſas.*

Si *Epiſtolas* ſummorum Virorum adhuc ineditas, quæ hiſtoriam Literariam vel ſcientias aliquas concernunt, & erudita continent, nanciſci potero, eas quoque Bibliothecæ huic inſeram. Igitur, quod in hocce Primo Faſciculo fieri non potuit, in ſequentibus communicabo *Epiſtolas* aliquot LEIBNITII, HVGENII, WAGENSEILII, ACOLVTHI & fortaſſis etiam Abbatis MOLANI, quas amori & benevolentiæ debeo S. Reverendi & Doctiſſimi Viri F. J. A. SCHV-

MA-

MACHERI, Ecclesiastis Ansgariani, Avunculi & Collegæ mei Humanissimi.

Ceterum, licet Bibliothecam hanc præprimis constituent lucubrationes Novæ & Scripta hactenus inedita, ingredientur tamen eam quandoque scripta melioris notæ, luci iam exposita, tum rariora, tum, quæ in his aliisve locis facile quidem reperiuntur, sed extra patriam suam minus cognita, digna tamen sunt, quæ ad usum universæ literatorum reipublicæ magis evulgentur. Spectant huc quoque *Orationes* Virorum Eruditorum, vel adhuc in vivis superstitum, vel fato jam functorum, quæ sive ob stylum elegantiorem, sive ex materiæ dignitate adtentionem merentur.

A recensionibus librorum editorum vel edendorum abstinendum mihi esse suadent munera publica, parum otii concedentia. Interea annunciabo quandoque, quæ in *Belgio* imprimis paucis abhinc

abhinc annis prodierunt, & adhuc prodeunt, ſcripta, libros, Diſſertationes, aliaque memoratu digna *Germanis meis*, & quae in *Germania* luci fuerunt expoſita & adhuc exponuntur, Latio ſermone ſcripta, *Belgis*, inter quos cum quatuor, & quod excurrit luſtra ſuaviter egerim, itidem *meis*. Conſpectum virorum eruditorum in Academiis & Lyceis Germaniæ Belgiique Foederati docentium, & Syllabum operum, quæ à Theologis, Philoſophis & Philologis edita fuerunt, ſi pote, quandoque exhibebo, quod utrisque & Germanis & Belgis acceptum fore ſperamus.

Placuit Bibliopolis, ne moles Voluminis cuipiam moleſta eſſet, ut *Tres* Faſciculi Claſſem conſtituant completam, illudque hoc magis probavi, quia hoc pacto illi, quos ſpiſſius volumen non offendit, ad libitum duas claſſes conjungere poſſunt.

Quot

Quot autem ſingulis annis prodibunt Faſciculi, dicere non habeo, quum

quæ ſit eorum
Præcipere, haud quaquam eſt
pededentim progredientis

Dependet hoc quicquid eſt, DEO ADNVENTE, à benevolentia lectorum, & induſtria, præſertim à favore eruditorum, *Patronorum* ac *Amicorum*, quos omnes, ea qua par eſt obſervantia, enixe rogo, ut inſigniter faveant huic Inſtituto, ſymbolasque ſuas eruditas ad hanc conferant Bibliothecam, & in eadem amice conveniant. Ablegari Symbolæ mittendæ poterunt ad me, vel, ſumtibus, ſi qui ſint, expenſis, ad Bibliopolas, quorum Nomina in frontiſpicio ſignata ſunt. Vale, *Lector*, gratiæ Divinæ, quæ eſt in Chriſto Jeſu, commendatus. Dabam Bremæ

a. d. XVIII Cal. Aprilis
cIↃ IↃ CCLX.

SE-

SERIES OPVSCVLORVM.

FASCICVLI PRIMI

CLASSIS PRIMAE.

I. IOHANNIS MEDHVRST, *V. D. M. in Ecclesia Bremensi ad ædem Remberti*, observationes in HISTORIAM PASSIONIS *Benedicti Servatoris nostri J. C. ut à* IOHANNE *est tradita.* pag. 1

II. GERHARDI IOHANNIS LETTE, *V. D. M. Ziriczeæ Zelandorum*, Dissertatio Philologico-Critica, *in qua disquiritur de Idolis, quæ vocantur* ADRAMMELECH, ACHAD, ASCHIMA & ASCHERA. pag. 36

III. AMBROSII DORHOUT, *V. D. M. Dokkumensis in Frisia*, Meditationes Philologicæ in GEN. XIX. 20. p. 60

IV. IOHANNIS NICOLAI RICHTERI, *Vicarii Ministerii Bipontini*, Expositio *verborum, quæ exstant* COL. II. 17. p. 90

V. EIVSDEM Expositio *Fidei, quæ est ad Fidem, ad* ROM. I. 17. p. 103

VI. NICOLAI BARKEY, Dissertatio Philologica, de ASCHIMA *Hamathæorum idolo, ad* 2 REG. XVII. 30. p. 125

I.

IOHANNIS MEDHVRST

V. D. M. IN ECCLESIA BREMENSI AD ÆDEM REMBERTI

OBSERVATIONES IN *HISTORIAM PASSIONIS* BENEDICTI SERVATORIS NOSTRI J. C. VT A IOHANNE EST TRADITA.

§. 1.

Hiſtoriam Paſſionis Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut a JOHANNE Evangeliſta eſt tradita, illuſtraturi a conſiderando ſcopo, ad quem omnia direxit Apoſtolus, merito ordimur. Egregia ſunt quidem, quæ de ſcopo hocce obſervarunt viri eruditiſſimi; ſed ut inventis facile eſt aliquid addere, ita & nobis evenit, ut illorum luce adjuti non-

nulla detexerimus, quæ forſitan ad rem hanc clarius perſpiciendam haud inutilia futura ſunt. Si omnia, quæ Johannes de paſſionibus Sanctiſſimi Conciliatoris noſtri ſcripto tradidit, adhibita digna mentis attentione perpendamus, eaque conferamus cum iis, quæ Evangeliſta ex hiſtoria vitæ Jeſu Chriſti attulit, facile patebit eundem ubique ſcopum ab illo intentum eſſe. Secundum optimos Interpretes demonſtrare voluit Johannes Jeſum eſſe Chriſtum Filium Dei unigenitum, atque verbum; eundem quoque eſſe Lumen mundi, & ejus creatorem: Illum Johanni præferendum eſſe Baptiſtæ, qui tanquam miniſter ejus, ad parandam ei viam miſſus fuerit. Hæc illa ſunt, quæ Johannes ipſe in prooemio propoſuit tanquam talia, quæ in ſequentibus illuſtrare, & contra CERINTHVM firmiſſimis argumentis demonſtrare conſtituerat. Erudite hoc, & ingenioſe obſervavit vir celeberrimus, atque doctiſſimus J. D. MICHAELIS *in Introductione in ſcripta divina N. T.* p. 412. ſq. Confer & viros præſtantiſſimos *νυν εν αγιοις* quorum veſtigia preſſit laudatus MICHAELIS, BVDDEVM in *Eccleſ. Apoſtol.* & OPORINVM *in clave Evangelii Iohannis*, beato LAMPIO imprimis appoſita. Licet autem non videam, quibus rationibus haec ſententia oppugnari & deſtrui poſſit, exiſtimo tamen plura a

Io-

Iohanne intenta eſſe, quae ſcopo ejus primario commodè ſubordinari poſſunt. &, niſi me omnia fallunt, ipſe Evangeliſta illa ſatis clarè in praefatione ſignificavit, & in Evangelio ipſo allatis ex hiſtoria vitae, & mortis Ieſu Chriſti indubiis argumentis probavit; ſcilicet, præter illa quæ dicta ſunt, oſtendere quoque volebat Ieſum a Iudæis non ob commiſſa crimina, ſed ob fulgentem doctrinæ ſuæ lucem, quam ferre illi non poterant, injuſtè rejectum, & morti traditum eſſe, licet peccati nullius convinci potuerit; Ieſum eſſe illum Soſpitatorem, de quo propheræ veteres multa præclara erant vaticinati. Quod ad prius attinet, Iohannes ſatis clarè hisce verbis indicat ſe illud adſtructurum eſſe: *& Vita erat lumen hominum, & hoc lumen in tenebris lucet, & tenebræ illud non comprehenderunt.* c. 1. v. 4. 5 hæc enim docent Ieſum Chriſtum ob præſtantiam doctrinæ ſuæ Iudæis exoſum fuiſſe, licet ab omni ſcelere purus fuerit, & lumen ſuum latè ſparſerit. Evangeliſta quoque v. 9. innuit, ſeſe alterum illud, ſcil. Ieſum eſſe Chriſtum, quem vates prædixerant, demonſtraturum eſſe. *Lux: erat vera* (i. e. olim adumbrata, atque promiſſa, nunc autem re ipſa a Deo data) *quae veniens in Mundum, omnem hominem illuminat.* eo quoque referenda verba Iohannis, quæ v. 14. & 17. leguntur. illo

enim in loco affirmatur: *verbum caro factum eſt plena gratia, & veritate;* in hoc autem: *lex per Moſen data, gratia autem, & veritas per Ieſum Chriſtum enata.* ubi veritas umbræ, & vaticiniis oppoſita, implementum umbrarum legis Moſaicæ, atque vaticiniorum denotat. Tantum autem abeſt, ut celeberrimo Michaelis contradicere velimus, ut obſervatio noſtra potius ad confirmandam ejus ſententiam utilis eſſe poſſit. Exiſtimamus enim Iohannem contra Cerinthum ita voluiſſe demonſtrare, quod Ieſus ſit Chriſtus Lux mundi, ut ſimul oſtendat illum eſſe Eum ipſum, de quo vates locuti ſunt, & cujus umbra in lege Moſaica fuerit exhibita, id quod laudatus vir eruditiſſimus non negaverit.

§. 2.

Cum autem facilius de parte alicujus libri judicari poſſit, ſi ſcopum totius ſatis clare perſpicias, non abs re erit, ſi paucis demonſtremus eundem finem, ad quem omnia, quæ Iohannes ex hiſtoria paſſionum Chriſti in medium protulit, directa ſunt, ubique in Evangelio ipſius regnare. Quod Cerinthum attinet, hîc otium nobis fecerunt laudati viri præſtantiſſimi, & nihil negotii, quoad ejus errores, relictum nobis eſt, niſi ut ex circumſtantiis mortis Chriſti ea eruamus, quæ dicto hæretico oppoſita eſſe arbitramur. Præterea docen-

cendum nobis eſt Iohannem quoque demonſtrare voluiſſe, quod Ieſus ſolummodo ob doctrinam ſuam a Iudæis ſit rejectus, & quod ſit Chriſtus ille, quem vates venturum eſſe prædixerant.

§. 3.

Ieſum in odium Iudæorum ob coruscantem doctrinae ſuæ lucem incurriſſe ſtatim patet ex capite ſecundo, ubi Iohannes narrat Ieſum ſeſe expellendo e templo ſordidos negotiatores tanquam verum prophetam geſſiſſe, & Iudæos poſtea vaticinium ejus de templo deſtruendo in ſenſum menti ipſius contrarium pervertiſſe. Hoc autem ut rite ponderarent, & in fide ſua firmarentur Chriſtiani, præmiſit Iohannes hiſtoriam primi, quod Ieſus patravit, miraculi, quo ſeſe tanquam prophetam a Deo miſſum manfeſtavit.

Sequitur cap. tertio colloquium, quod Ieſus cum Nicodemo inſtituerat; ubi inter alia notantur Verba Nicodemi, nec non magni propheræ noſtri, ex quibus pateſcit corda Iudæorum cimmeriis tenebris tecta fuiſſe, eosque ob malitiam ſuam doctrinæ Ieſu fuiſſe adverſatos. Perpendas modo, ſi placuerit, hæc verba, quæ Ieſus Nicodemo ipſum interroganti, regeſſit: *An tu es magiſter in Iſraele, & hoc ignoras. Amen! Amen! dico tibi, loquimur quod novimus, & te-*

ſtamur, quod vidimus, & teſtimonium noſtrum NON RECIPITIS &c. v. 10-12. & confer cum hiſce ſequentia: *hoc eſt judicium, quod venerit lumen in mundum. homines enim amabant magis tenebras, quam lucem; opera enim eorum erant mala. qui mala peragit, odit lucem, nec venit ad lucem, ne opera ſua corripiantur*, v. 19. 20. Subjungit Evangeliſta teſtimonium Iohannis Baptiſtæ, quod Ieſu tanquam Chriſto, & coeleſti prophetæ exhibuit, ubi inter alia hæc verba protulit: *qui de coelo venit, eſt ſuper omnes; qui e terra eſt, e terra eſt, & terrena loquitur. qui de coelo venit, eſt ſuper omnes, & teſtatur, quod vidit, & audivit, &* NEMO TESTIMONIVM EJVS RECIPIT. v. 31. 32. Obſervandum hîc eſt Evangeliſtam noſtrum ex colloquiis, quæ Chriſtus cum Iudæis habuit & ex aliis ejus ſermonibus imprimis talia decerpere, & lectorum animo ſubjicere ſolere, quæ ſcopo ipſius inſervire poterant. Quis autem non videt ex allatis inferri poſſe Iudæos ſaluberrimam ſummi Prophætæ doctrinam, ob malitiam ſuam reſpuiſſe, & Ieſum ipſum ob detecta crimina ſua capitali odio proſecutos eſſe. Quæ hactenus, ut ſcopum hunc contingeret, attulerat Iohannes, illuſtrantur & confirmantur c. 4to. ubi eas conjungit actiones Ieſu Chriſti, ex quibus elici poteſt, illum omni fide, & diligentia munere ſuo functum eſſe, & ſe prophetam oſtendiſſe,

eum-

eumque ut talem a permultis eſſe cognitum. Qui illa, quæ in evangelio ſubjiciuntur, legendo perſequitur inveniet plura, quæ idem illud ſatis ſuperque, demonſtrant. Imprimis notanda ſunt, quæ cap. 6. v. 36. v. 41. 42. v. 52. v. 60-66. c. 7. v. 1-5. v. 14-24. v. 28-30 occurrunt. Ante omnia autem perpendenda ſunt, quæ c. 8. v. 12. ſq. leguntur, ubi imprimis attentionem noſtram merentur verba Ieſu Chriſti: *quis inter vos me peccati convincere poteſt. Si autem dico vobis veritatem,* QVARE MIHI NON CREDITIS? v. 46. Sic Iohannes non modo contra CERINTHVM probavit Ieſum eſſe Chriſtum, Lumen Mundi, ſed & illum fuiſſe prophetam, cujus doctrina Iudæos ita offenderit, ut Vatiniano, & implacabili in eum odio incenſi ſint.

§. 4.

Ex aliis autem, quæ memoriæ tradidit Evangeliſta, elici poteſt, eum quoque demonſtrare voluiſſe, quod Ieſus ſit magnus ille Redemptor, de quo prophetæ olim inſtinctu Spiritus divini vaticinati ſunt. Hanc in rem affert ille teſtimonium Iohannis Baptiſtæ de ſe ipſo, & imprimis hæc verba ejus: *Ego ſum vox præconis in deſerto: parate viam Domini, ut Ieſajas propheta locutus eſt.* c. 1. v. 23. Nonne ex hiſce colligi poteſt Ieſum, cujus miniſter Iohannes erat, qui ipſi præi-

verat ad parandum ei viam, illum eſſe Dominum, cujus apparitionem Ieſajas prædixerat? adducit præterea Evangeliſta teſtimonium præcurſoris Ieſu de ipſo, tanquam Agno Dei publicè editum: *ecce hic eſt agnus Dei, qui peccata mundi portat.* v. 29. & 36. Quis non videt hæc veritatem illam confirmare, quod Ieſus ſit ſacrificium illud pro peccato, quod ſacrificiis ſecundum legem Moſaicam Deo oblatis adumbratum, & per vates V. T. promiſſum fuit? Idem confirmant verba Philippi dicentis Nathanaeli: *invenimus illum, de quo Moſes in lege, & prophetæ ſcripſerunt, Ieſum Filium Ioſephi e Nazareth.* c. 1. v. 45. Eidem ſcopo inſerviunt verba ipſius Ieſu Chriſti: *perſcrutamini ſcripturas, exiſtimatis enim vos habere in iis vitam æternam, & illæ ſunt, quæ de me teſtantur.* c. 5. v. 39. *ne exiſtimetis me accuſaturum eſſe vosmet apud Patrem: unus eſt, qui accuſat vos, Moſes, in quo ſperatis. Si Moſi credéretis, mihi quoque credéretis, namque ille de me ſcripſit. ibid.* v. 45: 46. conf. c. 12. v. 12-16. v. 37. 38. & v. 49-41. c. 13. v. 18. c. 15. v. 25.

§. 5.

Negari itaque non poteſt Iohannem ſibi illum, quem diximus, ſcopum in hiſtoria vitæ Jeſu Chriſti propoſuiſſe; ad eundem quoque finem oculos directos tenuit, cum illas, quas in ultima libri ſui

parte

parte exhibuit, paſſionum circumſtantias, colligeret, id quod nunc probandum nobis eſt. Sole autem meridiano clarius patet Iohannem voluiſſe oſtendere, Ieſum, qui multa dira paſſus eſt, Filium extitiſſe Dei, nec non Lumen mundi, atque Chriſtum. Elici hæc veritas poteſt ex confeſſione illa bona, quam Jeſus coram Pilato edidit, poſtquam illum interrogaſſet, *an tu es Rex Iudæorum*? Nemo illorum, quibus religio Iudaica non plane incognita eſt, nescit Regem Iudæorum Chriſtum, & Filium Dei ſecundum communem ſententiam Iudæorum, unam, eandemque perſonam, ſcil. promiſſum Meſſiam eſſe. Dum igitur Ieſus ipſe confeſſus eſt, ſe eſſe Regem, regnum autem ſuum non eſſe de hoc mundo, hoc ipſo docuit ſe Filium Dei, & Chriſtum eſſe. Idem quoque ille ſubindigitat, dicens *ſe natum eſſe, & in mundum veniſſe ad id, ut veritatem teſtaretur.* Ioh. 18. v. 33-37. Eadem veritas elucet quoque ex accuſatione Iudæorum, quod ſe ipſum Filium Dei fecerit, ex aucto per hanc accuſationem metu Pilati, ex ſilentio Ieſu ad Pilati primam quæſtionem: *unde es tu?* ex reſponſione Chriſti heroica ad alteram Judicis quæſtionem: quibus adjungi debent molimina Pilati, qui omni niſu Jeſum e manibus Judaeorum eripere conabatur. c. 19. v. 7-12. Plura quidem extant in hiſtoria Chriſti παθητα,

quæ eandem veritatem confirmare apta nata ſunt, ſed cum illa a reliquis Evangeliſtis jam tacta ſint, & Johannes imprimis memoriæ tradere voluerit, quæ illi omiſerunt, illa non adjunxit.

Jeſum a Judæis ob excellentiam doctrinæ ſuæ capitis damnatum, & Pilato traditum eſſe, licet nullius criminis fuerit convictus, manifeſtum eſt ex quamplurimis, quæ Evangeliſta adduxit innocentiæ Ejus, documentis. Hoc ſcil. ut demonſtret, ſeriem rerum geſtarum ſecutus, primo loco profert reſponſum, quod Jeſus dedit, cum de diſcipulis, deque doctrina ſua interrogaretur, adjungitque quam injuſto, atque indigno modo, ſanctiſſimus propheta a Judæis tractatus ſit. c. 19. v. 19-23. Si ordinem rerum propoſitarum a v. 13-24. accuratius conſideres, ex eo quoque argumenta pro innocentia Jeſu Chriſti duci poſſunt; ſed de iis poſtea agendum eſt, cum illud facilius demonſtrari queat, poſtquam clarioribus argumentis probatum, & extra omnem dubitationis aleam eſt poſitum Evangeliſtam inter alia id etiam loco citato egiſſe, ut innocentiam Jeſu Chriſti contra accuſationes Judæorum defenderet. Hanc innocentiam illuſtrabat malitia, & injuſtitia Judæorum, qui exigebant ut Pilatus Jeſum inauditum condemnaret. c. 18. v. 29. 30. huc etiam pertinent inſani Judæorum

orum clamores, qui rebellantium more æſtuantes poſtulabant, ut Pilatus Jeſum morti traderet, licet ille hujus innocentiam non ſine inſigni animi fervore publicè declaraſſet, & nemo, cui ſanum eſt ſinciput, facile inficias iverit, hanc ipſam Judicis declarationem maximi ponderis eſſe, cum ille nulla alia re, niſi veritate ipſa ſatis cognita, ad eam proferendam compelli potuerit. vid. c. 18. v. 38-- c. 19. v. 12. Quæ de titulo crucis, cui Jeſus affixus eſt, narrat Evangeliſta, palam faciunt Pilatum ira in Judæos incenſum fuiſſe, cujus rei cauſa nihil aliud eſſe poterat, quam ipſorum malitia, qua Judicem coegerant, ut inſontem cruce affecerit. c. 19. v. 19. 22. Ut autem eo clarius patesceret, quantum commiſerint maleficium Judæi, cum Jeſum ob doctrinam ſuam morti traderent, ea quoque ex hiſtoria paſſionum ejus congeſſit Iohannes, quæ demonſtrarent Illum verum prophetam fuiſſe. Ad hanc rem faciunt ea, quæ de lapſu Petri graviſſimo, quem Jeſus prædixerat, protulit. c. 18. v. 15-18. & v. 25-27. ad eundem finem quoque obſervavit, quo pacto adimpleta ſint, quæ Jeſus de morte ſua erat vaticinatus v. 31. 32.

§. 6.

Tandem demonſtrare quoque voluit Evangeliſta, Jeſum ſecundum ſcripturas eſſe

ſe paſſum, eumque eſſe illum mundi conciliatorem, quem Deus olim per prophetas promiſerat. Hoc ut evinceret, citat verba Pſalmi ſecundi, quibus David de diviſione veſtium, tanquam Meſſiæ paſſuri ſigno clariſſimo vaticinatus eſt c. 19. v. 24. Obſervat etiam Jeſum, *ut ſcriptura adimpleretur, dixiſſe, Sitio* v. 28. & aliud oſtendit vaticiniorum implementum v. 36. 37. *hoc factum eſt ut impleretur ſcriptura, Os ei non confringetur, & iterum dicit alia ſcriptura: conſpicient eum, quem confoderunt.* Notandum autem hîc eſt, Evangeliſtam de talibus lectorem monuiſſe rerum circumſtantiis, quæ facilè oculorum aciem fugere poſſunt; & hoc pacto illum quaſi manu duxiſſe ad conſideranda alia, de quibus notiora in veteri inſtrumento vaticinia extabant.

§. 7.

Elucidato ſic ſcopo, ad quem Johannes illa direxit, quæ ex hiſtoria paſſionum Jeſu Chriſti protulit; nunc pedem proferre lubet ad conſideranda quædam memorabilia, quæ imprimis attentione noſtra digna ſunt, cum hactenus non ab omni difficultate liberata ſint. Inter illa referenda ſunt, quæ Johannes de peccato Petri Apoſtoli, Dominum & Doctorem ſuum abnegantis, & quæ de Jeſu Chriſti deductione ad Hannam, & Cajapham narrat,

narrat, cum illa, ut quivis facilè perſpicit, ordine inſolito ſint propoſita. Verſu enim 24. c. 18 dicitur, *miſit*, (vel miſerat) *igitur Hannas Jeſum vinctum ad Cajapham*, quod, ut videtur, antea dicendum fuiſſet: & præterea Evangeliſta illa, quæ ad abnegationem Petri pertinent, non una ſerie propoſuit, ſed illa mira arte diſcerpſit, & illis alia immiſcuit, ut vel ex hac ſingulari rem narrandi ratione conjecturam capere poſſimus, Johannem lectores ſuos de re maximi momenti monere voluiſſe. Hic rerum ordo doctiſſimorum Interpretum mentem ita perturbavit, ut alia, ſine quibus rite obſervatis tota narratio in obſcuro manet, eorum fugerint attentionem, & alia eos in devia ſeduxerint. Quod imprimis attinet dictum capitis 18. verſum vigeſimum quartum, Cel. LAMPIVS probavit, omnes, quæ hactenus extant, eruditorum explicationes a mente Johannis aberraſſe, cum nexum verborum, & imprimis illud ἀν (igitur), quo illa præcedentibus juncta ſunt, in tenebris relinquant; aliorum autem ſententiam, qui verba hæc vel immutant, vel loco ſuo movent, vel plane delent, minus ferri poſſe, cum plurimis codicibus contradicat.

Operæ igitur pretium eſt, res hic a Johanne inſueto modo copulatas, nec non ordinem earum attentiori animo ponderare, & in ſcopum illum inquirere, ad quem omnia

omnia directa ſunt. Ut hoc autem eo facilius perficiamus, duo ſunt monenda, quæ facem nobis ad detegendam Apoſtoli mentem, & ad perſpiciendum ſcopum ejus, præferre poſſunt. Primum eſt, quod Petrus non in ædibus Hannæ, ut quidam exiſtimant, ſed potius Cajaphæ, Jeſum abnegandi initium fecerit. Johannes hoc ſatis clare indicat, enarrans Petrum officio alterius diſcipuli in ædes Pontificis max. intromiſſum eſſe, atque ibi Jeſum obnegare cœpiſſe. c. 18. v. 15-18. Pontificem ſcilicet maximum appellat, cujus in domum Petrus intraverit: antea autem v. 13. Cajapham deſcripſerat tanquam talem, qui eo anno Pontifex max. fuerit. Cum igitur ſtatim, nullis interjectis addat, Petrum in ædes Pontificis ingreſſum eſſe, nullum alium Pontificem niſi illum, cujus antea mentionem fecerat, i. e. Cajapham, intelligere potuit.

Alterum autem, quod hic loci notandum, eſt, quod Johannes in Evangelio ſuo hoc artificio uſus ſit, ut eas rerum circumſtantias contexuerit, ex quibus ſimul inferri poteſt, Jeſum eſſe verum Prophetam, & eum propter doctrinam ſuam nullo commiſſo crimine a Judæis rejectum eſſe. Hujus rei documenta attentus lector in evangelio Johannis plura ſine negotio adinvenire poterit. Ne autem hoc fruſtra aſſere-

re

re videar, conſideres modo quæ cap. 2. c. 5. c. 6. & 7. continentur.

§. 8.

Secundum hæc obſervata narrationem ipſam nunc perluſtrare, & non modo res ipſas, ſed & ordinem, quo digeſtæ ſunt, conſiderare volumus.

Quod ad res ipſas ſpectat, illæ ita comparatæ ſunt, ut ex iis ſponte fluant, quæ Johannem per illas demonſtrare voluiſſe exiſtimamus. Conſilium, quod Cajaphas Judæorum Synedrio de Chriſto Jeſu interficiendo dederat, id quod melius eſſe judicabat, quam ut totus populus periret, quo impulſi erant principes Judæorum, ut Jeſum morte opprimere decernerent, injuſtitiæ Judæorum, animique eorum pravi argumentum clariſſimum exhibere poteſt. Hoc autem ipſum nobis præjudicium pro cauſa Jeſu Chriſti excitare, certosque nos reddere poteſt, Iudæos nullam, nequidem probabilem cauſam proferre potuiſſe, quare tam immane, & crudele odium in Ieſum haberent, ut tanto mortis ejus deſiderio flagrarent.

Abnegatio Petri, quam Ieſus prædixerat, illum nobis tanquam prophetam Numine divino plenum conſpiciendum præbet, præcipue, cum Chriſtum abnegaverit Petrus in ædibus, ſeu palatio Pontificis Max.

Max. quod nunquam intrare potuiſſet, niſi forte fortuna a diſcipulo Ieſu Chriſti, qui Pontifici cognitus erat, fuiſſet introductus. Quis vel ſomniando unquam cogitaſſet, diſcipulum Ieſu, qui eſſet amicus Cajaphæ, Magiſtrum ſuum vinctum usque in palatium Pontificis ſecuturum fuiſſe, imo & eundem captivi Ieſu praecipuum Apoſtolum, inſignem illum Petrum eo fuiſſe introducturum? hoc autem præcipue aptum natum eſt divinam vaticiniorum originem demonſtrare, ſi illa prænuntiant talia, quæ præter omnium opinionem eveniunt, quæve nulla hominum acies, quanta etiam ſit, prævidere poteſt. Si quis talia vaticinandi vim vel naturæ hominum, vel diſpoſitioni melancholicæ tribuere vellet, quod fecerunt SPINOZA & PETITVS, ille ſane in hodierna philoſophiæ & theologiæ luce ſe ipſum prudentibus ridendum propinaret. vid. DEYLING. *Obſerv. P. I. Obſ. I.* ZORN. *Prolegom. ad Hecat. Abder.* p. 13. Rectius judicaverunt STOICI, qui exiſtimabant *divinationem eſſe earum rerum, quæ fortuitæ putantur, prædictionem, atque præſenſionem.* ut QVINCTVS, CICERONIS frater, affirmabat. Idem quoque aſſerit: *Quin etiam hoc non dubitans dixerim: ſi unum aliquid ita ſit prædictum, præſenſumque, ut cum evenerit, ita cadat ut prædictum ſit, neque in eo quidquam caſu, & fortuito factum eſſe appareat, eſſe certe divinationem, idque*

que eſſe ab omnibus confitendum. CIC. *de Divin.* l. 1. Qui autem contra hodiernos religionis ſanctiſſimæ hoſtes, vaticinia oppugnantes, aliquid ſolidi legere deſiderat, adeat beati OPORINI *Religion und Hoffnung* (Religio & Spes) *im Tode* (in morte) c. 5. §. 7. p. 150. LELAND. *the Divine Author of the O. and N. T.* c. 8. p. 217. ſq. Sed e diverticulo in viam redeamus, & quae de vaticiniis notavimus, ad Chriſtum Ieſum applicemus. Sane quæ ille de abnegatione Petri prædixit, præſenſitque, ita cum evenirent, cadebant, ut prædicta erant, neque in iis quidquam caſu, & fortuito factum eſſe apparet. Ex hisce igitur inferri poteſt prædictionem illam, divinationem, vel vaticinium, Jeſumque illius auctorem a Deo miſſum, atque adeo Chriſtum eſſe.

§. 9.

Poſtquam igitur Evangeliſta talia de Petro attuliſſet, ex quibus concluſiones firmiſſimæ ad demonſtrandam Jeſu divinationem veram deduci poſſunt, adjungit ille clariſſima innocentiæ ejus documenta, quæ ſupra ſtrictim attigimus, quorum pleniorem elucidationem in hunc usque locum reſervavimus. Huc pertinent illa, quæ Evangeliſta narrat de quæſtione, quam Judæi Jeſu Chriſto propoſuerant de ipſius doctrina, & discipulis, ad quam ille ita

cordate, atque intrepide reſpondit, ut eum decet, qui nullius erroris, neque criminis conſcius eſt. Quanta autem Judæorum fuerit injuſtitia, quove odio in Jeſum bonam conſcientiam reſponſione ſua præferentem exarſerint, exinde diſpaleſcit, quod miniſtro ſuo permiſerint inſonti alapam infringere, licet nihil tale meruerit. Sic igitur collatis illis, quæ hoc loco ex Evangelio Johannis attulimus, patet quam clariſſime, Evangeliſtam data opera talia conjunxiſſe, ex quibus elici poſſit, Jeſum inopinata, & mirabili ratione, ſcil. per abnegationem Petri in Palatio Pontificis factam, tanquam verum prophetam eſſe demonſtratum, eumve ob doctrinam ſuam in odium, atque offenſionem Judæorum incurriſſe, & ab iis male habitum eſſe, licet nullius criminis convictus fuerit.

§. 10.

Innocentia ejus adhuc magis elucet ex deductione Ieſu ab Hanna ad Cajapham, de qua mentionem fecit Iohannes v. 24. Sed ut hoc eo clarius perſpiciatur, imprimis attendendum eſt ad nexum orationis, qui ut ſupra monuimus, eruditiſſimis viris obſcurus eſſe viſus eſt. Hanc autem Iohannis verba explicandi normam præſcriptam nobis eſſe putamus, ut eorum interpretatione oſtendatur, quare Evangeliſta demum

demum v. 24. de Chriſti deductione ad Cajapham egerit, atque dixerit IGITVR *miſit Hannas Ieſum vinctum ad Cajaham.* Si enim hujus dicendi modi ſufficientem rationem reddere poſſimus, patebit fidei plurium codicum, quibuscum verſiones optimæ conſentiunt, omnino ſtandum eſſe, cum illi verba Iohannis ſic exhibeant απεστειλεν ουν αυτον τ. κ. λ., & quidem eo ordine, & nexu, quem verum eſſe ſtatuimus. Non quidem exiſtimamus ſemper ex contextu, vel emphaſi verborum, quam ſibi quis imaginatur, argumentum pro defendenda vera lectione peti poſſe. Quæ enim contra hanc ſententiam clar. BENGELIVS in *Apparatu crit.* & poſt eum cel. BREITINGERVS in diſſertatione MVSEI HELVET. *P. XI* inſerta, monuit, ſatis ponderoſa, atque veriſſima ſunt. Longe aliter autem ſe res habet, ſi ex inſolita, & difficili verborum conſtructione hariolari licet, quare lectio in nonnullis codicibus ſit immutata ſique lectio illa ita eſt comparata, ut nemini facile in mentem venire poſſit, illam relicta faciliori verborum conſtructione, eligere. Iohannes, me quidem judice, videtur hoc ipſum quod Hannas Ieſum ad Cajapham vinctum miſerit tanquam rem maximi momenti conſideraſſe, quæ in dubium vocari poſſit, vel a Iudæis negata, atque oppugnata ſit. Hæc etiam cauſa vi-

detur eſſe, quare evangeliſta talia præmiſerit, quæ argumenta deductionis Ieſu ab Hanna ad Cajapham continerent, & ex iis concluſionem elicuerit, dicendo *igitur Hannas Ieſum miſit vinctum ad Cajapham.* Ut autem patescat hanc fuiſſe Iohannis mentem, demonſtrandum nobis eſt primo v. 24. rem maximi momenti contineri, dein illam ex præmiſſis paſſionis Ieſu circumſtantiis concludi, & adſtrui poſſe.

§. 11.

Qui rem ipſam, de qua ſermonem facimus, obiter, & quaſi per tranſennam aſpicit, exiſtimabit illam levioris momenti eſſe, & ita comparatam, ut nemo eam facile in dubium vocaverit. Longe autem aliter de illa judicaturi ſumus, ſi conſideremus quid ex illa ad cauſam Ieſu Chriſti illuſtrandam inferri poſſit. Scil. ex ea argumentum hauriri firmiſſimum poteſt, quo evincitur Iudæos, licet ſummo ſtudio in cauſam Ieſu inquirerent, nihil tamen contra eum, quod ullam veritatis ſpeciem haberet, adinvenire potuiſſe, quod eum mortis ſupplicio dignum redderet. Deduxerant Ieſum primum ad Hannam ut Evangeliſta v. 13. teſtatus eſt. Id ſine dubio hanc ob cauſam fecerunt, ut ſenex ille longa edoctus experientia ante omnia tentaret, an poſſet ex ore ejus reſponſa elicere,

quæ

quæ cauſam ejus aggravarent. Quis dubitaret ſilicernium illud omni arte, & ſcientia ſua per multos annos acquiſita, & exercita, uſum eſſe ut Ieſum loquentem irretiret, & in probabilem ſaltem criminis alicujus ſuſpicionem adduceret? dum igitur ille Ieſum ad Cajapham miſit, & hicce, congregato Synedrio, inquiſitionem in cauſam Ieſu denuo inſtituit, ex hisce ſequitur Hannam, cum Chriſtum ſuo ipſius gladio jugulare vellet, oleum & operam perdidiſſe. Hinc autem patet rem maximi momenti eſſe, ad demonſtrandam Ieſu innocentiam, quod Hannas eum ad Cajapham miſerit: hoc enim pacto augetur numerus illorum, qui omnem navantes operam, ut Ieſum reum peragerent, fruſtraneo conatu ſuo, cum nihil intentatum relinquerent, innocentiam Ieſu luce clariſſima illuſtraverunt. Ex tenebris itaque, lumen illuſtre ortum eſt, quod ſæpius factum, Chriſto Ieſu imprimis iram, & indignationem Iudæorum ſentiente, cum providentia divina res ita miſceret, ut ea evenirent, quæ conſilium ejus, manusque præfinivit, ut fierent. Quis autem negaverit hoſtes nominis Ieſu eo facile induci potuiſſe, ut dubia moverent contra hiſtoriam, ex qua firmiſſima argumenta pro innocentia Chriſti proferri poſſunt? ſic exiſtimamus Iudæos Apoſtolorum narrationem de Ieſu ab

Hanna ad Cajapham miſſo exceptionibus dubiam facere conatos eſſe. Imprimis autem hoc fieri poterat illis temporibus, quibus Iohannes Evangelium ſuum conſcripſit, quod haud paucis poſt paſſiones Ieſu præterlapſis annis demum factum eſſe conſtat. Iudæi ſervis Ieſu Chriſti objicere poterant veriſimile non eſſe, quod Ieſus primum ad Hannam deductus fuerit, cum ille ab officio Pontificali ſit remotus, & illud in generum ejus Cajapham translatum ſit. Potuerunt diſſitis illis a re geſta temporibus alia dubia relationi Evangeliſtarum opponere; & hoc ipſum Iohannem commoviſſe videtur, ut hanc rem non nude narraret, ſed potius propoſitis argumentis demonſtraret, & hanc concluſionem ex iis eliceret: *igitur miſit Hannas Ieſum vinctum ad Cajapham.*

§. 12.

Nunc autem oſtendendum nobis erit ex iis, quæ Evangeliſta in antecedentibus de lapſu Petri propoſuit inferri poſſe, Ieſum ab Hanna ad Cajapham miſſum eſſe. Scilicet, Petrus Apoſtolus una cum alio discipulo Ieſum, cum Iudæi eum captivum ducerent, ſectabatur: *ſequebatur autem*, dicit Iohannes, *Ieſum Simon Petrus & alius discipulus.* Ioh. 18. v. 15. Hoc ſecundum nexum verborum tam de ædibus Hannæ,

quam

quam Cajaphæ intelligendum, quod discipuli Chriſtum eo ſecuti ſint. Cum autem relatum non legimus, illos in Hannae palatium intraſſe, credendum eſt, quod e longinquo expectaverint donec Chriſtus ab Hanna ad Cajapham duceretur. Cum igitur hoc factum eſſet, Petrus opera alterius discipuli in aedes Pontificis maximi Cajaphae intromiſſus eſt, & ibi Magiſtrum ſuum fideliſſimum turpiter abnegavit. Iohannes ſatis clare ſignificavit ſeſe haec ipſa conſideraſſe tanquam argumenta hiſtorica, & illa hanc ob cauſam adduxiſſe, ut iis veritatem rei geſtae probaret atque lectorem ſuum ad illam credendam eo facilius induceret. Poſtquam enim de Petro mentionem fecerat, ſtatim addit. *Pontifex* IGITVR *interrogavit Ieſum de discipulis ejus, deque doctrina.* v. 19. Si perpendas, quae Petrus, quaeve Pontifex egerit, nullum inter illa nexum eſſe perſpicies, ſi rebus ipſis inhaerere velis. Petrus enim Pontifici nullam quaeſtionis dictae occaſionem praebere poterat, cum ei eſſet incognitus, & licet alter ille discipulus Pontifici notus eſſet, ab omni tamen veritatis ſpecie abhorret, Pontificem ſciviſſe, quod eſſet captivi Ieſu discipulus. Cum enim una cum Ieſu aedes Pontificis intraret, videtur inter clandeſtinos Ieſu discipulos fuiſſe, dum, aliter ſi res ſe habuiſſet, non auſus fuiſſet

Chriſtum ſequi, cum ad Cajapham captivus duceretur. Iohannem quoque ad amicitiam, qua discipulus ille Pontifici junctus eſſet, non reſpexiſſe, inde palam eſt, quod expoſitis illis, quae de Petro erant notanda, demum hæc adjungat verba: *Pontifex igitur interrogavit Iſum.* Non alius ergo in cogitationibus, & in ſermone Iohannis nexus ſtatui poteſt, quam talis, qualis inter argumenta hiſtorica, & rem aliquam geſtam intercedit. Nihil igitur veriſimilius nec probabilius eſt, quam Iohannem primo loco propoſuiſſe argumenta, & ex hisce elicuiſſe veritatem eorum, quae de Ieſu Chriſto memoriae tradita ſunt. Scilicet, ex introitu discipulorum in Palatium Cajaphae & ex abnegatione Chriſti a Petro facta argumentum ſumit, quo demonſtrari poteſt Pontificem Ieſum de discipulis, & doctrina ipſius interrogaſſe, & illum ab Hanna ad Cajapham miſſum eſſe. *igitur interrogavit illum Pontifex &c. igitur miſit eum Hannas ad Cajapham.* Producuntur autem hoc loco a Iohanne teſtes veritatis rerum memoratarum, qui fide digniſſimi, atque omni exceptione majores ſunt. Et hoc quidem ut cognoscamus, attendendum eſt ad ea, quae Iohannes de utrisque narrat, quae illud evincunt, quod teſtium horum auctoritati nulla cum ratione fidem derogare poſſimus. De discipulo illo, qui

ſocius

ſocius Petri in via erat, refert Evangeliſta, quod notus fuerit Pontifici, & illi hanc ob cauſam hujus patuerint aedes. Fidem igitur huic habere poſſumus narranti ſeſe Ieſum usque in palatium Cajaphae ſecutum eſſe, & effeciſſe ut Petrus in illud intromitteretur. Simul enim confiteri cogebatur, ſe Pontifici, anteſignano illi hoſtium Ieſu, notum fuiſſe, id quod ipſi apud Chriſtianos honori, & gloriae eſſe non poterat.

Et quis fidem denegaret Petro, narranti ſeſe Chriſtum, cum ab Hanna ad Cajapham mitteretur, ſecutum eſſe, & in via alterum discipulum ſocium habuiſſe; ſeque auxilio hujus in palatium Pontificis intraſſe, ibique Chriſtum abnegaſſe. Quicunque enim ſana ratione utitur, cogitare non poteſt, Petrum crimen aliquod confinxiſſe, quod ſibi maculam haud exiguam inureret. Eo minus autem de teſtimoniis hisce dubitare licet, cum diſcipuli Ieſu illum in aedes Cajaphae ſequentes nihil fecerint, quam quod illos in iis rerum circumſtantiis facturos eſſe praeſumendum eſt.

Sic videmus non opus eſſe, ut comma 24. c. 18. vel textu ejiciamus, vel loco ſuo moveamus, ac ponamus illud ante v. 14. quod quidam Critici audaciores fecerunt.

Inter eruditiſſimos autem Interpretes ſunt, qui alia via difficultates, quæ dictum

illud comma 24 premere videntur, tollere ſatagunt. Nimis longum foret, omnia illa, quæ viri præſtantiſſimi pro defendenda ſententia ſua attulerunt, examinare; id quod & minus neceſſarium ducimus eſſe, cum plurima ita comparata ſint, ut iis prudentes rerum æſtimatores non facile permoveri poſſint, quo a ſententia noſtra, quam defendimus, in contrarias partes tranſeant. Ponderari autem merentur, quæ vir præſtantiſſimus, beat. IKENIVS ad illuſtranda dicta Iohannis verba protulit, in *diſſert. ſiſtente Harmoniam perpeſſonum Sanctiſſimi Servatoris J. C.* p. 34. in not. Non autem aliam ob cauſam hunc ſummum, & celeberrimi Nominis virum laudo, niſi ut ſuſpicionem a me ipſo depellam, vel negligere me ſcripta ejus eruditiſſima, vel illa ignota mihi eſſe, quod utrumque mihi vitio verti poſſet. Talia enim adduxit vir egregius, quæ non exigui ponderis eſſe videntur ad confirmandam illam, quam adoptavit ſententiam, & Illi pollicem premendum eſſe exiſtimarem, niſi quædam extarent, quæ me ab aſſenſu illi præbendo revocaverint. Liceat mihi igitur ab Illo modeſte diſſentire, & rationes proponere, quæ mihi ut hoc facerem, perſuadent.

Vir doctiſſimus adoptavit, vel potius ante plures jam annos, ut ipſe fatetur, excogitavit ſententiam, quam de nexu rerum

in

in hiſtoria Iohannis fovet clariſſ. HERTZOGIVS, ſcil. Pontificem illum, cujus commate 19. c. 18. usque ad 24. mentio facta, non Cajapham, ſed potius Hannam fuiſſe, omniaque quæ dicto loco narrantur, non coram Cajapha, ſed Hanna acta eſſe. Rationes, quibus hæc Sententia ſuperſtructa eſt, ſunt ſequentes: „diſerte commate 13. dicitur Ieſum primum ad Annam ductum eſſe. „2. ne verbulo quidem monetur Ieſum ab hoc ad Cajapham miſſum eſſe, quod tamen, ut facere poſſet, ſatis opportunam anſam habuit Iohannes, cum ibi aliquoties Cajaphæ mentionem injiciat.„ At vero, nonne Iohannes v. 15. ſatis clare indicat Ieſum ab Hanna, ad Cajapham tranſiiſſe? cum ibi tradat, Petrum Ieſum ſecutum eſſe in ædes Pontificis, quem non Hannam ſed Cajapham fuiſſe jam ſupra oſtendimus, & poſtea contra exceptiones viri ſummi defenſuri ſumus. 3. Contra id demum comm. 24. monetur, Ieſum ab Hanna ad Cajapham miſſum eſſe, & quidem talibus verbis, quæ in præterito Tempore prolata proprie, ut omnes fatentur, tum demum illud factum arguunt, dum ita ſonant: *miſit igitur ipſum vinctum ad Cajapham.* „Sed ſi verba hæc ita eſſent accipienda, quid denotaret, vel quam ſignificandi vim haberet illud *igitur*, quo Iohannes illa, quæ hic aſſerit, cum præcedentibus copulavit? Ex

iis

iis autem quae ſupra obſervata ſunt, palam eſt, Iohannem non velle oſtendere, quid factum ſit poſt dictum illud examen, ſed potius ex antea dictis colligere, quod Hannas Ieſum ad Cajapham miſerit. Addit porro vir egregius: „ Illa ſenſu plusquamperfecto explicare: *miſerat igitur*, eſt ſervire hypotheſi. „ Sed ſi argumenta ſatis ponderis habentia hanc explicationem poſtulant, illud erit rationem ſequi, & minime gentium hypotheſi ſervire. Verum enim vero ſi rem penitius inſpiciamus, videbimus ſententiae noſtrae contrarium non eſſe, ſi verba Iohannis tempore praeterito accipere velimus, & parum abeſt, quin credam verba hoc pacto ſenſum commodiorem fundere, quam ſi illa ſenſu plusquamperfecto interpretemur. Iohannes enim, cum non nude narret quid factum ſit, ſed potius ratiocinetur, ut aliquoties monitum, propoſitis argumentis quibus veritas rei evincitur, ſine ullo ſenſu incongruo dicere poterat: Hannas igitur fecit hoc, vel illud.

Quæ monet vir celeberrimus de particula ΟΥΝ *igitur* noſtram non feriunt ſententiam, cum ſufficientem oſtenderimus rationem, quare Iohannes illa ſit uſus, & ex illa argumentum contra eius ſententiam petierimus.

Ad-

Addit autem ille: „ neque convenit ſtylo hiſtorico integram rem geſtam cum omnibus circumſtantiis narrare, atque tum demum ſubjungere illam non eo loco, cujus antea facta erat mentio, ſed alio, ne verbulo quidem indicato, geſtam eſſe, idque inſuper, verbis ne hoc quidem proprie dicentibus, ſed ut eo per enallagen temporis, & quidem invitis particulis adjunctis, & toto nexu orationis, torqueantur, opus habentibus. „ Omnia tela haec ſententiam noſtram labefactare non poſſunt, cum longe aliter de verbis Iohannis judicemus, ac illi, contra quos ea directa ſunt. Unicum tamen monendum nobis eſt, ſcil. minus recte ex ſtylo Iohannis hiſtorico argumentum duci ad deſtruendam ſententiam, quam deferendam eſſe quis putat. Stylus enim hicce, ut & reliquorum Evangeliſtarum non eſt mere hiſtoricus, cum illi non nudam rerum geſtarum hiſtoriam conſcripſerint, ſed potius ex multis, quae Ieſus Chriſtus egit, & locutus eſt, quaeve ei contigerunt, talia elegerint, eoque propoſuerint ordine, ut ſcopum illum, quem ſibi praefixerant, contingere poſſent. Quae adjunxit vir doctiſſimus loco ſeptimo ſimul cum proxime praecedentibus corruunt, ſi obſervationes noſtrae loco ſuo firmae manent. Tandem octavo adjicitur: „ nec illud negligi debet ſine dubio aliquid

etiam

etiam coram Anna cum Chriſto actum eſſe; At ſi eo non pertineat examen hoc, nihil ejus plane a Iohanne relatum foret. Quis autem credat Iohannem ſolum abductionem ad Hannam memorare, quae autem illic geſta, penitus ſilere voluiſſe, cum ſine his parum intereſſet, utrum eo prius abductus ſit, nec ne, cognitum habere?„ Si dicendum quod res eſt, argumentum hoc inter omnia, quae protulit vir celeberrimus, maximum robur habere mihi videtur, & tamen non ea gaudet firmitate, ut infringi non poſſit. Scilicet, 1. obſervandum multum profecto intereſſe, utrum Chriſtus prius ad Hannam abductus ſit nec ne, cognitum habere, cum hoc ipſum argumentum innocentiæ Chriſti haud contemnendum nobis ſuggerat, ut illa, quae ſupra notavimus, ſatis clare docent. 2. obſervandum quoque eſt, Iohannem ſine dubio ſufficientem rationem habuiſſe, quare nullam eorum, quae Hannas contra Ieſum molitus ſit, mentionem fecerit: & ſane conjectura ſatis probabili augurari poſſumus, quid eum impulerit, ut rem ſic inſtitueret. ſcil. veriſimile eſt, quod de perpeſſionibus Ieſu Chriſti, quarum cauſa hoſtes ejus fuerunt, nihil narrare aut affirmare voluerit, quod luculentis teſtimoniis non potuerit probari. Cum autem diſcipulorum nemo ſecundum ſententiam noſtram cum

Chri-

Chriſto in palatium Hannae intraverit, nullum idoneum teſtem eorum, quae ibi acta ſunt, producere potuit. Et prudenter quidem hanc rationem ſecutus eſt Iohannes, cum hoſtes veritatis evangelicæ, dubiis contra hanc excitatis, infirmorum fidem adhuc magis labefactare conarentur.

Sed facile perſpexit vir præſtantiſſimus duo imprimis ſibi obſtare „tum quod is, a quo hoc examen inſtitutum, nude & ſine ulla reſtructione Pontifex appelletur, cum tamen illo tempore non Annas, ſed Cajaphas pontifex eſſet, tum quod omnibus reliquis evangeliſtis teſtibus, Petri abnegatio, in uno eodemque loco, nempe in aula Cajaphae acciderit, ſecundum hanc ſententiam autem prima in aula Annae eveniſſe debeat.„ Sed reſpondet ille: „ad prius quod attinet, id parum difficultatis habet, quia uti Annas dudum ante Cajapham Pontificatum geſſerat, & adhuc inter Iudaeos ſummae dignitatis erat, ita & hunc titulum retinuit: unde cum Iohannes clare dixiſſet comm. 13. eum ad Annam primum ductum, & comm. 24. demum ſubjungat, inde ulterius ad Cajapham translatum, quae intermedio loco de Pontifice narrat, non de alio, quam Pontifice Anna intelligi debent, praecipue quia non aliam ob cauſam Iohannes v. 14. ait Cajapham illius anni Pontificem fuiſſe i. e. qui illo anno actu hoc mu-

munus ſuſtineret, quam ut illum ab hoc Pontifice Anna diſtinguat. „ Sed licet hoc pacto omnes difficultates ſententiam hanc prementes ſublatas eſſe, facile exiſtimaverint, qui illi favent, ſuperſunt tamen tales, quae aegre removeri poſſe credimus. Concedendum quidem eſt Hannam, poſtquam munere Pontificali eſſet dejectus, tam in S. litteris, quam in ſcriptis IOSEPHI adhuc Pontificem appellatum eſſe; ſed ea, quae afferuntur ad demonſtrandum, quod Iohannes dicto loco non alium, quam Pontificem Hannam intellexerit, parum roboris habent, ſi ea recte ſe habent, quae ſupra notavimus. Praeterea contrarium probari iis ipſis poteſt, quae Evangeliſta ibi, ſc. a 13-24. ſcripto tradidit: Inter alia enim narrat diſcipulum quendam Ieſum in palatium Pontificis ſecutum eſſe, & effeciſſe ut Petro quoque fores ejus aperirentur. v. 15. c. 18. cum autem notum ſit, Pontificem, qui non modo titulo hoc ſuperbiebat, ſed ipſo munere ſacro ſummi ſacerdotis veſtitus erat, palatium publicum ſibi aſſignatum inhabitaſſe, & minime aedes privatas; palam eſt aedes Pontificis, quarum mentionem fecit Iohannes, nihil aliud commode, quam publicum illud palatium denotare poſſe. Hinc igitur ſequitur Iohannem a v. 13-24. non ſemper de Hanna intelligendum eſſe, quando de Pontifice ſermonem

nem fecit. At vero quam obſcura & incerta redderetur ejus narratio, ſi per Pontificem, nunc Hannam, dein vero Cajapham ſignificare voluiſſet? Probe quoque attendendum, Iohannem duabus vicibus Hannae mentionem injeciſſe, & illum nomine ſuo appellaſſe absque ullo Pontificis titulo adjecto, cujus contrarium fecit Cajaphae v. 13. & 24. priori dicit Evangeiiſta: *& adduxerunt eum ad Hannam primum: erat enim Socer Cajaphae, qui erat* PONTIFEX *illius anni*, poſteriori autem: *miſit igitur eum Hannas ligatum ad Cajapham* PONTIFICEM. Et hoc pacto Johannes ſatis aperte indicavit, quem in hac Evangelii ſui parte per Pontificem intelligendum eſſe velit, ſcil. non Hannam, ſed potius Cajapham. Quae de Cajaphae deſcriptione monentur illa inverti, & ad oppugnandam Sententiam illam, cui defendendae excogitata ſunt, adhiberi poſſunt. Dicere optimo jure poſſumus, Iohannem, poſtquam antea Cajapham, tanquam Pontificem ejus anni deſcripſiſſet, poſtea facile intelligi poſſe, quod de Cajapha agat, perſonam, de qua aliquid commemorat, Pontificem appellando. Si quis Ludovicum 15 tanquam regem Galliae delineavit, poſtea ſatis intelligi poteſt, ſi illum tantummodo Regem appellaverit. Si etiam quis de Auguſto Rege Poloniae, deque Stanislao agat, de-

que illo affirmet, quod gubernaculo regni ſit admotus, poſtea non aliter quam de Auguſto explicari poterit, ſi Regis Poloniae mentionem faciat. Et quod deſcriptionem Cajaphae attinet, quod fuerit Pontifex illius anni, illa, me quidem judice, non adeo ad hunc ſcopum directa eſt, ut Cajaphas ab Hanna, qui etiam Pontificis titulum gerebat, diſtingueretur, ſed potius quo ratio pateret, quare Iudaei Ieſum ad Hannam adduxerint ſcil. quod ſocer pontificis eſſet. Ad tollendam alteram difficultatem obſervat Vir ſummus, „ aulam Pontificis non fuiſſe privatam Cajaphae domum, ſed palatium publicum a Pontifice habitari ſolitum, & hoc unum ſupponere ut liceat, exigit, quod Cajaphas Annae ſocero ſuo, ſummaeque dignitatis viro, cui injuria haec a Romanis evenerat, ut Pontificatu, pro illorum temporum more, dejiceretur, id indulſerit, ut in aliqua ejusdem Palatii Parte porro Secum habitaret: vel quod incoluerit aedem palatio huic proximam, idemque cum illo, ut in Oriente frequens eſt, atrium habentem &c. „ Sed, quod ad me attinet, non perſpicio, utrumque illud cum rerum circumſtantiis conſiſtere poſſe. Non enim mihi verſimile eſſe videtur, Hannam privatas aedes non habuiſſe, & cum Cajapha in eadem domo habitaſſe. Nec in animum

nimum inducere poſſum, ut credam, Hannam Palatio illo delectatum eſſe, unde illum Romani expulerant, ſive quod ſocero ejus poſſidendum dederant. Et ab omni quoque veritatis ſpecie abhorrere videtur, quod publicum Pontificis Palatium commune cum privata domo atrium habuerit. Et ſi Hannas tam prope abfuit a Cajapha, qui factum eſt, ut non in idem convenientes conſilia mutua inirent, quo pacto Ieſum interrogatiunculis irretire, & morti tradere poſſent? Hactenus igitur non video rationes ſufficientes, quae me ad mutandum ſententiam meam commovere valeant. Plura de perpeſſionibus Ieſu Chriſti obſervata adjuncturus eram, ſed ne diſſertatio haec debitam menſuram excedat illa Deo vitam, viresque largiente, alio tempore Eruditorum judicio ſubjicere apud animum conſtitui.

II.

GERARDI IOHANNIS LETTE. V. D. M.

DISSERTATIO PHILOLOGICO CRITICA

IN QVA DISQVIRITVR

DE IDOLIS,

QVE VOCANTVR

ADRAMMELECH, ACHAD, ASCHIMA ET *ASCHERA.*

Summarium

§ 1 Prooemium. § 2 transitus ad idolum *Adrammelech.* § 3 *Rabbinorum* somnia. § 4 *G. I. Vossii* conatus felicior. § 5 infelicior *Hilleri.* § 6 qui castigatur. § 7 primigenia notio radicis אדר eruitur ex Arabismo. § 8 *A. Schultensio* אדרמלך vox est composita ex אדרם & מלך. hac nsa de radice דרם, unde derivatum דרום *meridies*, ejusque primaria Stirpe. § 9 *Adrammelech* pro *Saturno* non improbabile. § 10 clauditur *Leusdenii* verbis. § 11 de altero idolo *Achad Esai:* 66. 17. versiones Veteres. § 12 et recentiores. § 14 אחד plurimis est *idolum Phoenicium* Adodus. § 15 *Millii* conjectura laudata § 16 אחד item *formae compar.* & *superl.* proponitur a rad. חדד ejusdem originis cum אחר. § 17 concluditur etiam pro *Fato.* § 18 transitus ad idolum אשימא *Aschima.* § 19 *Rabbinorum* dissensus. § 20 Observatio *Bocharti* de calumnia Cuthaeis impacta.

&ta. § 21 inter *Chriſtianos* non minor opinionum diſſenſus. § 22 Radici אשם lux adfunditur. § 23 conjectura de אשימרת ex Arabismo. § 24 Agmen claudat אשרת. Variae & inſulſae etymologiae. § 25 Luci Diis ſacri. § 26 Vox אשרת non ſemper ſignificat *lucum*, ſed & *idolum*. § 27 inquiritur qualenam *idolum* fuerit. § 28 conjectura pro *Dea fortuna*.

§. 1.

Litteraturae Orientali neutiquam detrimentum adferet, qui penitius *Idola Biblica* perveſtigaverit: Fatendum quippe hac in materia majorem adhuc deſiderari lucem, quam hactenus attulerunt *Docta Ingenia*. Id etiam tentavit Vir incomparabilis, ſuaviſſimusque meus, dum in vivis eſſet, Doctor, ALBERTVS SCHVLTENS, qui ſuis olim Auditoribus exhibuit *ſtricturas breviſſimas* in omnia *Idola Biblica*, quas inter viri magni *ſcripta inedita*, ut κειμηλιον, ſervo.

A longo jam tempore mihi mens fuit, hanc materiam ſane abſtruſiorem, juxta poſita in iis ſtricturis fundamenta, diligentius excutere, & hasce lucubrationes in lucem protrudere: Aſt *muneris Eccleſiaſtici* ratio propoſitum tardavit. Invitatus interim ſaepiuſcule a Viro Clar. & amico optumo, NOVAE hujus BIBLIOTHECAE BREMENSIS FVNDATORE, ut nonnulla & ego conferrem, en, *Lector Humaniſſime*, ſpecimen qualecunque Philologico-Criticum ad illuſtra-

tionem quatuor idolorum, quae in *Sacris paginis* audiunt אדרמלך *Adrammelech*, אחד *Achad*, אשימא *Aſchima*, & אשרה *Aſchera*.

§. 2.

Primo loco videamus de אדרמלך, quod inter *Sepharvaitarum* Numina recenſetur II *Reg.* XVII. 31, atque cum ענמלך jungitur. LXX. ſcribunt ἀδραμμέλεχ. *Alexandr.* ἀδραμέλεχ, quae tamen differentia levis eſt: Major illa *Interpretis* SYRI & ARABIS per litterarum tranſpoſitionem *Ardamlech.* vide BEYER. ad SELDEN. de *Diis Syr. p. 254.*

§. 3.

Magis ad rem facit, ut inquiramus qualis *formae* & *figurae* hocce *Sepharvaitarum* fuerit *idolum*: Parum luminis nobis dabunt *Iudaeorum* deliria & ſomnia. S. IARCHI in *Comment.* ad *h. l.* p. 404. ait. *Adrammelech fuit figura muli.* Similiter in TALMVDE BABYLONICO; aſt in HIEROSOLYMITANO eſt figura *phaſiani.* KIMCHI recenſet etiam *equi, Martis Victoris.* Mirandum, Doctiſſimum BEYERVM eo potuiſſe inclinare, qui p. 323 haec notat: *poſtremae ſententiae favet caeterorum Gentilium* ἱππολατρεία, *vel ſolis equorum cultus, quam ſuſtulit Ioſias 2 Reg. 23. 11.* Meminiſſe utique debuerat vir diligentiſſimus, *Rabbinos* iſti *Adrammelecho* alias adhuc adfricare figuras, ut eſt *pavonis*, mireque cum ענמלך con-

confundere. Recte Cl. BOCHARTVS *Hieroz.* P. II. p. 109. *Kimchii* locum recenſens, hanc addit epicriſin: *utrumque falſum aut incertum: ſolemne enim eſt his hominibus effutire quicquid in buccam, & ſua ſomnia chartae illinere.*

§. 4.

Solidiora fundamenta quaeſiverunt alii. Audiamus magnum G. I. VOSSIVM, celebrem illum de *idololatriae ortu & progreſſu* ſcriptorem, *Lib. II. cap. 5. p. 329. Adrammelech magnificum ac fortem Molochum, ſive Regem ſignat. ſane* אדיר *unum eſt ex Dei attributis, propriequе fortem, ſive potentem, magnum item ac excellentem ſignat: ut Pſ.* 93. 4. Sentis compoſitionem ex אדיר *fortis, potens, excellens,* & מלך *rex*, ut ſit epitheton *Molochi*, ſive *Solis*, quem vir egregius ſub *Molocho* cultum cenſet. Sane haec originatio multorum nacta eſt aſſenſum, atque ferme a *plurimis* extra dubium locata. Nobis quidem illa originatio non diſpliceret, neque contendimus nunc, titulum אדיר *Molocho κατ' εξοχην* applicari non poſſe: Si tamen aliunde major lux adferri poſſit, haecce originatio ſuo loco erit relinquenda.

§. 5.

Deſcendo ad Cl. HILLERI conatum in *Onomaſt: ſacro* p. 603. infeliciorem. *Adrammelech* i. e. אדרא מלך *ignis rex.* Ut ipſum

intelligas, L. H. notanda, quae p. 594. exstant de voce אדר. אדר *Adar, ignis, ab* اذر *Azar, quod Persis ignem & fulmen, ipsumque adeo Deum sonat, non nisi Dialecto discrepat. Solent enim elementa* ز *&* د *frequenter permutari, & Chaldaei pro* חזר *efferunt* חדר, *&* בדר *pro* בזר *dicunt.* GOLIVS *notis in Alferganum:* اذر *Adar & Adur. plerique* ازر *scribunt. utrumque enim antiquis Persis ignem significabat, teste Mesude, seu potius angelum, qui ignibus & focis praeest, ut* CAVINIVS *docet: — Consonat Hebraeorum* אדר, *quod magnificum, &* ἀδρὸς, *quod magnum seu procerum sonat.* Vi de etiam CASTELLI *Lexicon Pers.* p. 13, 23. ubi plura de اذر & ازر: notatur ibidem ازر بزرين esse *magorum* quendam *antistitem*: confer praeterea GOLII *Lex. Arab. p.* 55. in اذار, qui affirmavit *ignis* nomine *Deum* insigniri, *siquidem ignis Persarum & Medorum veterum Deus fuit.*

§. 6.

Speciosa quidem videtur illa Cl. HILLERI conjectura, quae exinde etiam confirmari posset, quod *Sepharvaitae* dicantur huic *Adrammelecho* שרף באש *igne combussisse* filios suos. Censoria tamen virgula notandus Vir Doctus, quod *Hebraicum* אדר vel potius אדור *magnificum* conferat cum اذر & ازر *Persico.* Radix אדר in *Niphal* aliquoties in *Bibliis* obvia, notione *magnifici*, quae haud dubie

dubie eſt ſecundaria: Latinis *magnificus* palam eſt vox compoſita ex *magnus* & *facio*. Si GOLIVM ſub אדר conſulas, vix certi quidquam pro origine invenies. Exponitur ادر *hernia corruptus fuit*, & *laboravit*; quae ſignificatio etiam occurrit in DIWAN HADERATH MSS. ubi de camelis مغابنها مسود ادر *nigris*, *quarum inungues hernioſi*.

§. 7.

Ὁ πάνυ A. SCHVLTENS in *Lexico inedito* obſervat, notionem primariam Radicis אדר ſitam eſſe in *tumore*, ſive *elatione tumida*, unde translatio facta ad *magnificentiam regalem*, eodem plane ductu, quo Graecum κύδος item *magnificentia* &c. productum απο τϑ κυειν *tumere*. Confer conatus noſtros, ad *Deborae & Moſis Cantic. p. 205.* Hinc intelligas GIGGAEVM in *Theſ. L. A. p. 49*, quum ادر exponit *ramicis morbus*, *cum inflantur* (i. e. tument) *teſticuli ob herniam.* itaque אדיר eſt proprie *tumidus*, quod non incongrue ut epitheton *Molocho* tribui poſſet, ſi אדרמלך eſſet vox compoſita ex אדיר & מלך.

§. 8.

Redeamus ad *Adrammelech*, & audiamus quid, dum in vivis eſſet, SCHVLTENSIVS noſter de hocce idolo ſentiebat. Quid ſi vox illa ſit compoſita ex ארם & מלך:

illa sane Etymologia non est quaesita, nec incommoda. Haerebis forte, *Lector*, quid illud אדרם significet, qualisve sit formae. Nobis est forma *superlativa*, quae *Arabibus* per א formatur: Ejusdem formae est vexatum illud אברך *Genes.* XLI. 43. Arabibus ابرك *felicissimus*, sed hicce Geneseos locus a nobis expositus in *Symbol. Litter.* Cl. IKENII *Tom. 3. part. 3. p. 579*; ubi plura exempla talium formarum adducta, quibus GOLII Lexicon est ditandum. Illud itaque אדרם nobis non a radice אדר, sed דרם descendit, cujus unicum derivatum in Bibliis supereſt דרום *meridies.* Apud Arabes دلم exponitur *lente ac prorependo incessu*, unde ادلم sive אדרם est, *qui lente incedit.* Ex hoc itidem fonte Cl. STOCKIVS in *Lex.* tentavit דרום *meridies, quia in plaga meridionali sol tanquam in altitudine sua constitutus brevibus velut passibus incedere observatur.* Hic conatus sane melior, quam frigida aliorum compositio ex דר רום vel דרך *habitans, incedens alte.* Meminisse tamen debuerat philologus, notionem *lente incedendi* aliunde dimanasse: videlicet a *laxitate* & *mollitie*, unde *plagae australi* tanquam *mollissimae* & *laxissimae* nomen inditum videtur.

§. 9.

Nostrum vero אדרמלך, si vertas *regem lentissime incedentem*, habebis planetae *Saturni*

turni iconographiam: *Saturnum* ſub *Molocho* antiquitas colebat: ſed id viri docti abunde oſtenderunt. Planeta illa *Saturnus*, Arabibus audit nomine زحل. in carmine TOGRAI v. 46.

لي اسوة باندحاط الشمس عن زحل

Mihi exemplum eſt in eo, quod inferior ſit Sol ſaturno. Ratio denominationis a Cl. POCOCKIO in *not. ad port. Moſ. p. m. 38.* data *quod multum retrogradus ſit:* لكثرة قهقرته nam radix زحل i. e. quod زال تنحي تاخر *recedere, ſecedere, tardari*, uti in CAMOVSO (vid. A SCHVLTENS in *anim. phil. ad Iob. p. 82*) exponitur زحلت الناقة per تاخرت في سيرها *camelus cunctatus eſt in inceſſu ſuo.* Caſtigandus *L. de Dieu*, uti factum a POCOCKIO in *Specim. Hiſt. arab. p. 390*, dum ait כיון ſive כוון in CAMOVSO explicari رجل ممنوع *vir rigidus, & auſterus*: legitur enim in CAMOVSO زحل ممنوع id eſt, *Saturnus nomen invariabile*, nam hoc ſenſu منوع, quod etiam Viro Docto fraudi fuit, eſt explicandum. Poſtquam haec ſcripſeram, idem obſervaſſe video amiciſſimum SCHROEDERVM in *diſſert. de Tabern. Molochi. p. 15.*

§. 10.

Coronidis loco adjicio, quaenam ſit ratio, quare celebre illud idolum *Moloch* tot nomi-

nominibus in ſacris paginis inſigniatur. Placent LEVSDENII verba in *phil. Heb. mixt. p. 321.* „ reſpectu diverſarum Gentium co-„ lentium haec idola, & reſpectu diver-„ ſae figurae, qua colebatur hoc idolum, „ etiam diverſis nominibus fuit inſignitum. „ Ammonitae idolum hoc, cui ſacrifica-„ bant filios ſuos, vocarunt Moloch, ſed „ Aſſyrii Adrammelech, & Anamelech. „ Moloch ergo quaſi nomen generale fuit, „ quemadmodum nomen בעל Baal fuit no-„ men generale multis competens, ſed „ quatenus ad diverſas reſtringitur gentes, „ etiam diverſis nominibus fuit inſignitum. „ E. g. Aegyptiorum idolum fuit Baal-„ Zephon; Philiſtaeorum Baal-Zebub, „ Moabitarum Baal-peor: ſic etiam Mo-„ lochi reſpectu diverſarum Gentium ali-„ ter fuit nominatum.

§. II.

Pergamus ad alterum idolum אחר dictum, cujus mentio fit in loco obſcuro ESAI: LXVI. 17. המתקדשים והמטהרים אל הגנות אחר אחד בתוך אכלי בשר החזיר והשקץ והעכבר יחדו יספו נאם יהוה LXX hoc modo exprimunt. *οἱ ἁγνιζόμενοι καὶ καθαριζόμενοι εἰς τοὺς κήπους, καὶ ἐν τοῖς προθύροις ἔσθοντες κρέας ὕειον, καὶ τὰ βδελύγματα, καὶ τὸν μῦν, ἅπι το αὐτὸ ἀναλωθήσονται, εἶπε κύριος.*

Mi-

Mirum ſane, unde factum, Hebraicum אחר אחר verſum ἐν προθύροις, ſive ut ARABS habet eodem tramite وقدام الابواب وفي السبا جات *ante Januas & in ſepibus.* Si credas Cl. MILLIO in *diſſ. Sel. p. 272* oculum intenderunt LXX in Deam *Hecaten*, (hanc enim Vir Doctus per אחר intelligit) cujus ſimulacrum *ante fores* ἐν προθύροις collocari ſolebat.

§. 12.

Magna interpretum cohors tam *veterum* quam *recentiorum* illud אחר אחר vertunt *alter poſt alterum*: BELGAE item habent *agter een*, quorum notae ad h. l. omnino ſunt conſulendae, in quibus variorum ſententiae tanguntur.

H. B. STARCKIVS in *not. ſel. ad loca diff. V. T. p. 101.* vertit *ſequentes unam*, nempe *animam.* ſeu ducem, & antiſtitem: obſervat quippe נפש nomen eſſe utriusque generis, adeoque hoc ſupplementum etiam levare *Criſin Maſorethicam*, quae pro אחר legit אחת contr. ex אחרת: alii tamen ſupplent *piſcinam, fontem.* Vide etiam PFEIFFERI *Dubia Vex. p. 738*, cui *Achad* eſt *idololatrarum choragus* in medio caeterorum conſtitutus.

§. 13.

Haud deſunt tamen, quibus אחר eſt idolum, & quidem illud celebre *Aſſyriorum*, quod

quod dicitur *Adad*, sive *Adodus*, (vide etiam MVSAEVM BREM. T. I. p. 291) de quo non tantum apud *Sanchoniatonem* dicitur, quod sit *Βασιλεὺς θεῶν*, sed etiam apud MACROBIVM *saturn. L. I. c. 18.* ubi vocabuli est interpretatio, videlicet quod sonet *unus*. Observat ad h. l. VOSSIVS de *orig. & progr. idol. L. I. p. 169. Sed sunt quae scrupulum injiciant: nam unus Assyriis seu Chaldaeis & Syris est* חד, *Hebraeis* אחד, *quare existimet aliquis apud Macrobium, pro Adod rescribi Achod oportere, verum obstat, quod & ἀδωδὸς sit apud Sanchoniatonem, sive Philonem Byblienſem, quare potius censeo Macrobium vel alium, qui Macrobio imposuerit, vicinitate vocabulorum Adod & Achod fuisse deceptum.* Confer quae habet p. 336, ubi *solem* sub *Adodo* adorari censet, atque nomen suum accepisse sive a חור *pulchritudine* sive ab עדורת *ornamento.*

§. 14.

Pro *Adad*, sive *idolo Phoenicio* stant etiam SCALIGER, SELDENVS, BOCHARTVS, GROTIVS, STANLEIVS, VITRINGA aliique, quorum opinioni sequentia non immerito opponit Cl. MILLIVS *dissert. laud. p. 268.* „diversus est Adadus a nostro אחד, „neque allata video exempla mutati ח in ד, „ut ex *Achad* fingatur *Adad*: neque *Adad* si„gnificat *unus*, licet in lingua Punica חדד „idem significare credat Bochartus levi su„spi-

„ſpicione inductus. Quare erraſſe Macro-
„bium in hujus vocis expoſitione rectius ju-
„dicavit Seldenus: ne dicam cultum huic
„idolo exhibitum alii potius quam Adado
„aut Soli convenire, vti ex mox dicendis
„ſtatim patebit.„ Monere hic potuiſſet Cl. MILLIVS, BOCHARTVM in errorem prolapſum in *Geogr. Sacr.* p.m. 731, dum vult, non tantum הדד apud *Phoenices* unum ſignificare, ſed *etiam Talmudicis* הדדי *(hadade) adverbium eſſe una, ſimul pariter.* Illa vox הדדי non eſt a radice הדד, ſed palam eſt compoſita ex הדה *hicce*, & דר *hic* q. d. *hicce cum hoc* praemiſſo ל, להדדי. vide BVXTORF. *Lex. Talm. p. 594.*

§. 15.

Ultimo loco memorari & laudari meretur Cl. MILLII conatus, qui in haud vulgari diſſertatione probare annititur, אחד eſſe celebratiſſimam gentium Deam *Hecaten*, quae alio nomine *Proſerpina* audit, quae & ab אחד nomen ſuum ſit ſortita. Sic enim p. 268 ſcribit vir in literatura Orientali verſatiſſimus. „ equidem illa vox „ אח hanc Deam manifeſto deſignare vi-
„detur, utpote quae facillima ratione in
„Hecaten tranſire potuit: ſolet enim א O-
„rientalium in ε Graecorum & *e* Latino-
„rum abire: Sic Ectabana e Perſico باطن
„Abadan; etiam cum adſpiratione, quia
„א

„א eſt litera gutturalis, ut Heliogabalus „الهجبل — Dein ח frequentiſſime per„mutari ſolet cum א ſublata adſpiratione— „ד denique frequenter mutatur in ת ejus„dem originis literam.

Reliqua in diſſertatione eleganti legi volo. Interim obiter obſervo J. CLERICVM in Indice ad T. STANLEII *Hiſt. philoſ. Orient.* jam ſuſpicatum, per *Achad Hecatem* eſſe intelligendam: *Forte, ait, Chaldaei vocabant hoc numen* אחדה, *quod apud Arabes unam ſignificat.* Sed in voce *Ada* notat: *eadem eſt ac* חדא *Chada, unde forte natum in oraculis Hecates.*

§. 16.

Scrupulum forte alicui injiciet, quod magnus MILLIVS in voce אחד recurrat ad *Aramaeum* אחז *tenere, continere, dominari;* vt אחד eum ſignet, qui, quia tenet, tuetur, congregat, & conjungit omnia, Summam potentiam & dominium habet.

Videamus itaque, num iterum aliunde lux quaedam adfulgeat. Quodſi illud אחד aeque ad praecedens ארם ſit formae *comparativae* & *ſuperlativae* a radice חדד, unde אחדד & media radicali per defectum eliſa אחח. Ita ſaltem ſuſpicabatur A. SCHVLTENS. Illa radix חדד in reliquiis Biblicis aliquoties obvia, notione *acuti, pene-*

penetrantis: de *gladio Ezech.* XXI. 9, eſtque חרה epitheton חרב *gladii Eſai.* XLIX. 2. Apud Arabes حديد ſignificat *ferrum;* unde in ADAGIIS GOLIANIS p. 134. لا يقطع حديد الا بحديد *non ſecatur ferrum praeterquam ferro.* Vide etiam *Monum. Vet. Arab. p. 36* ABVLOLAE *Carm.* p. 234, 242, atque ſexcenta loca, quae facili negotio notari poſſent.

Formam *ſuperlativam* احد fruſtra quaeſiveris in GOLIO: exſtat tamen in EXCERPTIS EX ISPAH. p. 14 والجد الاجدّ والحد الاحدّ *Studio ſtudioſiſſimo,* & חד אחד *acie acutiſſima.* Obſerva paranomaſiam ab hoc auctore ſæpius captatam.

Placuit non nullis *Prov.* XXVII. 17 ברזל בברזל יחד exponere *ferrum ferro acuitur;* ſi ibi יחד ſit a radice חדד, conferendum eſſet Arabum familiare gnomon الحديد بالحديد يفلع *ferrum ferro finditur.* Rectius tamen ſtatuitur radix חרה *hilarari.* Sed inſpice celebrem *Commentatorem* ad h. l.

Monere inſuper oportet, radicem אחר ejusdem fuiſſe originis cum חדד, unde in loco *Ezechielis* XXI. 16 התאחדי vulgo *aduna te,* rectius vertas, *exacue temet ſubtiliſſime:* ibi enim de *gladio* palam ſermo eſt.

§. 17.

Concludimus tandem noſtrum אדר eſſe *neceſſitatem inflexibilem, & rigidiſſimam, qualis eſt vel mortis divinitate quadam indutae, vel Fati mortem infligentis, quod eſſe Maximum Numen credidit ſuperſtitio, cujus rigori ipſi Dii etiam erant obnoxii.* ita in ſtricturis ineditis ſcribit Cl. SCHVLTENS, atque haec non parum faciunt ad ſtabiliendam Cl. MILLII ſententiam pro *Hecate* ſive *Proſerpina.*

§. 18.

Inter *Hamathaeorum* idola nobis ſe obfert אשימא, nam II *Reg.* XVII. 30 dicitur אנשי חמת עשו את אשימא *Hamathaeos feciſſe Aſchima.* Vox illa itidem ſolitaria, qua via factum, ut in eius explicatione haerent praeclara ingenia.

§. 19.

ELIAS in *Thisbi* ad vocem אשמאי p. m. 19 obiter notat, שרוא הקיף וכן נקרא בלעז שומיא Significare *Simiam:* Si ſolido fundamento haec etymologia eſſet ſuperſtructa, haud foret difficile e monumentis vetuſtis demonſtrare, *Simiarum* cultum in Oriente non eſſe incognitum, uti verbulo etiam tetigit BEYERVS *p. 319.* Interim apud Rabbinos nulla harmonia, nam cum ELIAS in Thisbi de *Simia*, RASCHI aliique cogitant de תיש ſive *hirco*, quaſi ille ſic dictus eſſet

ab

ab שמם *deſolari.* q. d. *hircus vaſtatus,* aut *deſolatus* i. e. *calvus.* Notat in *Lex. Talm. Buxtorfius* illud אשימא in *Talmude* Hieroſ. explicari per אמריא ſive *ovem.* Jam *Simiam, hircum* & *ovem* habemus, quae omnia nos in tenebris palpare faciunt. Attamen LEVSDENIVS in phil. Heb. mixt. p. 320. ſtat pro *hirco*: Sic enim ille: *multae Gentes hircum coluerunt; Aegyptii ſignum arietis: ac propterea non ſolum prohibitum inter ipſos fuit mactare oves, ſed etiam in ſummo contemtu & abominatione fuerunt paſtores ovium: hinc dixit Moſes: ecce ſacrificabimus abominationem Aegyptiorum. Ad hunc modum ex aliis quidam fuerunt, qui Daemones colentes, exiſtimarunt, quod formam hircorum habuerint: unde & Daemones* שעירם *i. e. hircos appellabant.*

§. 20.

S. BOCHARTVS *Hieroz. P. I. p. 649* explodit *hircum* iſtum Rabbinicum: *hoc tam fabuloſum puto, quam quod habet Aben Esra in præfatione in librum Eſther, Cuthæos ſive Samaritanos initio Pentateuchi pro* ברא אלהים *creavit Deus, ſcripſiſſe* ברא אשימא *creavit aſima, quod falſum eſſe vel pueri jam ſciunt, cum in omnium manibus verſetur Samaritanorum pentateuchus, in quo primus verſus idem eſt, qui in editione judaica, nec Aſima in toto opere nominatur usquam.*

An mens ſummi BOCHARTI circa Iudæorum calumniam de Cuthæis hæc eſſet, quod vox אשימא in *pentateucho Samaritano*

nusquam legatur? Tum errat haud dubie, nam CASTELLVS in *Lexico Heptagl.* p. 243. nominat אשמת *hirci genus Deut.* XIV. 5, dubitanter tamen, an vox sit Samaritana; in loco *Geneseos* revera hæc vox non legitur, rectèque monitum ab A. SCHVLTENS: *isti subtili calumniae ansam praebuit usus vocis* שם *nomen, quod ipsi Iudaei frequentant pro nomine divino, unde Samaritana Dialectus formavit addita ad finem emphasi* שמא, *quo vulgus pronunciat Schima, addito* א *ut fiat* אֲשְׁמָא *vel* אַשְׁמָא. Idem notatum a DRVSIO, teste PFEIFFERO *p. m. 452* & à RELANDO *diss. Misc. de Samaritanis* P. II. p. 57.

Posthabitis itaque *nugamentis Rabbinicis*, videamus, num inter *Christianos* solidius quid certiusve inveniri possit. Magnus SELDENVS hic haeret, nec suam hac de re dissimulat ignorantiam. *Hamathitarum Deus Asima quid fuerit, non capio.* Interim BEYERVS, qui insigni commentario *Seldeni* labores auxit, se iis associat p. 320, qui *cercopithecum* intelligunt, de quo IVVENALIS sat. 15. Ast HILLERVS in *Onom. Sacr. p. 609* proponit Arabum اسامة *Leo. Leo*, sic pergit, *autem Symbolum solis, qui scilicet patenti igneoque oculo, terram conspectu perpetuo atque infatigabili tueatur: compositum ut videtur* (hoc nomen) *ex nominibus* است *Esthon id est res horrenda, &* ايمة *i. e.* אימה *quod formidinem sonat, unde*

vox

vox Aſchima notet horrendum formidandumque Numen. Nemini talis originatio & inſulſa conflatio placere merito poterit.

J. H. REITZIUS ad *Goodwin. p. m. 425.* dubitanter ſcribit: *quidſi Pan ſtatueretur eſſe* Huic conjecturae anſam dedit *hircus*, de quo ſupra. Cl. VITRINGA ad *Eſai. X. 11.* p. 271 in not. cogitat de *Marte* Deo bellicoſo ſic nuncupato a radice אשם quatenus *vaſtationem* ſignificare dicitur. Id ſolidius, modo conſtaret hanc notionem, quae radici שמם proprie convenit, etiam ſub אשם reſidere.

§. 22.

Ne amplius in tenebris ſedeamus, ipſa radix אשם, cujus derivatum eſt noſtrum אשימה ex Arabiſmo eſt illuſtranda. In Lexicis Hebraicis gaudet notione *reatus, delicti*, quae variis in locis conſpicua etiam ſub derivato אשם. Haec omnia confirmantur Arabico اثم notione *peccati, reatus, culpae*: apud HARIR. *Conſeſ. II. p. 90* فقرا *recitavit ex corano, eſſe ſuſpicionem, crimini proximam.* Plura loca non exſcribo. Vide CORAN. Sur II. 79, 177 XLIX. 12 *Hiſtor. Tim.* p. 40 *& alibi.*

Hae notiones tamen haud dubie ſunt ſecundariae, nam apud GOLIUM nec volam nec veſtigium originis invenies. For-

te ea latet ſub vicino وثم *contudit*, & quidem ut laedatur, veluti quum pes lapide tunditur & laeditur: ipſi *lapides* vocantur وَثِيمَةٌ. Redeo ad Hebraicum אשם: creditur in non nullis locis praeter notionem *reatus*, etiam habere illam *vaſtationis* ex vicino שמם. Sed loca illa, ſi attentius inſpiciantur, hanc notionem haud exigunt neceſſario. E. g. *Eſai.* XXIV. 6 *id circo exſecratio commedet terram*, ואשמו *& deſolabuntur habitantes in ea.* Sic vulgo: gravius & ſonantius: *& reatum mortis contrahent.* Similiter *Pſalm.* V. 11 האשימם אלהים vulgo *vaſta eos o Deus!* Quidni, *reos age*, tandem in loco inſigni nec bene intellecto *Hoſ.* XIV. 1 תאשם *deſolata eſt Samaria:* reſtitue *rea eſt*: & ſic in reliquis, quae cuilibet plana erunt.

§. 23.

Reſtat noſtrum אשימה verbulo illuſtrandum ex Arabiſmo: in GOLIO derivatum أُثَـامٌ variis gaudet ſignificationibus: exponitur etiam *nomen vallis ſeu fluminis in inferno, ſtyx vel orcus: quod ibi torqueantur fontes & inſontes.* Styx ſive στύξ proprie eſt fons ad Nicanocrim Arcadiae, cujus aqua tanti eſt frigoris, ut, qui inde biberint, moriantur, ſed haec aliunde nota. *Styx* illa ſive *orcus* Arabibus jure merito أثام audit,

audit, quia *reatum*, ſive *poenam* infert: Fieri jam facili negotio poteſt, ut אשימה fuerit idolum ſic nominatum, quod in reatum incurrere faciat omnes, qui juſtum cultum & obedientiam non exhibent. Manet tamen incertum, quodnam idolum fuerit: ſuffecerit interim anſam in re obſcura aliis praebuiſſe.

§. 24.

Agmen hac vice claudat idolum אשרה *Aſchera*. Vox illa in ſacris ſaepius proſtat notione *luci*, ſeu *nemoris*: Loca in Lexicis patent. Derivatio & Etymologia vocis non omnibus eſt eadem. Meri ingeniorum ſunt luſus, *lucum* eſſe denominatum ab *ambulatione* petita ex notione אשר *inceſſit*. Alii haerent in *beatitate*, quam Idololatrae in lucis, cultuque ibi praeſtito quaerebant. Nonnullis tandem per Antiphraſin *lucus* eſt quaſi *minime beatus*, ut Latinis quaſi *minime lucidus*, in qua origine haud dubie erratur, licet ea ipſi QUINTILIANO arriſerit. Vide VOSSII *Etymol. p. m.* 296.

§. 25.

Lucos Diis fuiſſe ſacros res eſt notiſſima, in quibus idololatrae ſua fana & templa habebant. Veſtigia etiam in Sacris reperiuntur. Putabant metum terroremque per tenebras lucis proprias cordibus injici.

Sic SENECA *Lib. V. Epiſt.* 41. *ſi tibi occurrit vetuſtis arboribus, & ſolitam altitudinem egreſſis, frequens lucus, & conſpectum coeli, denſitate ramorum aliorum alios protegentium, ſubmovens: illa proceritas ſylvae, & ſecretum loci & admiratio umbrae, in aperto tam denſae atque continuae, fidem tibi Numinis facit.* Conſpirat LUCANUS Lib. III. v. 423

— — *medio cum Phoebus in axe eſt,*
Aut coelum nox atra tenet pauet ipſe ſacerdos
Acceſſus; dominumque timet deprendere luci.
Hanc jubet immiſſo ſilvam procumbere ferro:
Nam vicina operi, belloque intacta priori
Inter nudatos ſtabat denſiſſima montes.
Sed fortes tremuere manus, motique verenda
Majeſtate loci.

vid. *not.* Cl. OVDENDORPII. Pulchre VIRGILIVS *Georg. Lib. III. v. 333.*

— — — *aut ſicubi* NIGRVM
Ilicibus crebris ſacra nemus accubet umbra.

Recte EMMENESSIVS p. 521 illud *nigrum* explicat de denſitate arborum, quæ umbram efficiunt.

In lucis montibusque lucis proximis non tantum Dii colebantur, ſed eo etiam adſcendit ſuperſtitio, ut ipſae *arbores* divino honore fuerint cultae. Vide BEYER. ad

SEL-

SELDEN. *p. 294* &c. & J. G. LACKEMACHERI *Antiq. Graec. p. 138. &c.*

§. 26.

Apprime a Viro Doctis notatum, vocem אשרה non ſemper pro *luco* eſſe ſumendam, ſed aliquando pro ipſo *idolo*. vide II. Reg. XXI. 7 ubi de rege idololatra *Manaſſe* dicitur quod poſuerit פסל אשרה *in domo Dei.* LXX vertunt γλυπτον τῆς ἄλσεως *Sculptile luci.* BELGAE *een geſneden beeld des boſchs*: Intelligunt ergo imaginem ſculptam idoli in luco poſiti & culti. II Reg. XXIII. 4 laudatur *Ioſia*, quod juſſerit e templo Dei auferri omnia inſtrumenta, quae facta erant לבעל ולאשרה *pro Baale & Aſchera.* BELGAE ibi & v. 6. 7. ſupplent *het beeld des boſchs*; aſt v. 15 vertunt וישרף אשרה *ende hy verbrande het boſch.* Conf. ED. SIMSONII *Chronicon Cathol. p. 427. edit. Weſſelingianae.*

§. 27.

Mihi veroſimile videtur in iſtis locis אשרה ſumendum pro *idolo* ipſo, & פסל אשרה non eſſe *ſculptile luci*, ſive *idolum in luco cultum*, ſed *ſculptile*, ſive *imaginem ſculptam* idoli אשרה dicti: inquirendum itaque, quale idolum illud fuerit, & qua ratione hoc nomen numini inditum. HIERONYMUS, uti me docet COCCEJUS in *Lex. p. 70.*

autumat fuisse *Priapum*. SELDENVS vero cogitat de Dea *Astharoth* ob litterarum vicinitatem. *Rabbini* tandem manent in significatione *luci*; uti R. KIMCHI, & LEVI BEN GERSON.

§. 28.

Forte, nam in re incerta nihil temere statuendum, per אשרה intelligitur *Dea Fortuna*. de qua vide BEYER: ad SELDEN. p. 194 aliosque. Illa *Graecis* audit ἀγαθὴ τύχη. Apud *Orientales* vero sic dicta videtur a *beatitate*, qua alios ditare creditur. Illa notio *beatitatis* residet sub אשר in *pibbel*, & derivato אשרי *Ps.* I. 1 &c. proprie *beatitates*:

Haerere tamen posset aliquis, undenam illa notio *beatitatis* manaverit, & quae hinc adeo differt, *incessus*, nec non unde *nemori* nomen inditum. Idea *coruscandi* & *micandi* omnem tollit scrupulum. *Micat* & *coruscat dignitate*, *laetitiaque*, qui *beatitudine* quadam augetur. *Micat* itidem, qui *incedit*, atque *vestigia*, ut *notas* post se relinquit. In *nemore* arborum *rami coruscant*, Idea Latinis etiam notissima. Sub *Arabum* اشر hanc *Coruscationem* invenies: in GOLIO quippe exponitur *coruscavit fulmen*: Hinc orta significatio *laetitiæ*, quae se per hanc radicem latissime diffundit. Ipse GOLIVS contulit Hebraicum אשר: imo notio *secandi* hinc fluit;

fluit; uti & gloſſae reliquae etiam ſub اثر ex hoc canali dimanant, atque in ordinem redigi poſſunt. **

** Forte pl. Rev. & Doctiſſimi Auctoris ſententia illuſtrari poteſt, ex *hortis*, nemoris quodam amoenioris genere, irriguo aquis & fontibus, religioni & luſtrationi ſacro, qualis Daphne fuit, famoſiſſimus Antiochenorum lucus, in quo fana erant Apollinis & Dianae, & qui ſpeciem habuit *Paradiſi.* Horti hi ad majorem *Voluptatem*, *amoenitatem* & *laetitiam* erant ad aptati, uti hoc diſcrimen annotavit cel. VITRINGA in *Coment. ad Jeſ. I, 29. 30. LXV. 3. LXVI, 17.* N. B.

III.

AMBROSII DORHOUT

V. D. M. DOKKVMENSIS *

MEDITATIONES PHILOLOGICAE

in GEN. XIX. 20.

הנה־נא העיר הזאת קרבה לנוס שמה והוא
מצער אמלטה נא שמה הלא מצער הוא ותחי
נפשי

§. 1.

Antequam locum hunc ventilemus, & sensum ejus expiscemur, brevibus Criticen Hebræorum contemplemur de lectione hujus versus.

§. 2.

* Edidit nuper *Vir pl. Reverendus & Doctissimus* lingua sua vernacula *Commentationem ad 1 Chron. III. 18. sqq.* ubi Genealogia Zerobabelis ex hoc loco cum ea, quam Judæi tradunt, comparatur, & exinde Genealogiæ Servatoris nostri, apud Matthæum & Lucam exstantes, novo lumine illustrantur. Legimus hanc commentationem cum voluptate & gavisi fuimus de insigni fructu, quem Eruditissimus Auctor, in Rabbinorum scriptis optime versatus, ex studio suo Rabbinico reportavit. Doluimus autem, quod non nisi ab eruditis in Belgio & vicinia legi possit doctissima haec Commentatio. Audeo fere

ad

§. 2.

In *Maſora Marginali* notatur ad קרבה bis illud occurrere, defective ſcriptum, קרבה ſc. non autem קרובה cum cholem, quod in ו quieſcit. Verum in *Maſora finali* dicitur, ter inveniri קרבה: ſed bene eſt, *marginalem* Maſoram addere ופי אויל, innuens locum Prov. X. 14. ubi eſt ופי אויל מחתה קרבה. Tertius locus, ubi defective vox occurrit, ſit Pſ. XXII. 12. Notandum tamen in Codice Samaratino ſcribi plene, non defective קרובה heic loci.

§. 3.

Ad שמרה notat Maſora, eſſe 4 verſus, in quibus occurrit bis שמרה. ſed in *finali* Maſora eſt, dari quinque verſus, in quibus ſit שמרה qui allegantur 2 Reg. cap. IV. igitur vitio ד ſcribitur pro ר hic loci in Maſora.

§. 4.

Ad מצער notatur quater occurrere, danturque loca. In Maſora *finali* idem eſt. Inde colligendum, cum quintum occurrat צוחים

ad Reipublicae Literariæ & Chriſtianæ civitatis & Exegeſeos ſacræ commodum flagitare abs Viro Doctiſſimo, ut Commentationem hanc in Eruditorum linguam vertat vel verti curet, & Bibliothecam noſtram hoc munere ornet, ut ita obſervationes hae plurimorum examini ſubjiciantur. N. B.

במצער אנשים quia id cum (-) sit propter regimen, מצער ab hoc discerni.

§. 5.

Præterea notat Masora אמלטה diverso accentu notatum occurrere: in ultima & penultima sc. & esse tales voces 12. Docet nos Rabbinorum crisis hæc, quanta cura olim invigilaret Synagoga, ut sartam tectamque custodiret veritatem: σωτηριον credem inde esse, quod naevi adeo pauci invaserunt sacrum Codicem.

§. 6.

Videamus jam de sensu hujus loci. Hunc ut eruamus, utile erit contemplari, qui verba nostra cohæreant cum præcedente oratione, ut pateat, à quonam, & quanam occasione & quare dicta sint.

§. 7.

Narrat s. Historia Lothum incolam Sodomæ, a quo tempore à patruo Abrahamo secesserat, hospites excepisse Angelos, missos ad urbem illam cum vicinis urbibus evertendam. Hi autem Viro Sancto aperuerunt, quæ ipsis in mendatis erant tradita, addentes jussum de exeundo ex urbe & educendis Uxore, liberis &c. Monuerat Vir sanctus generos, vellent ne una evadere, sed incassum. Igitur, quum dies adesset,

eſſet, quo judicium Dominus exerceret contra Sodomam, iterum Angeli Lothum incitabant ad exeundum ex hac urbe; & cum moras necteret, arrepta manu Ipſum & domeſticos ejus educebant extra urbem, addito mandato אל תביט אחריך *ne conſpicias pone te, & ne conſiſtas in planitie hac univerſa, fugito in montem, ne intereas.* Αμεταφεπτι Platonium comparabile de leg. l. 1. 10.

§. 8.

Habemus, quæ reſponſi loco Lothus dicit v. 18. *Et dixit Lothus ad eos:* minime quæſo Domine אל נא ארני.

§. 9.

Obiter notetur *Maſoram* non tantum monere ארני hoc eſſe קדוש, ſed *Jarchium* etiam pro gloſſa ad hunc locum habere, *Magiſtri noſtri dicunt* שמם דה קודש *nomen hoc eſſe Sanctuarium:* ſc. Nomen eſſe Dei. Quod ea ipſis ſtet ſententia patet ex iis, quae addit שנאמר בו quia dicitur de hoc Domino v. 19. להחיות את נפשי *ad animam meam incolumem ſervandam, cujus in manu eſt vivificare & diſperdere,* ei ſc. competit ארני. Addit porro, ut amplius hoc urgeat, Thargum habere בבצו כצן יהוה Id ita eſt. *Onkeloſus* ita habet, in Buxtorfiana Edit. tantum abeſt כצן, ſed in *Pariſ. Polygl.* eſt manifeſtum & turpe vitium;

pro

pro יהוה enim ibi invenitur רבוני, quod ex *Jarchio* erroris convincitur.

§. 10.

Verbum omnino addendum est, firmari lectionem illam *Onkelosi* ex *Thargumo Hierosolymitano*, ubi legere est, *dixit illis, parum temporis hic manete, usquedum misericordiam flagitavero coram Jehova* קדם יהוה. *Thargum Jonathan* solitus firmare hujus vestigia, similia plane habet.

§. 11.

Mirari lubet in *Jarchio* ingenuitatem: Adeo sine ullis ambagibus veritati testimonium non denegat. Vincit hoc nomine contribulem *Aben Esram*, qui non ita generose agit. Obnititur veritati, asserens, ארונו esse חול profanum: Dicere vult esse nomen Creaturae; quare autem vox Kamets habeat, non autem patach, id esse propter finem versus, sc. dolo malo hoc affert homo hic, quia pulchre intelligit hoc nomen esse קודש, & nonnihil inservire posse firmando hypothesin Evangelii, cui ἐναντια πραξαι pro viribus in animum induxit suum.

§. 12.

Discere hinc est quam clarissime, magno usui esse posse ad intelligendam S. Scripturam Expositiones & Paraphraseis, quae

ævi

aevi ſunt antiqui, quaeque integrae ad noſtras manus pervenerunt. Magiſtri, quos *Iarchius* citat, quique cum *Thargumim* eadem in ſententia perſtant, ſi per manus perverſas vitium non contraxerunt, immenſum quantum recentioribus Magiſtellis praeſtant.

§ 13.

Eſt autem res digna contemplatione ſeria. Qui dogma Trinitatis rejiciunt, vix ac ne vix quidem ſe hic extricare poſſunt. *Philo* Iudaeus exemplo eſt, vid. in Adv. Trin: Angeli מלאכים memorantur hic loci, tanquam Cap. 18 praecedente, atque loquuntur pro auctoritate non tantum, ipſus altiſſimus cœli ac terrae Dominus prout loqui aſſolet, ſed etiam, qui homines ad hos מלאכים verba faciunt, aliter non inſtituunt loqui, quam ſi Deum praeſentem & coram alloquerentur. Duriſſimum eſt cum *Grotio* dicere, Angelos creatos ſibi nomen & auctoritatem ipſius Domini ſumere

§. 14.

Reſumamus jam filium *Orationis*. Lothus reſpondebat illis. *Minime quæſo, Domine. Ecce utique Servus Tuus invenit gratiam in oculis Tuis, & benignitatem Tuam erga me feciſti magnam, ſervando animam meam incolumem. Me*

jam quod attinet, non potis sum aufugere in montem, etiam adhærebit mihi malum, ut moriar. Obiter nota ad hæc verba intelligenda. Ita mihi videtur, vix ac ne vix quidem sensum verborum assequuntur, qui censent detractare Lothum fugam in montana, quia conjiciebat judicium Divinum adeo urgere & prope adesse, ut in montem longius dissitum non posset venire, antequam Divina vindicta adesset. Ita Cl. *Rivetus.* Quæsonam, qui potuit hoc in animum inducere, quum tempus, quantum eo veniendo sufficeret, utique concederet, qui perniciem urbium moliebatur & Lotho prædicabat.

§. 15.

Ineptissime *Iarchius*, cui videtur nodus vindice dignus, quare Lothus aufugere in montem noluit. Conjicit acutissimus Magister, in monte habitasse Abrahamum, ideo illuc noluisse advenire: *cum habitavi cum Sodomitis,* הקבה *Sanctus, Benedictus vidit opera mea & opera Sodomitarum, & inventus fui justius* וכשאבוא אצל צדיק *cum autem veniam apud justum* (Abrahamum sc.) *ero tanquam impius.* Multum delectatur hac conjectura, quam hausit ex antiquo Comment. בראשית רבא sed mihi eam non approbat.

§. 16.

§. 16.

Cenſeam ego, ſicubi alias omnino hic Virum ſanctiſſimum oſtendiſſe ſe vera ſapientia refertum fuiſſe, Γνωθι σαυτον celebratiſſimum eſt jam olim inter Græcos. Difficillimum eſt ſe noſcere, ſuas infirmitates & vitia ſua perſpecta habere per agnatam φιλαυτιαν, & per tenebras, quibus intellectus noſter jam inde a teneris occupatus eſt, tantum non eſt εκ των αδυνατων. Gratia igitur opus eſt nobis, ut ad hoc apti ſimus: gloriabor ἐν ἀσθενειαις, ubi enim ἀσθενω τοτε δυνατος ειμι, ita Apoſtolus 2 Cor. XII. 10. Vicit Lothus inbecillitatem ſuam, in quantum rebus hujus ævi, quæque poſt tergum relinquenda ſunt (ut eſt Phil. III. 14. phraſi forte ex hac hiſtoria petita) in quantum, inquam, illis vanitatibus animus adhæreret, & quaſi affixus eſſet. Deum enixe igitur rogat, aſylum ſibi concedat ſalutis non ita longe diſſitum, ſed propius quod ſit, quam mons, qui ſignabatur.

§. 17.

Laudatur in S. S. in precante ἐκτενεια & ἀναιδεια etiam. Quid facit Lothus, ubi Dominum invocat tempore ſummæ anguſtiæ, quacum ipſi erat conflictandum? Audaculus eſt, in animum inducit Domino locum monſtrare, in quo ſalvari velit.

§. 18.

Sequitur quod est v. 20. הגה־נא העיר וגו *Ecce, quaeso, urbs haec proxima est ad eo aufugiendum.* Manifestum est, digito quasi Lothum ostendere urbem in conspectu assitam. In hanc petit concedere sibi Deus vellet ad salutem aufugium. Is nitor est & elegantia naturalis in dictione & phrasi sacra, quae omnino notari meretur. *Longinus περι ὑψους* Mosen celebrat tanquam eloquio praestantissimum. Res literatos inter notissima est. Clarissimus graecus Rhetor *νοησει* imprimis non *ρησει* censet Eloquentiam constare. Moses *δυνατος ἐν λογοις* vere, ut est apud Stephanum Act. VII. 22. summam oris & eloquii commendationem ubique praefert. Sunt luculentissima exempla in libris, quos Vir praestantissimus nobis instinctu Spiritus S. reliquit. Qui locus jam prae manibus est, evidentissimum praebet argumentum. Coecus sit & imperitus, qui id non conspiciat in narratione de Lotho a Deo flagitante, propius ut sibi *κρησφυγετον* concedere velit. Perinde est, ac te coram Virum sanctum precantem audias, adeo summus Artifex nativum leporem narrationi intexuit. *Ecce, quaeso urbs haec proxima est ad aufugiendum illuc* והוא מצער *aufugium* obsecro illuc הלא מצער הוא *utique illud paucillum, & anima mea vivet*, ita vivere potest, alias non; sum ego probe mihi

mihi imbecillitatis meae & ἀδυναμιας optime conſcius. Ἐκτενειαν & ἀνειδειαν, quae in precante adeo commendabilis, vix ac ne vix quidem melius nobis ob oculos ponere Sacer hiſtoricus potuit. Summa anguſtia impellebat Virum ſanctum ad urgendam petitionem ſuam, affert rationes, quibus, quod rogat, urget; ingeminat identidem cauſas, adhibet πειθαναγκην; vi utitur, ut Deum Ejusque gratiam vincat & ad ſe flectat. Dico in narratione Moſaica hoc quam clariſſime attento lectori ſignificari, & in pergula aut tabella quaſi depictum proponi.

§. 19.

Fateor, ſi Interpretes huius loci conſulas, tum veteres tum recentiores, quae hic inveniuntur, ſpiritu & vita & omni honore & decore caſſa eſſe. Ne gravius quid dicam, ineptus eſt ſermo & elumbis oratio, quam Lotho affingunt interpretes, atque adeo etiam Summo ανθρωπω Θεω, puta Moſen.

§. 20.

Vulgatus Interpres verba verſus noſtri, ubi Romano ſermone affert, cum Interpretis ſit, ſanum ſenſum exprimere ex dictis, quae prae manibus habet, minime mihi videtur in id incubuiſſe; multum li-

bertatis & nimis vere sibi sumens; extundit tamen nil intelligibile aut tolerabile. *Est civitas haec juxta, ad quam possum fugere, parva, & salvabor in ea, numquid non modica est, & vivet anima mea?* Quid videtur L. B., libere dicam. Requiro fidem, quae in Interprete utique necessaria est, & praeterea desidero hic etiam communem sensum. Προσευξομαι τω νοι, uti est 1 Cor. XIV. 15. Sed an Lotho sana mens constitit, si instituit effutire verba omni ingenio & sensu carentia.

§. 21.

Habuit tamen *Latina Versio*, cujus vestigia premeret. *Graeci* praeivere, quos solet Duces sequi alias. Ὁι ὁ versum nostrum dant hoc modo.

Ἰδὲ πόλις αὕτη ἐγγυς τοῦ καταφογεῖν με ἐκεὶ, ἥ ἐστι μικρά, καὶ σωθησομαι, οὐ μικρά ἐστι, καὶ ζήσετει ἡ ψυχή μὲ ἑνεκεν σου. Credam nonnihil labis & spurcitiei contraxisse versionem graecam, aevi longinqua vetustate. ἑνεκεν σου affictum est, & καὶ σωθησομει forte mutandum in ἐκεὶ σωθησομαι. Verum in textu est הנה נא, apud graecos נא videtur omissum. Idem observare est apud *Syrum* Interpretem. Sed ego pertendam, נא omnino adesse debere. Uti in Hebraeo est, legit *Onkelosus*, & ita etiam habet *Samaritanus* Codex. Censeam igitur male

male *Graecum* & *Syrum* voculam hanc neglexiſſe.

§. 22.

Praeterea והוא מצער *Graecus* & *Latinus* ſumunt relate ad *Zoaram*, ut ſignificent voces *urbem eſſe exiguam*. *Onkeloſus* & *Syrus* eo etiam trahi poſſunt. Sed ſi attentius horum verſiones conſideres, poteſt etiam ſuboriri ſuſpicio, aliud in animo habuiſſe citatos Interpretes, quam vulgo videntur habuiſſe. Scilicet, notum eſt, Hebraeos, uti etiam Aramaeos, adjectivis in genere Foeminino uti, pro quo Latini adhibent Neutrum. Exempla obviam ſunt, & citata invenies apud *Glaſſium*, non eſt enim, ut iis immoremur diutius: notiſſimus locus eſt Pſ. CXVIII.

§. 23.

Cenſeam igitur מצער *non eſſe adjectivum*. De forma vocis cum τω παυυ, *Buxtorfio* non litigem, an ſc. ad *Hiphil* ſit referenda. Si libere dicam, ſecus mihi videtur. Ad formam *Infinitivi* kal, qualis teritur Chaldaeis, videtur ſpectare, & potius מפתח &c. ad *Hiphil* referam, quam מצוה מבחר מבעח &c. Sed de his jam ſatis.

§. 24.

Credam in confeſſo eſſe adeo, ut ar-

gumentis adductis adstrui non habeat necesse מצער non esse *Adjectivum*: Ab hac eadem radice צער *adjectivum* est צעיר sed מצער *Substantivi* formam praefert. Sed id si sit, quare ergo in Versione secus accipietur.

§. 25.

Praeterea והיא מצער, uti jam in textu legitur, & omnino legendum esse censeo, mihi videtur, ut cum Hebraeorum Criticis loquar, capiendum esse non juxta קרי sed juxta כתיב. Habuere Critici Hebraeorum rationem, quare puncta appingerent literis הוא, ac si היא scriptum esset. Si quis etiam pertendat facile הוא in תיא permutari, ו & י esse figura similes & ejusdem etiam organi, non intercedam; addam, forte olim etiam י & ו figura quoque similiora fuisse, quin videtur ex nummis colligendum, ו scriptum olim forma breviore & magis ad י accedente. Sed censeam bene esse, quod in כתיב nobis servata sit vera Lectio.

§. 26.

Notetur Summa religio Criticorum hebraeorum, qui cum judicarent, legendum esse היא, noluerunt tamen הוא loco suo movere. Summa fide versantes circa literas sacras tantum indicium fecerunt, quomodo sibi videbatur scribendus locus. Est

etiam

etiam manifeſtum ſatis, jam olim quoque in Codd: quibusdam היא fuiſſe lectum ex *Onkeloſo*, *Syro* &c.

§. 27.

Aſt ego retineam, inquam, והוא, quod כתיב eſt. Ita melius Pronomen genere conveniet cum מצער. Ad hoc vocabulum vero ſi הוא referetur, uti omnino referendum eſt, cum מצער ſit *maſculini* generis, non poteſt *foemininum* היא locum invenire. Senſus autem ſurget, me judice, ſequens *hoc autem hoc exiguum*, *res parva* &c. ſc. quam peto.

§. 28.

Notum eſt, & conſtat de *Bela* ſeu *Zoare* apud *Joſephum* eſſe illud βραχυ τι χωριον *Antiq.* p. 20. ubi locum hunc S. hiſtoriæ perſtringit. Sed an vere tempore *Joſephi* urbs ſeu vicus fuerit exiguæ extenſionis vel circuitus ego non diſputem. Potuit tempore Lothi etiam ſic ſatis magna *Bela* fuiſſe, & labentibus annis decreſcere. Accidit id aliis urbibus, & mutatio ſoli & cœli vicina per horridas adeo everſiones, quæ jam tempore Lothi in hac regione accidebant, poterant hinc multum conferre, ut urbs ex magna exigua fieret, utque cives, uti Lothus etiam inſtituit, ſolum vertere, aliasque ſedes quærere, quam ibi diutius habitare, optarent.

§. 29.

Sed potuit *Josephus*, premens vestigia Graecae versionis, vel si mavis, communem Interpretationem loci, etiam scribere, esse ξωαρα βραχυ τι χωριον, parum sollicitus, an revera urbs magna an exigua olim & tunc temporis esset. Id ut afferam, ratio in promtu est. *Stephanus* de urbibus in voce ξοαρα, εστι κώμη μεγαλη, ἡ Φρουριον εν Παλαιστινη ἐπι τη Ασφαλτιδι λιμνη, additur δηλοι δε εβραιων Φωνη το μικρον. Idem etiam l. c. *Josephus* habet, & haec Josepho errandi ansa. Sed quorsum *Stephani* haec afferantur, non est ratio, nisi vanam eruditionem jactare velit.

§. 30.

Sed unde vel in historia S. colligendum est, fuisse *Belam*, quae dein Zoar dicta fuit, urbem non exiguam, patet attendenti, si animadvertit Gen. XIV. 2. 9. memorari Regem *Belae*, qui socius fuerit Regum Sodomae, Gomorrae etc., in bello cum Rege Cedor Laomero & comitibus. Nota res ex *Strabone*, doctissimo Geographo, in Cypro & Palaestina etiam singulas urbes habuisse suos Reges, adeoque urbibus parvis Reges praefuisse. Et ex historia Sacra res est certior multo & magis manifesta. In Deuteronomio & Iosuae libro saepius est de regibus urbium Canaanis & vicinarum regio-

regionum. Sed quod innuo, non videtur in ſocietatem ventura *Zoar* urbium magnarum, ſi adeo exigua fuiſſet, ut βραχυ τι χωριον dici poſſet. Iniqua ſocietas eſt bovis & aſini in eodem jugo, uti eſt apud *Comicum*, & infidelis cum potentiore Societas. Aliquo ſaltem nomine igitur debuit *Zoar* fuiſſe comparabilis cum *Sodomis*.

§. 31.

Si quæras, unde conſtet de magnitudine *Sodomorum*, reſpondeam non poſſe quidem ex S. hiſtoria id probari, verum videri ſtatuendum, ſic ſatis magnam Sodomam fuiſſe, ſi Geographo Doctiſſimo fidem adhibebimus. In S. S. Sodoma dicitur אם id eſt Μητροπολις & vicinae urbes ei tanquam filiae (בנות in Hebraeo eſt) attribuuntur. (a) Nomine Μητροπολεως etiam So-

(a) Intendit procul dubio *Doctiſſimus Autor* locum Ezech. XVI. 46. ſeq. *Falconerius* ad *Seguini Numism. Sel. p.* 242. ex eo quoque, quod Samaria, Sodoma & Hieroſolyma *Sorores* vocantur, recte deducit, ſingulam harum urbium ſuo tempore fuiſſe eximiam. Differentiam tamen indicat Propheta, dum Samariam vocat *Sororem* Hieroſolymarum *majorem* & Sodomam *minorem*, qualis differentia, cum minime in antiquitate urbium ſita ſit, quia hoc reſpectu *Sodoma* certe *Soror* Hieroſolymarum *natu major* eſt, in earundem *magnitudine* quaeri debet. Ceterum ex ambitu maris mortui, qui longitudinem

Sodomam memorat *Strabo*, & hunc secutus *Stephanus* de *urbibus* in voce Σοδομα. Sed praeterea etiam *Strabo* mentionem facit de tremendo hoc judicio, quod urbem hanc cum vicinis urbibus plane disperdidit, additque, quod notandum εκλειπειν *tum Sodomam*, & *aufugisse interitum* τους δυναμενους φευγειν, ostendens se plane non ignorare, quae tum Lotho accidere. Habet praeterea σωζεσθαι κυκλον Sodomorum ἑξηκοντα σταδιων: id si ita sit, conjicere possumns, fuisse urbem Sodomorum magnitudine insignem.

§. 32.

Fateor, *Strabo* oculis Canaanem non lustravit, neque tanquam Αυτοπτης loqui hic potuit, uti de Aegypto etc: Sed necesse non est, ut *Straboni* fidem denegemus. Idem *Tacitus hist. l. v. p. m. 619* itidem narrat. *Haud procul inde campi, quos ferunt olim uberes, magnisque urbibus habitatos fulminum jactu arsisse* &

nem sexaginta & latitudinem decem milliarium excedit, de quo consuli possunt Itineraria Eruditissimorum Virorum hujus seculi, *SHAIVII Voyages dans plusieurs Provinces de la Barbarie & du Levant T. II. p. 72.* & *ex PLINIO, JOSEPHO,* & *DIODORO POCOCKII Beschreibung des Morgenlandes P. II. p. 53.* ad eximiam harum urbium justissimo Dei judicio eversarum, magnitudinem merito concludi potest. N. B.

& *manere vestigia* tot vrbium. *Egesippus* L. IV. C. 18. totidem verbis habet de reliquiis urbium in mari mortuo adhuc conspicuis, & ipsus Iosephus de B I. L IV. c. VIII. p. 892. ἔστι γοῦν ἔτι λείψανα τοῦ Θείου πυρὸς καὶ πεντεπόλεων ἰδεῖν σκιάς. *Philo* Judaeus *de vita Mosis* p. 662. fere eodem modo.

§. 33.

Notetur error Clarissimi Historici obiter. In *Strabone* excusandum, quod habet de tredecim urbibus, quae coelesti igne perierunt. *Stephanus* vero decem numerat. In his, inquam, hoc facilius ferendum, quam in *Josepho*, qui Sacram Scripturam prae manibus habebat, ejusque vestigia premens ab veritate aberrare non poterat. Non πεντεπολεις sed quatuor perierunt. Quinta nomine *Bela* praeter omnem exspectationem perniciem evasit. Ita S. S.

§. 34.

Igitur unde deviavimus, satis probabiliter colligere possumus, immerito *Belam* fingi tantillam. Neque in verbis, quibus S. Historicus utitur in hac narratione, id invenitur. Sed simus liberales, dato non concesso, הוא מצער significat *ipsa* parva est: Fuerit urbs *Bela* sic satis parva, ut βραχυ τι χωριον vere dici possit, quaeram, serione quis censere possit Lothum in hoc divino

vino alloquio ita potuisse loqui, sanusne erat, & an integra ipsi mens, si hoc modo verba faceret in precatione? Sed an Lotho sanus sensus & ratio valens, dum dicit *Minime Domine in montanum aufugiam, urbs haec vicina est, in eam effugiam* והוא מצער *& haec parva est?* Haec sc. iterantur a Viro sancto & ingeminantur, ut haec ἀϊτιολογία extundat a misericordia Domini *Belam* pro κρηςφυγετω habere? Sed si *Bela* vel maxime exigua erat, poteratne Lothus hoc allegare ut rationem, propter quam ei Dominus concederet inibi habere sedes? mihi secus videtur.

§. 35.

Mirari lubet ineptias, quas sibi fingunt, qui verba dicto modo interpretantur. *R. Jarchius*, cujus conjecturam supra habuimus sic satis frivolam de detrectatione fugae in montana, hic promit, quae adhuc sunt futiliora. Animi causa audiamus acutissimum Magistrum, rationem subducentem, dum exponit voculas והוא מצער, affert, *Urbs est exigua, paucis civibus culta, & non ita diu condita fuit, igitur mensura peccatorum civium huius urbis, qui etiam pauci numero sunt, nondum referta est, igitur potes huic urbi comparcere, atque ego inibi habitatum concedam.* (b) Bella

(b) Recte pl. Rev. Autor rationes subducit ad explodendam sententiam *Jarchii* & Thargumistae *Jonathanis*,

la vero Ratio! Unde autem Magiſter Judaeus probat ea quae affert. Dicit Belam fuiſſe

thanis, qui ex verbis Lothi והוא מצער perperam colligunt, ſciviſſe Lothum, incolas *Belae* menſura peccatorum minores fuiſſe incolis Sodomae & urbium vicinarum, & ex parvitate urbis tales rationes ſubduxiſſe, imo eum auſum fuiſſe, has rationes Deo ut motiva precum ſuarum proponere. Nemini enim dubium eſſe poteſt, paucos numero cives urbis alicuius exiguae vitioſiores eſſe poſſe civibus numeroſioribus magnae cujusdam urbis, licet rationes adſint, quare contrarium plerumque videamus. Aſt ſi *Belae* ſervationem ab interitu in ſe ſpectamus, & Summi Numinis vias ſubmiſſe expiſcamur *annon minor peccatorum menſura* vel potius, *annon juſtorum aliquis numerus vel perexiguus Belam ab exitio liberaverit?* Quaeſtio eſt, quae expendi meretur. Analogia viarum Divinarum eo nos ducere videtur. Abrahamus pro urbibus exitio deſtinatis intercedebat, & deprecabatur omnium interitum, ἐκτενῶς omnino & ἀναιδῶς. Sed incaſſum. Eo proceſſit Summi Numinis Indulgentia & Miſericordia, ut pollicitus fuerit Abrahamo, ſi modo decem in his urbibus invenirentur Juſti, Se non perditurum has urbes propter hos decem. Erant autem pauciſſimi numero. Erat ibidem Lothus & forte aliqui ex familia Lothi. Sed propter hos Deus his urbibus minime pepercit, nam educendus fuit Lothus cum uxore & filiabus, cum Benigniſſimum & Juſtiſſimum Numen eos ex imminenti periculo liberare vellet. De civibus igitur Belae, non autem de peregrinis, qualis Lothus erat, ſermo eſt. Huic analogum videtur: ſi Belae fuiſſent decem & ſubductis Sodomae, Gomorrhae, Adamae & Seboim civibus, pauciores Decem Juſti,

fuisse conditam tempore *Phelegi*, ab eo tempore autem effluxisse tantum annos - - - Quaesti, Deo huic urbi ignoscere constitutum erat. Quemadmodum autem Sodoma non fuit servata propter Lothum ejusque domesticos, ita etiam *Analogum* est, nec Belam propter Lothum ejusque domesticos, ab exitio liberatam fuisse, manifesto indicio praesentiam justorum quorundam, etiam paucissimorum, proximam causam fuisse incolumitatis hujus urbis, quae condonata a Deo ex imminenti periculo eripiebatur. Accedit, quod manserit haec urbs incolumis & servata, vel postquam Lothus Belam reliquisset, & in spelunca montis alicujus, procul dubio longius abhinc dissiti, habitaculum suum fixisset juxta v. 30. *Et ascendit postea Lothus e Zoar in montem, & habitavit in eo, duaeque filiae ejus cum ipso, & habitavit in spelunca, ipse & duae filiae ejus.* Notari autem hic meretur ratio, quare urbe Zoare egressus fuerit כי ירא לשבת בצוער. Dici potest in genere de migratione Lothi in montem, eum nunc ad mandatum Numinis in exordio colloquii datum, ut in montem aufugeret, attendisse, & nemo hoc negabit, sed simul alia ratio additur. *Verum, quare timuit manere in Zoar? Hieronymus* respondet, *veram esse conjecturam Hebraeorum de Segor, quod frequenter terrae motu subruta sit.* Et maxime probabilis est haec conjectura. Ubi enim terrae motus frequentes sunt, ubi ingens excidium patitur regio, terrae motu penitus absorbenda, ibi quassentur saepius & titubent terrae contiguo motu & vicinarum urbium fundamenta necesse est. Timuit ergo Lothus propter terrae motus, saltem tempore excidii Sodomarum, frequentes, ne aliquando etiam Urbs haec everteretur, vel saltem ipse in hoc rerum eventu aut terrae motu jacturam

Quaesonam, quid sunt aegri somnia, & quid est nugas promere, si hoc non sit? Habuit tamen *Jarchius*, quos duces hic sequeretur in conjectura adeo infelici. Thargumista *Jonathan* etiam habet, non ita diu urbs haec habitata, & ipsa parva est, & pauca sunt peccata ejus. Sed horum omnium in textu vola est nec vestigium, neque opus est his figmentis, quae ex errore subnata sunt, saltem excogitata ad palliandam interpretationem, quam verba flagitare nequicquam & sine ratione censebant.

§. 36.

ram pati deberet. Hinc ex timore Lothi & ejus egressu ex Zoare probabiliter colligi potest, ratum fuisse Lothum, Deum, ut anima sua servaretur, urbem hanc, quae suum erat Asylum, ab interitu liberasse. Cum autem & egresso ex ea Lotho, Bela manserit incolumis, statuendum erit; *vel* Lothi solius causa non esse servatam urbem; *vel* aliquos saltem in ea fuisse justos tempore Sodomarum excidii, propter quos non sit perdita; *vel* cives hujus urbis postea exemplo vicinarum urbium monitos, justitiam didicisse. *Ultimum* si constitisset, Lothus nullam habuit rationem mutandi sedem, prope gnarus, quando urbs se convertit à malitia sua, Verbum Domini esse ad ædificandum & plantandum. *Primum* quoque intellectu difficile est, quia Lothi solius causa non servata fuit *Sodoma*, quæ tamen eadem Potentiæ & Bonitatis Divinæ manu æque ac *Bela* servari potuit. Ergo verisimillima erit *secunda* hypothesis, sc: fuisse in ea aliquos saltem justos, tempore excidii Sodomarum, propter quos Urbs hæc ab inte-

§. 36.

Pertendo ego, Textum ab hoc sensu abhorrere. Bene est, ab injuria temporum sartum tectumque eum mansisse. Et Critici Hebraei recte instituerunt והוא retinentes, quamvis judicarent והיא esse legendum. Non ea moderatio est Criticis modernis. Si *Bentleyis*, Fabris & similibus potestatem facias, & copiam Sacra Volumina Graeca & Hebraica emaculandi & refingendi, multis parasangis ejusmodi Criticen praetergredientur. Quod ipsis sanum non videtur, exscindendum est πυρι και σιδαρω, ut locum faciat ingeniosis conjecturis. Sed de his jam satis.

§. 37.

ritu vindicata fuit. An autem Lothus *diffidentiæ* notam merito incurrat, quam ei inurunt HIERONYMUS, AUGUSTINUS, CAIETANUS, RIVETUS alii, difficile dictu est. Leniter omnino de Viris Sanctis judicandum, & fides eorum juxta mensuram cognitionis mensuranda est. Si verba Divina v. 21: *Ecce acceptam tuli faciem tuam, quoad verbum hoc, ut non evertam urbem, de qua locutus es*, hoc sensu accepit, quod ei licuerit *per aliquot tempus, paucillos quosdam dies, vel menses* in hac urbe commorari, quo tempore Deus eam haud vellet evertere, fides Lothi nullam meretur censuram. *Eruditissimus Autor*, qua est indulgentia, has meditationes, quæ legenti subnatæ fuerunt, & nihil laudis doctissimis ejus meditationibus detrahunt, æqui bonique consulet. N. B.

§. 37.

Eo jam nobis deventum est, ut tandem videamus, quomodo ergo potissimum locus sit accipiendus: eo jam se vertit nostra oratio. *Belgae* Doctissimi recte *in notis marginalibus* indicant, posse merito verba versus nostri transfundi hoc modo. *Ecce quaeso, haec urbs propinqua est ad eo fugiendum, & hoc paucillum est, quaesonam illuc ausugiam? Nonne hoc paucillum est* &c. Alii Interpretes etiam animadverterunt, verba hanc versionem accipere posse Cl. *Rivetus*, Anonymus *Anglus* &c. Mihi quidem unice ita locus dandus videtur, Lothus sc. ab avo Thera & patruo Abrahamo veram pietatem doctus, mediis in Sodomitis, media in ἀσεβειᾳ & iniquitate, sartam rectam fidem servaverat. Hanc laudem Lotho tribuit Spiritus. S., qui eum δικαιον aperte dicit. Non moramur contemplationes nihili ex *Jarchio* & *Bereschit Rabba* supra allatas, quibus etiam *Philo* Iudaeus accenseri potest, de Lothi δικαιοσυνη, si cum civibus Sodomae comparatur, sed quae obnubilatur multum & plane evanescit, si juxta patruum Abrahamum Lothus collocatur. Fert historia S, Deum Abrahamo Lothum condonasse, quo tempore Sodomae & vicinarum urbium vindicta apparebat. Sed est quoque in S. S., ubi pietatem Lothi Deus dicitur hac insigni adeo liberatione honorasse: ita

utique est apud Petrum 2 Ep. 11. 7. και δικαιον Λωτ ἐῤῥύσατο &c. addens v. 9. Οἶδε κύριος εὐσεβεῖς ἐκ πειρασμοῦ ῥύεσθαι.

§. 38.

Quae *Aristoteles* igitur *de mundo* habet, aut quis alius ejus libelli auctor est p. m. 21 τα ἐπι γης ἐυτρεπτα πολλας ἑτεροιωσεις και παθη ἀναδεδεκται. σεισμοι τεγαρ ἠδη βιαιοι πολλα μερη της γης ανεῤῥαγησαν &c. βιαι τε πνευματων και τυφωνων ἐσιν οτε πολεις ὁλας ανετρεψαν πυρκαιαι τε και φλογες, αἱ μεν ἐξ ουρανου γενομεναι προτερον ωσπερ φασιν ἐπι Φαεθοντος, τα προς ἑω μερη κατεφλεξαν &c. ἐυθα και το των ἐυσεβων γενος ἐξοχως ἐτιμησε το δαιμονιον, dicta, inquam, quadrant partim in Sodomarum &c. eversionem & in Lothi liberationem. *Strabo* supra citato loco, ubi de Iudaeis eorumque liberatore Mose verba facit, dicit, solere Iudaeos ἐγκοιμασθαι Templa ὑπερ ἑαυτων και ὑπερ των αλλων τους ευονειρους, και προσδοκαν δειν παρα του Θεου και δωρον ἀει τι και σημειον τους σωφρονως ζωντας και μετα δικαιοσυνης, τους αλλους δε μη προσδοκαν. Ita *Strabo*, qui inibi etiam de Mose adeo maligne loquitur, de religione juxta leges Mosis, supra quam ab Gentili potest exspectari inquiens Iudaeos esse αληθως Θεοσεβεις &c. miscens vera falsis, & ostendens se rituum & legum Iudaicarum non plane ignarum esse.

§. 39

§. 39.

Voluit igitur, ut orationis filum resumam, coeli ac terrae Dominus Lothi pietati hoc summum δωρον tribuere, ejusque veram fidem ita εξοχως τιμησαι, eum medio ex interitu servando. Hoc quomodo factum sit, narrat historia S. in nostro loco, & quomodo Lothus ardente & efficacissima oratione cum Altissimo quasi luctatus, ab Ejus gratia extorserit non tantum, ut sibi Ασυλον propius concederetur, sed etiam, ut Summum Numen urbem exitio destinatam Lotho condonaret, ut haberet, quo citius confugere & sedem figere posset.

§. 40.

Est igitur in eo Narratio sacra, ut Pietatem Lothi quam clarissime delineet, & quam paratus precando, quam ἐκτενης & αναιδης etiam εν ἐγτευξει Quod exciderat precanti Lotho והוא מצער, dum Deum oratione compellat & exorat obtundendo, dictum id narrat S. historia occasionem dedit posteris, Urbi, ita miraculo insigni servatae, novum Nomen imponere, ut memoria tantae rei quam diutissime integra constaret.

§. 41.

Sunt, qui dictum hoc Lothi carpunt, nescio quid diffidentiæ in Viro justo inve-

nientes & ἀπιστιας ex perturbatione mentis ortum habentis. Ast mihi longe alia sententia sedet, κατα την εμην γνωμην Lothus summopere laude se dignum præstat, sapientiam & magnanimitatem insignem præ se ferendo: *Non possum in montem aufugere* etc. cum Vir justus dicit, monstrat, quam probe infirmitates suas nosset, & ipsum se perspiciat intus & in corde. Hanc suam ασθενειαν ingenue agnoscit, & coram Deo Ejusque throno collocat, clarissime ostendens, in quantum vera in pietate excelleret, animum effundens coram Deo. *Anonymus Anglus* mire carpit ejus diffidentiam coram Angelo etc. Nil clarius quam Lothum ad Deum vivum preces effundere. Hunc autem compellat non tantum, ubi in summa angustia erat constitutus, sed orando obtundit, & summa cum αναιδεια, quomodo excellentes precatores solent, cogit quasi votis suis annuere. Graphice Moses id nobis delineat hac in narratione. Nil ego hic in Lotho invenio quod culpari merito posset; contra magnificum & laudatissimum omnino se præstat, & opem necessariam ab cœli & terræ Domino efflagitat mira cum contentione. Quod vir pius dicit והוא מצער et dein הלא מצער הוא ingeminando, tantum abest, ut hoc incusem, ut contra mihi hoc dicto Lothus similem se quam maxime sistere videatur Εκατονταρ-

χη,

χη, de quo est Luc. VII. 2. cujus fidem adeo Dominus collaudat, in Israele se similem non inveniisse dicens. Centurionis illius, inquam, & Lothi sermo mihi videtur admodum comparabilis. *Quæso, Domine, in montem non aufugiam, urbs hæc* etc. *& hoc minimum* est. Non ignorabat Lothus, quanta res esset, urbem damnatam & exitio destinatam incolumem sistere. Iustitia sanctitasque Dei, qui potuere ipsum latere, in domo Abrahami educatum & altum tamdiu. Sed ostendit, compertas ipsi etiam esse Divitias Misericordiæ Dei & velle Deum δοξασθηναι και θαυμασθηναι in Sanctis suis. Igitur audax est in Deo compellando, inducit in animum, Altissimo significare suas infirmitates & sibi opus esse continua & celeri liberatione. Rogat εντυγχανει πιστευων atque ita obtinet, quæ rogabat. Voluit igitur Spiritus S. hoc exemplum orantis & exorantis Dominum, Lothi sc: nobis dare, ut perspectum haberemus non adeo, quare urbs, quæ antea dicebatur *Bela*, dein *Zoar* dicta fuerit, sed in primis ut discamus, quomodo deceat precibus decertare & quævis δωρεα τελεια etiam & excellentia a Summo Numine adipisci: quippe Deum præ divitiis gratiæ Suæ τροποφορειν, & concedere ea, quæ eligant; Id videre quemvis posse in Lotho, cui cum Dominus dixisset, aufu-

gito in montem, & ipſe reſpondere mandanti abitum ex Sodomis ſuſtinuiſſet, אל נא אדוני minime vero domine, ecce haec urbs prope eſt ad eo aufugiendum והוא מצער, & hoc paucillum (τουτο μικρον δεομαι παντυ ut alibi eſt apud *Suidam* in Σταδιος). (c) Tibi facillimum erit hoc efficere & mihi concedere, quippe qui es Omnipotens & dives gratia; Mihi autem erit ſummi beneficii loco, per quod ſolum incolumis evadam. In montem aufugere jubes, ſed tentando credo, ego meae infirmitatis mihi probe conſcius pulchre intelligo, quia adeo terreſtribus affixus haereo, adeo longe me aufugere non poſſe. Ubi, inquam, in precatione Lothus ſuſtinet audacter interpellare Deum illud והוא מצער ingeminando, obtinet praeter omnem expectationem, quae efflagitarat (d).

At-

(c) Cl. LE CENE poſteriorem phraſin fere eodem modo interpretatur in Verſione Bibliorum *Nova Gallica*: *Je vous prie, n'eſt ce pas peu de choſe que ma perſonne vive?* N. B.

(d) Maxime confert, tum ad Divini Nominis gloriam, tum ad exiſtimandam plus, quam aſſolet, ab Interpretibus, Lothi fidem, ſi obſervamus τουτο μικρον, quod petiit Lothus, nonniſi miraculo, ut illud a Deo impetraret, poſſibile fuiſſe. Everſio Sodomarum & vicinarum urbium per cauſas ſecundas effecta ſit oportet, quoniam mare mortuum adhuc hodie oſtendit, quaenam urbium harum *fuerunt* funda-

Atque illud erat dictum Lothi adeo notabile & egregium, ut inde Urbs *Bela* dein nomine dicta sit. צוער *Zoar*, ut memoria rei adeo memorabilis ad posteros ita transmitteretur.

fundamenta, & quam periculorum plena. Excidium earum miraculi formam habet, cum hoc ipso tempore, quo summum Numen per Iustitiam suam severe in cives harum urbium animadvertere debuit, causae secundae operarentur Numinis decreto & jussu. Ex his autem inferre licet. Conservationem Belae miraculum fuisse primae, ut loqui solet, magnitudinis. Nam causae secundae simile minabantur Belae excidium, urbis hujus fundamenta adeo periculorum plena erant ac reliquarum urbium. Jubere autem causis secundis, ne operentur, ad quod constitutae sunt, vel ut aliter operentur, pluris omnino est, quam jubere, ut agant & operentur, ad quod destinatae sunt secundum statum antecedentem, estque hic procul omni dubio miraculum, quod nec ex vi creaturarum aut nexu mundi derivari & consequi potest. Ergo Conservatio Belae majus est miraculum, quam excidium Sodomarum & vicinarum urbium. Quando autem Lothus ait, facillimum esse Deo, hoc efficere, egregium cognitionis & fidei suae testimonium exhibet. Nam Deum adorat Omnipotentem, qui aeque facile miracula patrare potest, ac per causas secundas operari. N. B.

IV.

IOHANNIS NICOLAI RICHTERI

VICARII MINISTERII BIPONTINI

EXPOSITIO

VERBORVM QVAE EXSTANT Col. II, 17.

Ἅ ἐστι σκιὰ τῶν μελλόντων, τὸ δὲ σῶμα τοῦ χριστοῦ.

§. 1.

Pollicitus sum haud ita pridem, * quum sententiam eorum, qui vocem σωματικως, Col. II, 9. occurrentem, *antitypice* vertunt, atque ad comma hoc 17. provocare so-

* Pollicitus id fuit Vir *Rev.* & *Doctissimus* in *dissertatione Theologica* de *termino donorum munerumque extraordinariorum ex verbis Pauli Eph. IV, 12. 13. eruto*, quam præside Amico suo *Nicolao Barkey* edidit heic *Bremae 1757. p. 42. in notis.* Sicuti dissertatio haec lucernam olet, & de *Rev. Viri* ακριβεια hermeneutica testatur, ita etiam binis dissertatiunculis, quae hic conspiciuntur, & praesertim ea, quae in *Fasc. II. hujus Bibliothecae ad locum 1 Pet. III. 18-22.* volente Deo comparebit, ostendit, se spem, quem de Ipso ad incrementum scientiae Theologicae concepimus, non modo velle, sed etiam re ipsa superare. Rogamus *Eum* enixe & amicissime, ut talibus defideratissimis symbolis *Bibliothecam hanc* exornare pergat N. B.

ſolent, rejiciendam eſſe dicerem, me operam data occaſione daturum eſſe, ut clare demonſtrem, το σωμα του χριστου non *antitypum, qui eſt in Chriſto*, ſed aliud quid ſignificare. Quum igitur ab hac me fide liberare jam aggredior, lubet & oportet primum ſententiam illam paucioribus oppugnare argumentis, aliamque deinde, quam equidem ab aliis nondum adductam vidi, in medium proferre; prolatam ex connexione & loco quodam parallelo adſtruere, adſtructamque paraphraſi illuſtrare.

§. 2.

Exiſtimant igitur, quos inſpicere mihi licuit, horum verborum explanatores omnes, per το σωμα του χριστου *antitypum, qui eſt in Chriſto*, intelligendum eſſe. Quoniam itaque typus, tanquam corporis umbra, nullius ſit amplius pretii exiſtimationisque, quando corpus aut antitypus, cui ſoli omnis cultus atque honos debetur, apparuerit, conſequi hinc luce clarius contendunt, ea, quae enarravit Apoſtolus, in poſterum non amplius eſſe obſervanda: atque hoc fuiſſe, quod ipſe his verbis probare voluerit. Sunt autem, quae huic explicationi opponi queunt, & quae breviter exponam. Nam

1) verba, ἁ ἐστι σκια, non poſſunt referri ad omnia, quae comma antecedens com-

complectitur: *nequis igitur vos judicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei festi, aut novilunii, aut Sabbathorum.* Esus enim carnis & potio vini, quibus quidam abstinendum esse Christiano homini arbitrabantur, non erant umbra futurorum, sed haec a carne atque vino abstinentia originem duxit ex placitis *Essenorum*, quibus cum Colossensis ecclesia conflictabatur, quorumque philosophiam tanquam inanem & erroneam v. 8. damnavit Apostolus. Accedit, si ad omnia respexisset Paulus, dicendum ipsi fuisse, ἁ ἐστι παντα, quemadmodum v. 22. expreste dicitur. Falli igitur videntur, qui verba illa priora ad omnia, quorum mentio in antecedentibus facta est, spectare docent: docent autem, qui antitypum in verbis posterioribus deprehendere putant.

2) Probe notandum est, Apostolum dicere, ἁ ΕΣΤΙ, in praesenti, non in praeterito. Sunt quidem, qui hanc difficultatem arbitrati sunt declinasse, quando ita verterent: quae umbra sunt eorum, quae futura *erant*. Sed hoc ex ingenio additur, nullo munitum argumento. Docet igitur Apostolus, ea, de quibus loquitur, non solum adhuc *fuisse*, sed etiam jam *esse*, & porro *fore* typum. Quodsi igitur sunt & erunt umbra, ipsorum antitypus

in

in Servatore noſtro apparuiſſe dici nequit.

3) Cum vox μελλοντων ſubſtantivo ſuo careat, quaeri primum poteſt & debet, quale ſupplendum addendumque ſit. Vertunt igitur ſententiae, quam adduxi, propugnatores: *futurarum rerum.* Sed quo fundamento? Nonne ſanior hermeneutica jubet, ex antecedentibus, ſi nihil obſtet, ſua adjectivis addere ſubſtantiva? Par igitur erat, voces των σαββατων repetere: nihil enim obſtare, in ſequentibus probabitur.

4) Quodſi igitur vertendum eſt, ut vertendum eſſe puto: quae umbra ſunt futurorum *Sabbathorum*; ſequeretur juxta Interpretum iſtorum ſententiam, ſabbatha haec futura praecipue in Servatore noſtro implementum nacta eſſe, quod falſum eſſe non facile quisquam dubitabit, & deinceps demonſtrabitur.

5) Nec vilipendendum eſt, caſum genitivum poni, το σωμα του χριστου. Is enim quum poſſeſſionem & proprietatem indicare ſoleat, vertenda ſunt verba: corpus vero eſt *proprium* aliquid ſeu *peculium* Chriſti. Quis autem dicet, antitypum ſabbathorum ceterarumque, quas Apoſtolus enarravit, rerum peculium eſſe Chriſti? Dicendum fuiſſet, ſi illud,

quod

quod putant, intentum esset: το δε σωμα ο χριστος vel εν τω χριστω.

6) Nullum existit argumentum, vocem σωμα, frequentius licet occurrentem, in epistolis Paulinis, vel ceterorum etiam Apostolorum, pro antitypo poni. Corruit etiam, quod ad hunc locum attinet, argumentum unicum ex oppositio sumtum, si demonstravero, aliam quoque notionem habere locum.

7) Accedit, vocem eandem eodem hoc capite bis designare ecclesiam, neque minus locis parallelis, in epistola hac, & ad Ephesios, passim obviis. Quid igitur jubet urgetque, a significatu hoc frequenti recedere? Probetur primum, consequi ex eo aliquid, quod aut cum connexione, aut scopo, aut aliis rebus consistere nequeat. Itaque clarum ex his omnibus esse mihi quidem videtur, falli eos, qui de antitypo, qui sit in Christo, sermonem his verbis esse contendunt.

§. 3.

Quis itaque alius verbis vere, ut opinor, sensus tribuendus sit, ostendere jam me oportet. Quum autem duo tmemata hic occurrant secum invicem connexa, considerabo primum quodlibet per se, & tum connexionem seu relationem utriusque

que explicabo. Supplendum eſſe in priori ſubſtantivum omiſſum, & quale, obiter jam docui. Hinc plenius ita verba pronuncianda ſunt: ἁ Σαββατα εϛι σκια των μελλοντων Σαββατων, *quae Sabbatha umbra ſunt futurorum Sabbathorum.* Nihil hic ſtatuitur, quod non cum regulis hermeneuticis exacte conveniat. Poſtulant enim illae, omiſſa ſubſtantiva non ex proprio ingenio addenda, ſed ex iis, quae proxime praecedunt, repetenda eſſe, niſi dilucide appareat, illud ſalvo ſenſu fieri non poſſe. Hic autem non ſolum nihil obſtat, cur fieri nequeat, ſed connexio etiam cum praecedentibus aliam ellipſin non admittit. Probari enim nequit, ut arbitror, βρωσιν & ποσιν (ſc. carnis & vini: nam de his rebus ſermo exiſtit, ut ex Rom. XIV, 21. videre eſt) fuiſſe umbram, quemadmodum de Sabbathis dicitur. Et veritas ipſa, quae ex addita hac ellipſi reſultat, ita itidem comparata eſt, ut caput quartum epiſtolae ad Hebraeos tanquam locus parallelus conſiderari queat & debeat. Docetur enim ibi & prolixius probatur, Sabbatha illa, quae αναπαυσιν Dei in memoriam revocabant, non ſignificare requiem in his terris exſpectandam obtinendamque, ſed typum eſſe Sabbathismi, qui populo Dei reſervatur, ſignum & ſigillum requiei, quae credentibus in coelo futura eſt. Elucet inde tmematis

matis hujus prioris ſenſus: *Sabbatha haec, de quibus loquor, & quae adhuc a reliquis diebus quiete a laboribus juxta mandatum Dei diſtincta erant, umbra ſunt futurorum ſabbathorum. Significant enim, requiem futuram eſſe unicuique credenti in coelo, qua liber a labore, ab aerumnis, a moleſtiis quibuscunque, in hac terra & conſtanti rerum viciſſitudine exantlatis, nonniſi laetitia & voluptate coram Deo afficietur.*

§. 4.

Venio ad alterum dicti tmema: το δε σωμα του χριστου; itidem primum per ſe conſiderandum. Oſtendi jam breviter, per *corpus*, quod Servatori tribuitur, non poſſe intelligi antitypum. Cum autem a conſueta vocum notione nonniſi cogente neceſſitate diſcedendum ſit; firmiter ego quidem perſuaſus ſum, intelligendam eſſe per *corpus Chriſti* eccleſiam, quae quippe ita comparata eſt, ut cum corpore humano commode comparari queat. Rex enim regum & Dominus dominorum ad dextram Patris exaltatus, *caput* illius *eſt, ex quo totum corpus harmonice coagmentatum & compactum per omnem commiſſuram ſubminiſtrationis, efficaciter pro modulo uniuscujusque membri augmentum corporis facit, ad aedificationem ſui ipſius in charitate*, Epheſ. IV, 15, 16. Multa in eccleſia ſunt *membra*, per fidem & amorem ſecum invicem conjuncta, & unita cum *capite* ſuo Chriſto, ex quo,

quo, ſicuti ſpiritus vitales ex capite in membra reliqua descendunt, dona Spiritus Sancti in omnes, qui credunt, proficiscuntur. Recte autem eccleſiam hic intelligi, patet exinde, qnod eadem vox eodem hoc capite eodemque ſignificatu poſita bis occurrit. Nam v. 9. eccleſia in Chriſto habitare dicitur σωματικως, *tanquam corpus*, ſicuti alibi demonſtravi, & v. 19. παν το σωμα *totam* deſignat *eccleſiam*, uti ex connexione apparet. Adde c. I, 18. & III, 15. Neque cuiquam dubium eſſe poteſt, hanc ad Coloſſenſes epiſtolam cum illa ad Epheſios maxime parallelam, atque adeo alteram ex altera illuſtrandam explicandamque eſſe. Confer jam Epheſ. I, 23: IV, 12, 15, 16; V. 23, 30; & clariſſime videbis, hic quoque loci indicatam eſſe eccleſiam. Quum autem caſus genitivus του χριστου proprietatem & peculium Chriſti deſignet, ita concipiendus eſt verborum ſenſus: *eccleſia & omnia membra, quae eam conſtituunt, Chriſti ſunt tanquam peculium, quod proprio ſuo ſanguine Sibi acquiſivit.*

§. 5.

Verbis itaque per ſe conſideratis, connexio tmematis utriusque oſtendenda eſt, quae jam non ita clara eſſe videtur, quam dilucidam, qui a conſueta ſtant ſententia, deprehendere exiſtimant. Quodſi enim

ſabbatha, inquient, typus ſunt futurorum ſabbathorum futuraeque requiei, qualis vis probandi in hoc argumento ſita eſt? Num ſequitur inde, ſabbatha non amplius eſſe obſervanda? Et qualis nexus has inter propoſitiones intercedit: ſabbatha & cetera non obſervanda ſunt in poſterum, nam eccleſia eſt Chriſti? Victas darem manus, ſi certum eſſet evictumque, demonſtrare voluiſſe his verbis Apoſtolum, ea, quae enarravit, nullo in poſterum cultu proſequenda eſſe. Sed hoc ipſum his ipſis verbis probare cupiviſſe, vero quidem non eſt ſimile. Id modo agere videtur, ut breviter quidem, at graphice ſimul & evidenter, demonſtret, nulli, qui Chriſti nomen profitetur, licere, alios κρίνειν *condemnare* in cauſa earum rerum, quarum mentionem fecit. Ultimi enim praecedentis commatis verbis hic ſenſus tribuendus eſt: *qui ſabbatha obſervat, alterum, qui ea non obſervat, ne judicet: & qui non obſervat, eum ne condemnet, qui illa cultu ſacro proſequitur.* Eos vero cum maxime tangit & reprehendit, qui in opinione erant, ſabbatha continuo & indeſinenter colenda eſſe, & qui hoc potiſſimum argumento utebantur, quod illa umbra ſint requiei, quae populo Dei futura eſt. Priora igitur textus noſtri verba objectionem continent; ubi obiter notandum eſt, particulum μεν ſubaudiendam eſſe:

eſſe: ἅ ἐστι MEN σκια των μελλοντων; quae, quum particula δε adſit, facile omitti potuit. *Sunt quidem*, inquit, ſabbatha umbra futurae quietis: *ſed* nullum propterea jus vobis vindicate, eos, qui eis nullum cultum exhibendum eſſe amplius exiſtimant, judicandi aut condemnandi. Et quam hujus rei rationem affert Paulus? Hanc unam, ſed graviſſimam: *quia corpus eſt Chriſti.* Omnia membra, quae eccleſiam conficiunt, ſunt Ejus membra, Ejus peculium. Lato igitur a vobis in alios eosdemque fratres judicio, propria membra Servatoris condemnabitis. Et quum Hic caput ſit totius eccleſiae, & ſupremus Iudex ac Dominus, Ei ſoli jus competit, ferendi judicium, aut abſolvendi aut condemnandi.

§. 6.

Quæ vero connexio ne cui torta, inconveniens & inſolita videatur, provocare licet ad locum prolixiorem, qui cum hoc non quoad verba quidem, attamen quoad rem & ſenſum integrum conſpirat. Eſt hic epiſtolæ ad Romanos caput XIV. Nemo neſcit, Apoſtolum tota hac ſectione reprehendere & taxare eos, qui ſemet invicem in cauſa earundem rerum, quæ noſtro hoc loco enarrantur, condemnare ſolebant. *Is qui manducat* ait v. 3, *non manducan-*

cantem ne ſpernat: & qui non manducat, manducantem ne judicet. Iam advertas velim, quæ cauſa adducatur: *Deus enim illum recepit*, i. e. ſervus Dei eſt & membrum eccleſiæ. *Tu*, pergit, *quis es* qui, *alienum ſervum judicas? Domino ſuo ſtat ſive cadit:* ſtabit autem; potens *enim eſt Deus eum ſtatuere.* En igitur idem argumentum, quo verbis, quæ explicuimus, Apoſtolus utitur. Non probat hic, eſum carnis non eſſe illicitum, ſed id modo ſibi ſumit demonſtrandum, non licere, in alterum ferre judicium aut eum cibi cauſa condemnare. Eodem modo propoſitio: *corpus vero eſt Chriſti*, non probat, ſabbatha & cetera non eſſe amplius colenda, ſed id tantummodo extra dubitationis aleam collocat, judicium alterius in alterum non eſſe licitum. Addo v. 9 & 10: *ad hoc enim Chriſtus mortuus eſt & reſurrexit, ut & viventium & mortuorum dominus eſſet.* Clariſſime hæc verba ſignificant, eos, qui alterum judicant, ſupremum lædere & violare Servatoris noſtri dominium. *Tu vero*, pergit, *quid judicas fratrem tuum? Aut etiam Tu, quid contemnis fratrem tuum? Omes enim coram tribunali Chriſti ſiſtemur.* En novum argumentum! Servator ſupremus eſt & unicus judex, qui olim omnes judicabit: hinc nulli licet, fratres contemnere aut condemnare. Illud igitur argumentum, quod hoc loco, de quo agimus tribus tantum verbis pre-

propoſuit Paulus, prolixius hic deductum cernitur. Quod ſi itaque hæc loca parallela ſunt, ut nullum mihi dubium relinquitur; ſequitur, genuinum verborum ſenſum erutum & explanatum eſſe.

§. 7.

Addere tandem liceat totius dicti & commatis præcedentis, quo nexus eluceſcat, paraphraſin. *Qui carnem edit & vinum bibit, non comedentem & non bibentem ne judicet. Qui vero non comedit & non bibit, pari modo edentem & bibentem ne condemnet. Qui in opinione eſt, dies feſtos, & neomeniarum ſanctiores eſſe ceteris diebus, judicium ne ferto in illos, quibus pari eſſe dignitate omnes dies videntur. Et qui nullis diebus feſtis, nullis noviluniis, pro libertate, quam ſibi Chriſtus a lege acquiſiverit, adſtrictum ſe eſſe arbitratur, illos ne damnet, qui ſe ad cultum eorum obligatos putant. Denique, qui ſabbatha religioſo cultu non proſequitur, illos ne judicet, qui ea obſervata volunt. Et vos inprimis, quibus præſtitum adhuc honorem ſabbathis denegare religio eſt, illos ne condemnate, qui contraria ratione agunt. Scio, quid mihi objecturi ſitis. Sabbatha, inquietis, adumbrant futuram illam requiem, quæ populo Dei parta eſt & in cœlo paratur: ideoque ſabbathum typicum aut adumbrans tamdiu religioſius colere tenemur, dum antitypus, hoc eſt, illa ipſa requies nos beat & reficit. Verum quidem hoc eſt, ſabbathum eſſe umbram*

bram quietis futuræ. Sed hoc habete, hoc vobis perſuadete, nullum vobis inde jus derivari poſſe, alios eosdemque fratres condemnandi. Nam totum corpus, tota eccleſia Chriſti peculium eſt, quod proprio ſuo ſanguine redemit. Illi autem, quos condemnatis, membra ſunt hujus corporis: Deus enim eos recepit. Quos igitur ſi condemnavertis, in propria Servatoris ſanctiſſimi membra iniquum & illicitum fertis judicium, dominium ejus ſupremum violantes, nec apud animum veſtrum reputantes, illum eſſe unicum Dominum, unicum Iudicem, Cujus coram tribunali ſiſtemur olim omnes. Conſiderate igitur, quo jure fratres condemnaveritis.

V.

EIVSDEM
EXPOSITIO
FIDEI, QVAE EST AD FIDEM.

AD

Rom. I, 17.

Δικαιοσυνη γαρ Θεου εν αυτω αποκαλυπτεται εκ πιστεως εις πιστιν· καθως γεγραπται· ὁ δε δικαιος εκ πιστεως ζησεται.

§. 1.

Quum verbis hiſce in luce ſua collocandis poſt aliorum labores meam quoque, quantulacunque eſt, opellam impendere apud animum meum conſtitui, varias primum, quas novi, ſententias recenſere me oportet. In duas autem abeunt, quod ſcio, partes, qui verba haec meditationibus ſuis illuſtrare ſtuduerunt. Sunt enim qui verba εκ πιστεως εις πιστιν, quae plurimum difficultatis pariunt, ſeparanda eſſe, ſunt contra alii, qui ea conjungenda exiſtimant. Eorum, qui illa ſeparant aut diſtinguunt, quidam ita ea ſejungunt, ut verba εκ πιστεως ad ſubjectum, quae ſequuntur autem,

εις πιστιν, ad praedicatum referenda esse arbitrentur. Hi vocibus εις πιστιν finem indicatum statuunt, cur justitia Dei ex fide consequenda revelata sit, ut scilicet, abjecta propriorum meritorum fiducia, solam fidem quaeramus: & vel hunc sibi formant sensum: *in Evangelio revelatur vera coram Deo justitia, proveniens scilicet ex fide, ut proinde credamus*; (a) vel hunc, priori similem: *justitia Dei, quae ex fide proficiscitur*, eum in finem in Evangelio revelatur, quo magis credamus, i. e. ad fiduciam in Deo collocandam commoveamur, in eaque confirmemur. (b) Sunt autem, puto, quae huic explicationi obstant. Nam duriuscula verborum constructio est, quae hic statuitur. Dicendum enim fuisset, hoc quidem sensu intento: δικαιοσυνη Θεου εκ πιστεως αποκαλυπτεται εις πιστιν, quo dilucide perspici potuisset, separanda esse verba. (c) Neque ullus, quod scio,

(a) Ita vertit HEVMANNVS in *Bibl. Brem.* Cl. IV. p. 285, & in *Versione* sua vernacula: Dann durch daſſelbe wird die Gerechtigkeit, welche durch den Glauben bey Gott erlanget wird, offenbahret zu dem Ende, daß man glauben soll. Conf. quoque *Interpr.* ejus N. T. vernacula ad h. l.

(b) Vid. BAVMGARTEN in *Commenc.* hujus epist.

(c) Objici hic posset, ab omnibus constructionem immutari, voces quippe εκ πιστεως cum vocibus δικαιοσυνη Θεου conjungentibus. At nihil hic insoliti est

&

ſcio, exſtat locus, ubi ſimilis verborum trajectio occurrat, ut ſcilicet, poſito ſubjecto & praedicato determinatio primum illius, tum hujus addatur. Nec videre eſt, quid probet allatus ex *Habacuco* locus, ſi haec explanatio valeat. Neque enim is demonſtrat, doctrinam illam idcirco in Evangelio revelari, ut credamus, aut ad fiduciam commoveamur: verum id tantummodo certiſſime adſtruit, eam doctrinam non eſſe novam, ſed in V. T. libris jam propoſitam; & errare vehementer Iudaeos, qui per opera legis juſtitiam ſibi comparare annitebantur. Alius quoque, quod ſuperpondium addit, quam qui clariſſime intentus fuit, verborum ſcopus aſſumendus eſt, ſi explicationi illi calculum adjicere velis. Probare enim vult Apoſtolus, ex ſola fide proficiſci juſtitiam; neque id intendit adſtruere, eum in finem, ut credamus revelari doctrinam de juſtitia per fidem obtinenda. Conſequi ex his exiſtimo, non ita ſeparanda eſſe verba, ut priora ad ſubjectum, poſteriora ad predicatum alliganda ſint; ſed ſingula pertinere ad ſubjectum.

§. 2.

& a regulis conſtructionis alieni. Innumera enim exſtant exempla, quibus determinatio ſubjecti poſt praedicatum demum ponitur. Connectendum autem eſſe ἐκ πίστεως cum δικαιοσύνη, patet ex Rom. III, 22. IX, 30. X, 6.

§. 2.

Sunt igitur alii, qui ea ſejungenda quidem eſſe, ſed mollius, hoc eſt, diſtinguenda tantum & ad ſubjectum ſingula referenda exiſtimant. Quorum quidam ita vertunt: *Iuſtitia Dei revelatur in Evangelio, quemadmodum veniat* apud Iudæos *ex fide*, h. e. ex certiſſima exſpectatione omnium promiſſionum divinarum, Patribus olim factarum *in fidem* apud Gentiles, in quibus primum eadem voluntas, ut promiſſiones has Dei itidem acceptent, eſt producenda. (d) Verum hic non minus, atque prior rejiciendus videtur exponendi modus. Quodſi enim Gentilibus quoque, quemadmodum Iudæis, ante omnia aſſenſu promiſſionibus divinis præbendo opus fuit, quid addere neceſſe erat εις πιστιν, cum apud hos juſtitia præveniat εκ πιστεως, i. e. ex exſpectatione promiſſionum, quæ ipſorum eſt opinio? Nec ſufficiebat Iudæis ad obtinendam coram Deo juſtitiam, ut crederent, executioni datum iri promiſſiones divinas: ut taceam pleraſque jam impletas fuiſſe. Et cur fides a fide diſtinguitur, cum ſic unam eandemque rem denotent? Ecquis denique ſibi perſuadeat, Apoſtolos in convertendis Gentilibus initium cepiſſe inde, ut oſtenderent eis & probarent, fidem divinitus

(d) Cf. BAVMGARTEN cod. loco.

nitus promiſſis habendam eſſe? Quidam igitur ita diſtinguunt: *juſtitia proveniens ex fide, incipiendo a fide confugiente, & concludendo in fide πληροφοριας.* (e) Simili modo alius: (f) *ex fide qua credo teſtimonio Dei Patris de filio ſuo, & qua hunc recipio; ad fidem, qua firmiter perſuaſus ſum Deum eſſe clypeum meum, & Chriſtum Servatorem meum.* Cauſa adſit neceſſe eſt, cur bini hi fidei actus hic diſcernantur, & cur quilibet πιστεως nomine ſpeciatim inſigniatur. Eam nec ex ſcopo, nec ex connexione cernere mihi licuit. Voluit enim Paulus docere, non ex operibus, ſed ex ſola fide juſtitiam, quae coram Deo valet, proficiſci. Quid igitur diſtinguendi erant illi fidei actus, ubi nulla ferebat occaſio? Hinc, quodſi πιστις a πιστει diſcernenda eſt, ut eſt,

(e) Ita *Sal. van* TILL de *Tabernaculo* p. 116.

(f) WITSIVS in *Miſcellaneis T. II. Exercitat. XXIII. p. 736,* cujus non poſſum non verba egregia huc adſcribere in WOLFII *curis* licet iam exſtantia: *Porro eadem juſtitia eſt* ex fide. *Retegitur, offertur, confertur Evangelio, ceu manu exhibentis eam Dei; accipitur fide, veluti manu apprehendentis eam animae. Porro ſic eſt ex fide, ut & ad fidem ſit. Eſt ex fide, qua credo teſtimonio Dei Patris de filio ſuo, & de vita, quae in ipſo eſt: denique qua recipio eum, ut meus eſt Servator. Eſt ad fidem qua credo & firmiter perſuaſus ſum, Deum eſſe clypeum meum, & mercedem meam maximam, Chriſtum eſſe dulciſſimum Servatorem meum* &c.

est, aliud profecto discrimen statuendum exponendumque videtur.

§. 3.

Venio tandem ad eos, qui verba ἐκ πίστεως εἰς πίστιν conjungenda arctissime, hoc est, tanquam unum considerandaesse existimant. Verum & hi paululum a se discrepant, cum alii fidem *solam & unam*, (g) alii *progredientem crescentemque* (h) tota hac phrasi indicatam statuunt. Sed facile utraque sententia sibi invicem conciliari potest, cum incrementum illud & progressus fidei, qui in Evangelio urgetur, evincat, omnem justitiam ex una fide quaerendam esse. (i) Vertenda igitur verba essent juxta horum sententiam: *revelatur in Evangelio justitia Dei, proficiscens ex sola fide & quidem tali fide, quae quotidie incrementum capit.* Dicam tribus, ut ajunt, verbis, quid huic expositioni, ut ego quidem arbitror, obesse videatur. Non con-

(g) Ita idem WITSIVS, l. c. Addit enim verbis, quae attulimus: *Nisi sic malimus:* ex fide ad fidem; *ut denotetur, fide inchoari, & fide consummari, adeoque unam hic fidem esse, quae ab initio ad finem usque sola valeat, ut nec ipsa in subsidium veniat antecedentium operum nec in subsidium adsciscat subsequentia.*

(h) Quos WOLFIVS citat, & BAVMGARTEN.

(i) Hoc modo WOLFIVS utramque combinat, combinatamque amplectitur.

convenit phraſis ſenſui, quem intentum volunt; neque ullus exſtat locus, ubi in eundem modum Apoſtolus loquitur. Sufficiſſet quoque dixiſſe, juſtitiam provenire ex fide: hoc ipſo enim alium juſtitiae fontem rejeciſſet. Fides autem, quae non progreditur, nec ad finem usque vitae perdurat, *temporaria* eſt, hinc nulla, nec a Paulo hoc nomine inſignita.

§. 4.

Sed jam ad rem. Ex iis, quae dicta ſunt, intelligitur, verba illa ἐκ πίστεως εἰς πίστιν, quae plurimum difficultatis pariunt, pertinere ad ſubjectum, diſtinguenda autem eſſe, atque ita quidem, ut nihil ſuperflui illis ineſſe, ſed in qualibet voce diſtinctum aliquid latere, clare cernatur. Allato igitur primum ſcopo, a Paulo intento, verba ipſa interpretabor, *primum* viſurus, quid ſit δικαιοσυνη Θεου ἐκ πίστεως εἰς πίστιν, *porro*, cur dicatur ἀποκαλυπτεσθαι in Evangelio, & *tandem*, quid locus ex Habacuco allatus demonſtret. Expoſitis & declaratis verbis probare conabor, ea ſic explanata & cum antecedentibus conſiſtere & cum conſequentibus. Denique totius loci addam paraphraſin.

§. 5.

Conſtabat, quod pervulgatum eſt, collectus

lectus Romae Servatori coetus ex Judaeis & Gentilibus. Odium, quod utramque nationem ad illud usque tempus disjunxerat, nondum, quanquam in Christi castra transierant, tam brevi potuit exstingui, ut non igniculi ejus flammam minantes subinde nascerentur. Quare quum cursui doctrinae Evangelicae liberiori nihil omnino magis obesset, quam discordia; hujus fomitem hac epistola e medio tollere, Romanosque Christianos ad unanimitatem excitare & confirmare in ea studuit, qui fuit *generalior* ejus scopus, ad quem omnia collimare videntur. Erat autem cum in doctrina, tum in moribus, quod arctiori animorum unioni adversabatur. Hinc pars epistolae theoretica & practica. Christiani judaizantes, ut vocant, legem inprimis Gentilium collo cupiebant imponere, sibi persuadentes, justitiam, quae Deo placeat, ex curatiore legis Cerimonialis observatione proficisci. Hunc igitur errorem primo refutandum sibi sumit Apostolus, ita ut a commate, quod explicandum suscepi, ordiatur. Demonstrat enim, eam solam non displicere Deo justitiam, quae Christi est fideique manu arripitur. Hunc unum *specialiorem* epistolae finem hic adduxisse sufficiat. Patet igitur, verba nostra epitomen continere totius fili, quod prolixius Paulus in sequentibus decurrit, doctri-

ctrinæ ſcilicet, non per opera legis, ſed per ſolam in Ieſum fidem, juſtitiam & a Iudæis & a gentibus quærendam eſſe, quippe quae Deo unice placeat. Quae tractationis ſumma quo magis ſtatim ab initio ad praeconceptam Iudaeorum opinionem evellandam faceret, ad teſtimonium *Habacuci* provocavit.

§. 6.

Ipſa verba nunc perluſtremus. *Plenum ſubjectum* eſt: *δικαιοσυνη Θεου εκ πιστεως εις πιστιν; prædicatum; αποκαλυπτεται εν αυτω. Iuſtitiam* Dei eſſe eam, quam Deus poſtulat, ut hominem juſtum declarare poſſit, quæque perfectionibus Ipſius ſummis convenientiſſima eſt; obiter tantum tango, cum nemo neſciat. Hujusmodi juſtitiam non ex operibus ſed *εκ πιστεως ex fide* proficiſci docet Apoſtolus. At determinatione egebant verba hæc, quo plenarie Chriſtiani Iudæi ipſius de juſtitia Deo placente ſententiam perciperent. Hinc addit *εις πιστιν ad fidem.* Facile intellectu eſt, ellipſin hic eſſe ſtatuendam, ſtatui ſaltem poſſe, quæ ſuppleta ſenſum clariorem reddit. Supplendum igitur eſſe arbitror articulum: *εκ πιστεως* ΤΗΣ *εις πιστιν ex fide, que* eſt *ad fidem*: (k) ut adeo verba *εις πιστιν* conditionem con-

(k) Obſervavit COCCEIVS *opp. ſuorum T. V.* ad hunc locum, ellipſin artículi ſtatuendam hic eſſe, &

contineant, ſub qua ſola fides prior ad juſtitiam ſufficiat. Quare omnis nunc cardo in eo verſatur, quid duplex hæc fides notet; cur prior non ſufficiat, poſteriorque adeo ceu prioris ſupplementum debeat accedere. Per πιστιν priorem intelligimus *actum animæ, quo promiſſiones in Veteris Teſtamenti libris de Meſſia futuro propoſitas non ſolum divinas agnoſcit, ſed etiam in Ieſu exactiſſimum ſuum implemen-*

& ita quidem: ἡ δικαιοσυνη Η ἐκ πιστεως εις πιστιν. Sed eam, quam ego itidem notandam puto non notavit. Afferam jam loca, quae illi affere ſolent, qui fidem creſcentem intelligunt, at quae adductam potius firmant ſententiam. 2 Cor. III, 18: απο δοξης εις δοξαν, i. e. ΤΗΣ εις δοξαν, *a gloria* in hac vita, quae eſt, & ducet nos *ad gloriam* aliam, ſublimiorem multo, in aeterna vita obtinendam. Rom. VI, 19: *quemadmodum membra veſtra praebuiſtis ſervientia impuritati* και τη ανομια εις την ανομιαν, i. e. ΤΗ εις την ανομιαν *iniquitati*, quae *ad* aliam identidem *iniquitatem* vos impulit: *ita nunc ſiſtite membra veſtra ſervientia* δικαιοσυνη εις, i. e. ΤΗ εις ἁγιασμον *juſtitiae* quae eſt & ducit *ad ſanctitatem*. Diſerte hic prior iniquitas juſtitiae, altera ſanctitati opponitur, claro indicio, priora verba non eſſe ut unum aliquid conſideranda; quod illi, qui fidem creſcentem intelligunt, contendunt. 2 Cor. II, 16: *quibusdam* odor eſt θανατου εις i. e. ΤΟΥ εις θανατον, *mortis*, ſc. ſpiritualis, quae ipſis eſt, eosque praecipitat ad *mortem* aliam ſc. aeternam. *Quibusdam vero odor* ζωης εις, i. e. ΤΗΣ εις ζωην, *vitae* ſc. ſpiritualis, quae ipſis eſt, eosque traducit ad *vitam* aliam ſc. aeternam.

mentum conſecutas. Cum Iudæis Chriſtianis præprimis loquitur Paulus. Norant illi, ſaltem *noſſe* debebant promiſſiones de Meſſia. Convicti erant, illas eſſe omnes in ſolo Chriſto adimpletas. Sed hoc unico actu voluerunt acquieſcere, atque id ſibi modo incumbere exiſtimabant, ut legem Cerimonialem pro viribus obſervarent. Hinc addit Apoſtolus conditionem; της εις πιστιν. Non ſufficere, ait, aſſenſum verbo promiſſionis præbitum, non ut crederent, effectui data eſſe in Filio Dei divinitus promiſſa; ſed neceſſe eſſe, hæc fides ad fidem aliam ipſos ducat & impellat. Per πιστιν igitur poſteriorem *fidem* intelligimus, *ſalvificam in Ieſum Chriſtum, ſeu actum animæ, quo Chriſtum pro unico Liberatore habitum, ſuum ſincere & ardenter cupit, & merita ejus vero deſiderio ſibi applicat.* Quæ fides, ſicut tanquam medium unicum juſtitiam Deo placentem parit; ita prioris apud Iudæos ſupplementum fuit, adeoque aliud quid & ab illa diſtinctum. At dicat aliquis, vix credi poſſe, vocem hanc duplici ſignificatu uno eodemque commate venire. Facilis eſt reſponſio. Si unum idemque notat, quid addere neceſſe erat εις πιστιν? Hinc illi ipſi, qui fidem creſcentem progredientemque intelligunt, diverſos animi actus indicare ſtatuunt. Aut igitur tautologia ſtatuenda, quod abſurdum, aut ſpecifici quid in fide

posteriore quaerendum est. Vocem πιστις saepissime notare fidem, seu assensum in promissiones Dei, quam plurima testantur epistolarum Paulinarum loca. (l) Hinc quando fides salvifica intelligenda est, semper fere dicitur πιστις Ιησου χριστου, (m) Quin loca exstant, quibus πιστις haec duplex clare discernitur, (n) Venuste prior fidei definitio

(l) E. gr. cap. IV. hujus epistolae, ubi de fide Abrahami agitur, επιστευσε, dicitur v. 3, *credidit* i. e. assensum praebuit, promissioni Dei sibi factae: atque hic assensus, haec plena persuasio, promisso Deum suo statutum esse, *in justitiam ipsi reputabatur*, v. 4 & 9. Πιστις & επαγγελια v. 12 & 13 diserte conjunguntur, neque minus v. 14 non obscuro indicio, hanc πιστιν Abrahami fuisse fidem, quae circa promissiones divinas versata est. Distinctius hoc multo proponitur v. 19 & 20: *Nec infirmus factus in fide, non consideravit corpus suum jam emortuum, nec emortuum uterum Sarae: atque sic in dubium non vocavit incredulitate promissionem Dei; sed fortis potius factus est in fide.* Quid clarius esse potest, quam per fidem Abrahami intelligendam hic esse plenam ipsius persuasionem, illud, quod sibi promissum erat, Divina potentia implementum esse nacturum? Sed de hac fidei notione paucis est dubium, ideoque in ea probanda prolixiorem esse non licet.

(m) E. gr. Rom. III, 22, 25, 26. Gal. III, 26. Phil. III, 9.

(n) Verba, quae Rom. III, 30. exstant, praeprimis afferri hic merentur: *Siquidem unus Deus, qui justificabit* περιτομην εκ πιστεως, και ακροβυστιαν, δια

της

tio cum illa conſiſtit, quae Hebr. XI, 1. traditur. Generalior enim haec eſt, cui binae, quas tradidimus, ſubordinandae ſunt. Generatim fides eſt ſpes certa aut plena perſuaſio, effectui daturum eſſe Deum promiſſiones ſuas: quae vel Meſſiam ſpectant, vel alias res. Poſteriorum earumque implementi conſtans neque dubiis interrupta exſpectatio *fides* jam dicitur; eorumque, qui hac fide Deo placuerunt, adducto capite nubem affert ſcriptor divinus. Promiſſiones ad Meſſiam pertinentes ſpecialius fuerunt fidei Judaeorum objectum. Verum hae alium poſtularunt animi habitum, poſtquam is in carne apparuerat. Tum enim promiſſiones futurum Meſſiam reſpi-

της πιστεως. Ultima verba ad juſtificationem utriusque gentis referenda ſunt: *qui juſtificabit Judaeos atque gentes per fidem in Jeſum Chriſtum.* Sed quid ex πιστεως? Superflua eſſent haec verba, ſi per hanc πιστιν fidem intelligeres ſalvificam. Accedit dicendum fuiſſe, uti veri eſt ſimile, εκ ΤΗΣ πιστεως, uti dictum fuit: δια ΤΗΣ πιστεως. Ergo haec verba ad vocem περιτομην pertinent. Per *circumciſionem* autem *ex fide* Judaei, quod facile intellectu eſt, intelligendi ſunt, qui firmiſſime erant perſuaſi, promiſſiones divinas de Meſſia in Jeſu Chriſto implementum ſuum conſecutas eſſe. Hac ratione nihil verbis ſuperflui ineſt: *qui juſtificabit per fidem ſalvificam in Jeſum Chriſtum tam Judaeos, qui impletas eſſe in Jeſu promiſſiones divinas de Meſſia factas non dubitant, quam Gentiles*

reſpicientes non ſolum, ut diximus, divinae, ſed etiam in Filio Dei implementum ſuum nactae habendae erant: quae fides Judaeis inprimis, quibus librorum V. T. prae Gentilibus fuit copia, neceſſaria erat, ſed quae non ſufficiebat ad juſtitiam per Chriſtum impetrandam, niſi altera πίστις accederet. Ut rem paucis dicam: pro promiſſo illo Liberatore agnoſcendus erat a Judaeis Chriſtus; ſed agnitio haec cum viva in Jeſum fide conjuncta eſſe debuit, ſi juſtitia quidem Deo placens ex ea proficiſci poſſet.

§. 7.

Haec doctrina de juſtitia, perfectionibus divinis conveniente, quae per ſolam in Chriſtum fidem impetratur, *revelatur* in Evangelio. Verbum αποκαλυπτειν, quod jam alii notarunt, ſignificat proprie: *velamen tollere, ut res involuta & tecta pateat, diſtincteque cerni poſſit.* Hinc de rebus in S. literis uſurpatur, quas ignoratas diu ſed detectas Dei beneficio cognoſcimus. At quid Apoſtolus dicit, doctrinam de juſtitia illa coram Deo valente velamine adhuc fuiſſe obvolutam, quod Evangelio demum ſublatum ſit? Nonne ipſe ad V. T. libros provocat, quibus eadem proponatur doctrina? Verum enim vero duplex eſt ratio, quapropter *revelari* in Evangelio dicitur.

Doce-

Docetur primo, hanc doctrinam myſterium eſſe, quod homo a natura ignoret, cujus igitur cognitio revelatione divina nitatur. Docetur porro, quum inprimis ad Judaeos haec verba dicta ſunt, non ignotam quidem penitus fuiſſe in Oeconomia legali veritatem hanc, quod per fidem ſolam quaerenda ſit juſtitia, ſed paucioribus tantum fuiſſe cognitam, & iis quidem, quos velum illud, corpus tegens & antitypum, non impediverit, quo minus unicam hanc viam ad juſtitiam obtinendam dilucide cernerent. Legem cerimonialem velamini hic comparari, cui doctrina illa involuta fuit & obtecta, nemo non videt. Debebant quidem caerimoniae, ſacrificia & alia ejusmodi inſtituta Liberatorem venturum ante oculos Judaeis ſiſtere, & adumbrare in animis ipſorum ejus effigiem: ſed plerique corticem ſpectabant non nucleum. Quid mirum igitur, quod doctrina illa tempore V. T. velo adhuc obducta dici potuerit? Accedit, futura ſemper velo obvoluta latere, cum praeſentia pateant. Quare quamdiu Meſſias nondum apparuerat, doctrina de eo, hinc etiam de juſtitia per eum impetranda, nondum tam clara & diſtincta fuit, quam dilucide in Evangelio nunc repraeſentatur. Edocet igitur ως εν παροιμιᾳ Paulus, quam ſtolide agant & inepte Judaei, qui, cum lux Evangelii cla-

rissima apparuerit, denuo a luce ad tenebras, a corpore ad umbram, ab antitypo ad typum confugiant, ac in lege caerimoniali glorientur & acquiescant.

§. 8.

Quo vero Iudaei, ad quos Paulus praeprimis loquitur, hoc magis de veritate dicti convincerentur, viderentque, non esse novam doctrinam, sed in V. T. libris jam propositam; ad locum provocat, ex prophetia Habacuci c. II, 4. desumtum: cujus cum praecedentibus nexum breviter demonstremus opertet. Vaticinium, juxta v. 2, scribendum erat vati, & in tabulis ponendum, ut eum, qui illud legeret, posset edocere. Hoc vaticinium sc. de Iudaeis in captivitatem Babylonicam abducendis, constituto tempore implendum erat, ויפח לקץ *& spirare faciet* Dominus *sub finem* ejus *non mentiturus*, i. e. praeterlapsis annis septuaginta, aerem refrigerationis mittet, & a captivitate populum certo certius liberabit. *Si cunctaturus est*, sc. in liberando populo, longiori tempore quam optas, *praestolare eum: nam certo venturus est, & non veniet post tempus constitutum*, v. 3. Errare videntur illi, qui solum adventum Messiae, neque aliud quid, his verbis designari statuunt. Connexio enim certissime docet, adventum Domini ad liberandum populum

ex

ex captivitate Babylonica praedici. Verum & *illi* hallucinari pariter videntur, qui hunc ſolummodo adventum verbis his indicare ſtatuunt, neque ad Meſſiam reſpici ſibi perſuadent. Medio igitur tutiſſimus ibis. Nam ad liberationem ex captivitate tum Babylonica tum ſpirituali intenditur digitus, atque tum ad adventum Dei poſt captivitatem illam, tum ad adventum Meſſiae reſpicitur. Conſtat enim, hunc ſaepiſſime dici, *qui venturus eſt*, ſc. ad populum ſuum ex ſervitute ſpirituali liberandum. Iam ſequuntur verba, quae ab Apoſtolo partim afferuntur: *Ecce, cujus anima tumefacta eſt, ea non eſt recta: ſed juſtus in fide ſua vivet.* Uti de incredulo aliquid hic dicitur, ita de eo pariter, qui credit. *Cujus anima tumefacta aut inflata eſt*, cui hujus promiſſionis neglectus fit, quae ſe huic vaticinio incredulitate ſubducit, *ea non eſt recta*, non ad amuſſim, non ad voluntatem Dei, neque adeo liberabitur aut vivet. Huic, cujus anima inflata eſt, opponitur *juſtus in fide ſua*; & cum duplex liberatio promittatur, locutio haec ejusmodi deſignat hominem, qui & liberationem ex captivitate Babylonica, & liberationem a ſervitute ſpirituali per Meſſiam, nullis vacillans dubiis exſpectat. Is *vivet*, ejus anima Deo placebit, & tum ex terreſtri eripietur ſervi-

vitute, tum ex interitu aeterno.(o) Probant igitur haec verba juſtum eſſe, & juſtitiam nanciſci Deo placentem, qui credit, i. e. qui in exſpectatione qualiumcunque promiſſionum divinarum immotus perſtat, & praecipue in Meſſia liberationem a peccato anhelat. Hinc nova non fuit doctrina Pauli de genuino juſtitiam nanciſcendi modo, quod ipſi contra praeviſam Iudaeorum objectionem probandum fuit.

§. 9.

(o) Notari meretur, haec verba non hic ſolum loci & Gal. III, 11. afferri, ſed etiam Hebr. X, 38, ubi de excidio Hieroſolymorum agitur. *Qui venturus eſt*, ait ſcriptor literarum ſacer, *veniet, & non cunctabitur*, i. e. brevi tempore ad judicium in Judaeos ferendum veniet Dominus Jeſus. *Qui vero juſtus eſt ex fide* i. e. qui juxta v. 35, fiduciam ſuam in auxilium Dei promiſſum non abjicit, & in Chriſto veniente ſpem ſuam & fidem ponit, *is vivet, is* in excidio Hieroſolymorum liberabitur, parique modo vivet in aeternum. Quod etiam quoad prius impletum fuit, cum ii, qui Chriſto confidebant, Pellam fuga peterent, & a poena in Judaeos lata liberarentur Liberatoris ope praeſentiſſima. Cernere hinc iterum eſt, duplicem neceſſariam fuiſſe fidem Judaeis, qui Chriſto nomen dederant, ſi promiſſionem illam, cujus v. 36 fit mentio, tum liberationis ab interitu Judaeorum, tum vitae aeternae, reportaturi erant, πιστιν, Deum promiſſionem ſuam, quae Meſſiam reſpicit, executioni dediſſe, & quascunque pari modo daturum eſſe, & πιστιν in Filium Dei ipſum, confugientem ad illum, in eoque acquieſcentem.

§. 9.

Supereſt, ut demonſtrem nunc, quemadmodum verba haec cum prioribus cohaereant. Probare nimirum voluit Apoſtolus, *Evangelium vim eſſe divinam ad ſalutem credenti & Iudaeo & Graeco*; quod per particulam conjunctivam γαρ indicatur. Evangelica doctrina *vis* dicitur *ad ſalutem* eam ob cauſam, quod ad ſalutem aeternam obtinendam efficax eſt medium. Eſt autem idcirco, quia viam monſtrat, adhuc parum a Iudaeis & a Gentilibus plane non cognitam, qua juſtitiam Deo placentem & perfectionibus ipſius convenientiſſimam, per fidem ſc. in Ieſum Chriſtum nanciſci poſſumus, eandemque ita clare & vivide depingit, ut ſalutis aeternae vere cupidus eam non poſſit non lubenti animo eligere atque ingredi. Eſt igitur Evangelium primo *medium* ad ſalutem, quod viam ejus in Liberatore crucifixo, reſuſcitato, & in coelum reverſo oſtendit, quod motiva proponit maximi momenti, confugiendi ad ipſum tanquam aſylum, in eoque ſalutem ſuam unice quaerendi, quodque adeo medium eſt ad fidem & juſtificationem. *Efficax* porro eſt medium, quod *revelat*, ſeu diſſipatis tenebris & ſublato velo clariſſime oſtendit, juſtitiam eſſe per fidem quaerendam, non per exactiorem legis caerimonialis obſervationem, ut Iudaei gloriari ſole-

bant. Hinc in verbo αποκαλυπτεται ratio praecipue continetur της δυναμεως Evangelii: ubi in tranſitu notandum eſt, particulam εν valere hic pro δια: *revelatur enim per illud*, i. e. illud enim revelat ſeu retegit. Sed quaeras porro, quomodo verba cum ſequentibus cohaereant, quibuscum iterum per particulam conjunctivam γαρ connectuntur. Sunt autem connectenda cum iis, quae immediate praecedunt, atque ita quidem: *juſtus ex fide vivet: nam*, quod ad improbos attinet, qui nec Evangelio credunt, nec in Chriſto ſpem ſuam ponunt; *ira Dei aliquando revelabitur a coelo ſuper omnem impietatem & injuſtitiam hominum, veritatem per iniquitatem detinentium.* Oſtendit igitur Paulus diſcrimen inter ſortem eorum, qui credunt, eorumque, qui in incredulitate perſeverant. In ſequentibus autem juſtitiam irae divinae prolixius vindicat.

§. 10.

Addam coronidis loco totius dicti paraphraſin. *Evangelica doctrina efficax ſolis credentibus, ſive Iudaei ſint, ſive Gentiles, ad ſalutem aeternam obtinendam eſt medium. Nam, diſſipatis ignorantiae nebulis, & velo legis caerimonialis, quod Iudaeos adhuc occoecavit, ſublato, ita clare ita dilucide unicam viam ad juſtitiam & ſalutem monſtrat, ut non poſſit non eam ſibi ingrediendam ſtatuere, qui poenam aeternam effugere & cœleſtem vitam nanciſci*

ciſci ex animo cupit. Haec autem via eſt ſola fides in Ieſum Chriſtum, Servatorem promiſſum, non exacta legis caerimonialis obſervatio: haec enim nil niſi umbra fuit, quae Meſſiam futurum adumbravit. Sed quo plenius & diſtinctius hanc doctrinae Evangelicae ſummam intelligatis, vos inprimis, qui licet Chriſto nomen dederitis, atque eum pro Meſſia promiſſo agnoſcatis, in lege tamen gloriamini, & a corpore iterum ad umbram confugitis; hoc habete & perſuadete vobis, non ſufficere, ut credatis, promiſſiones divinas de Meſſia factas, in Ieſu implementum ſuum conſecutas eſſe. Quid enim haec fides vobis proderit, ſi denuo in umbra delectetis, & per exactam caerimoniarum obſervationem vitam vobis ipſi aeternam mereri cupiatis? Haec potius fides, qua convicti eſtis, promiſſum Meſſiam in perſona Chriſti apparuiſſe, ad aliam fidem vos ducat & impellat neceſſe eſt. Confugiendum nimirum vobis eſt, non ad legem, ſed ad Servatorem hunc noſtrum unicum; in eo ſolo liberatio a poena vobis quaerenda eſt cum jure vitae aeternae, & merita ejus (vos enim nihil mereri valetis) vero vobis deſiderio ſunt applicanda. Haec fides cum priore conjuncta medium eſt unicum, juſtitiam nanciſcendi quae Deo placet, quae perfectionibus ejus convenientiſſima eſt, quaque induti ab aeterna poena liberabimur, & cœleſtis vitae evademus haeredes. Non nova haec eſt doctrina de juſtitia per ſolam fidem quaerenda, quanquam nullus Iudaeorum, corticem potius quam nucleum legis caerimonialis ſpectantium, exiſtat, qui

eam

eam non ignoret. Exſtat enim in V. T. libris. Nam quum olim Dominus per Habacucum, prophetam, dixit; juſtus ex fide ſua vivet; *clariſſime nos edocuit, eos ſolos fore juſtos coram ſe, & liberatum iri tum ex captivitate Babylonica, tum a ſervitute ſpirituali per Meſſiam, qui & promiſſioni ſuae fidem habituri, & in eo venturo ſpem ſuam collocaturi eſſent. En igitur laetam fortunatamque eorum, qui credunt, ſortem! Improbos enim & incredulos triſtis manet exitus.*

VI.

NICOLAI BARKEY

DISSERTATIO PHILOLOGICA

DE

אשימא *HAMATHAEORVM IDOLO*

ad 2 Reg. XVII. 30.

Conſpectus.

§. 1. Prooemium. §. 2. *Idola* ex *gentium*, à quibus culta fuerunt, *origine & hiſtoria* explicanda §. 3. & ex *coloniis*, quae idola ſua ſecum deportabant. §. 4. *quid factum* cum *Diis indigenarum*, devictorum ab aliarum gentium *coloniis*. §. 5. Dii *aborigines* ſemper à Diis *colonis* diſtinguendi, *hi* ex regionibus, ubi *aborigines* fuerunt, explicandi. §. 6. *Linguarum* & *Dialectorum* etiam ratio habenda. §. 7. *modeſta* proteſtatio. §. 8. *Sententia* dicitur: *Aſchima Hamathaeorum eſſe Eſmunum Aegyptiorum.* Ordo tractandorum. §. 9. *cognatio* varia *Syros* & *Phoenices* inter & *Aegyptios*. Religio ab *Aegyptiis* ad *Syros* & *Phoenices*. *Byblus* duplex & *Syriae* & *Aegypti*. notatur *Perizonius*. illuſtratur *Lucianus*. varias habebant *Aegyptus* & *Syria* urbes *Synonimas*. §. 10. notatur *Bayerus*. coloniae ab *Aegyptiis* miſſae in *Syriam* & *Phoeniciam*. *Bochartus* notatur. §. 11. illuſtratur ex *Philiſtaeorum* origine ab *Aegyptiis*. §. 12. *Eſmunus* fuit idolum *Aegyptiorum* & in *Phoenicia* cultum. §. 13. cultum iu urbe *Achmin*, quae *Panopolis* eſt, olim dicta *Chemmis*. latet in voce *Chemmis Eſmuni* nomen. illuſtratur *Geographus Nubienſis*. Laudatur *Marshamus*. fuit *Chemmitica Nomos* in *Thebaide*. §. 14. & *Inſula Chemmis*.

mis. *Cadmus*, cur à *Luciano* dictus Νησιωτης. *Vignolii* sententia dubia. §. 15. *Esmunus* idem ac *Apollo Ismenaeus* Thebis Boeoticis cultus. de *tripodibus* hujus Apollinis, quales & cui usui ex *Herodoto*. §. 16. *Analogia* nominum אשימא Ασιμαθ & *Esmun* vel *Ischmin*. §. 17. *Hamathaei* 2 Reg. XVII. 2 Sam. VIII. *non fuerunt posteri Chamati*, *filii Canaanis*, sed *colonia Aegyptiorum*. §. 18. probatur ex situ τῶ חמת in *Syria*, dicta *Epiphania*. §. 19. expenditur Gen. X. 18. 19. Rev. *Bachieuio* respondetur. §. 20. ubi *familia Chamati* filii Canaanis in *Palaestina* quaerenda. Conjectura ad *Epiphaxium* de *Philistaeis*: laudatur Cel. *Ikenius*. *Lasa* ubi. laudatur & notatur *Spanhemius*. §. 21. Analogia nominum חמת & Χεμμις, utrumque forte dicit *Epiphaniam*. Dubium an *Chamath* ab *Antiocho Epiphane* dicta fuerit *Epiphania*. §. 22. de *Thoi* vel *Thou* regis Chamath nomine, an conveniat cum *Thot Aegypt.* quare filius ejus vocetur *Joram* vel *Adoram*. §. 23. quisnam fuerit *Aschima* vel *Esmunus* ex *Jablonskio*. §. 24. corroboratur sententia Cel. *Ikenii* de *Nibchas*. §. 25. dubium movetur & solvitur. An *Arkitarum* & *Zemaritarum* Gen. X. 18. supersint vestigia. §. 26. Promontorium Θεου προσωπον Tripoli continuum antiquitus forte *Bubastus* audivit.

§. 1.

Dissertationem pl. Reverendi, J. D. LETTII, Viri in Litteratura Orientali versatissimi & probitatis fama & re insignis, Amici mei Optimi, quae in hoc ipso Fasciculo secunda est, cum voluptate legi. Praestitit quod in re difficillima ex Litteratura Arabica praestari potest, & conjecturae suae, quoad secundum hypothesin fieri potuit, pro vario eruditionis suae apparatu satis-

ſatisfecit *Vir Doctiſſimus.* Neque ego, dum hanc diſſertationem ſcribo, quicquam his ejus conatibus aut laudi detractum cupio; in re adeo obſcura forte haud meliora daturus. Dedit ſolummodo de Aſchima Hamathæorum idolo cogitandi anſam Amicissimus LETTIVS. Quae animo meo ſubnatae fuerunt cogitationes, libere partim, partim timide profero. Libere & cum fiducia aliqua priores cogitationes explico, ſed dum ventum fuerit ad rem ipſam, & in idolum Hamathaeorum inquirendum erit, timidiuſcule ſcribo, & non niſi conjecturas & forte non niſi nugas. Iudicent eruditi.

§. 2.

Quando Idolorum gentium originem naturam & Etymologiam nominum eorundem inveſtigamus, *populi* praeſertim, apud quos eadem *religionis fuerunt objectum*, rationem quam maxime habendam eſſe cenſeo. Nemini hoc dubium eſſe poteſt, cum Idola non niſi ſuperſtitioni populi, a quo culta fuerunt, tanquam foecundae matri originem ſuam debeant. Sed hic varia in cenſum veniant neceſſum eſt. *Primo* ad originem populi ejusque natales adtendendum eſt. Religio enim gentium, quam primum per ſuperſtitionem corrupta & indies corruptior radices egit, à patribus ut plurimum, quemadmodum, & plusquam vera religio,

ad

ad filios eorumque seros nepotes propagata fuit; nec facile quis ex omni gente à majorum sacris deflexit, sed religionem patrum potius pertinaciter retinuit, &, uti in Proverbio est, pro aris & focis dimicavit. Adscendendum hinc erit, quousque licet, ad primas gentium superstitiones, & idola eorum ab hac origine derivanda sunt.

§. 3.

Observatio hæc producit aliam, quae *Colonias* gentium concernit, *sive* easdem miserint in regiones incultas atque desertas, *sive* in regiones ab aliis populis jam occupatas. Primi occupantis jure coloniae *desertas* & *incultas* regiones tenebant, & hoc pacto nemini fiebat injuria, nemoque laedebatur. Verum *hae* non nisi expeditione bellica & armata manu occupari poterant, nisi indigenae ultro advenientibus hospitium & habitationis locum praeberent. In hoc rerum discrimine Victores pro crudelitate bellorum antiquissimi temporis saepius indigenas, quotquot fuga caedem effugere haud poterant vel nolebant, radicitus exciderunt. Sed saepius etiam Victores & Victi in unam coaluerunt gentem, ita tamen, ut Victi plerumque denominarentur à Victoribus, & Urbi aut regioni in monumentum Victoriae nomen Victoris daretur. Exemplis hoc probare supervacane-

caneum foret, dum eadem erudito Lectori ex omni & vel ex hiſtoria Europaea ſatis ſunt obvia. In utroque autem caſu Colonia *religionis avitae* ſemper tenax fuit. Idola ſua in alias regiones ſecum deportabat. Deos ſuos itinerum & migrationum ſuarum ut *comites* non tantum, ſed etiam ut *Duces* adorabat, & eorum freta auxilio bella aliis inferebat, Deorumque ſuorum favori & auxilio tribuebat, ſi populos alios indigenas internecioni dediſſet, aut ſubjugaſſet, & arva inveniſſet patriis arvis aequalia aut meliora. Patet id ex Ηγεμονης *Ducis* cognomine, quod *Dianae* datum eſt à CALLIMACHO *H. in Dianam v. 227.* Datum autem fuit ei hoc cognomen, quia deductae Miletum à Neleo Athenienſi Codri filio coloniae dux fuit, pro recepto apud veteres nobiliſſimarum coloniarum more, ut Diis non auctoribus ſolum & auſpicibus, ſed Ducibus etiam, idque ſub variis avium, aliorumve animalium figuris, corvi, cygni, apis &c. eædem deduci crederentur. Hinc templa & feſta eidem dicata erant, uti varia eruditionis copia obſervat Illuſtr. EZ. SPANHEMIVS ad *Callimachi l. c.* & ad *H. in Apoll. v. 55.* uti etiam *paſſim* in libro doctiſſimo *de uſu & praeſtantia Numismatum.*

§. 4.

Devictis per colonias indigenis, quid

cum Idolis & sacris eorum factum sit, historiae & monumenta gentium abunde testantur. Populi in fugam acti *Idola sua*, si pote, *secum portabant.* Credebantur Dii, quando regio aut urbs aliqua occupabatur, suis sedibus exire, & alibi sedem figere, suumque ibidem cultum introducere; imo credebantur urbi infensos exire, uti est ap. DIODORVM *Siculum l. XIII. c. 39.* Hinc *Aeneas*, capta Troja, ait apud VIRGILIVM *Aen. l. II. v. 351.*

Excessere omnes adytis arisque relictis
Dii, quibus imperium hoc steterat.

In urbium obsidionibus Dii eorumque sacra ab hostibus evocabantur, nam religioni sibi ducebant Diis aeque ac regionibus & urbibus bellum inferre. Urbis autem incolae Deos suos precibus fatigabant, ne se derelinquerent, & *Tyrios* statuam Apollinis aurea catena ad Herculis aram, ne obsessos derelinqueret Apollo, colligasse, res nota est ex PLVTARCHO & CVRTIO. Plura hac de re habet Vir Illustris, ICtorum Coryphaeus, HENRICVS COCCEIVS, de quo Patria sibi adhuc gratulatur, in peculiari *diss.*, quae etiam Theologis usui esse potest, *de evocatione Deorum ad L. 9. §. 2. ff. de rer. div. Francof. ad Viadrum 1711.* & CAMERARIVS *Hor. Subcis. Cent. II. c. X.* Dedita autem regione aut urbe, & populis utrisque Victoribus

bus & Victis in unam ſocietatem coaleſcentibus, nullus ſibi imperium in conſcientias affectabat, ſed culti plerumque fuerunt utrorumque populorum & Victorum & Devictorum in una eademque regione Dii. Priſcas ſedes tenuerunt Dii indigenae & aborigines, & ibidem Dii Coloni novas ſedes invenerunt. Imo Victores ſæpius devictorum populorum Idola ſecum in patriam deportabant, eorumque ſacra recipiebant, quod vel ex Pantheo Templo Romanorum maxime celebri conſtat. Unde CAMERARIVS *l. c.* in cauſas inquirit, cur Romani, qui Deos gentium, quos ſubjugabant, colendos propitiare eorumque ſacra ſuſcipere volebant, hoc de Deo gentis Hebrææ, dum eum oppugnaverunt vel vicerunt, facere noluerunt, ſc. eos ſciviſſe præceptum divinum de Se ſolo, deletis aliis ſimulachris, colendo. Plures autem Deos in eadem regione aut urbe apud vetuſtiſſimos populos ſimul cultos fuiſſe, quis adeo in hiſtoria gentium hoſpes eſt, ut id ignorare poſſit?

§. 5.

Quæ modo obſervavimus, multum conferunt ad feliciter inveſtigandum Idolorum gentium originem, naturam & quae huc pertinent. Diſcimus inde, neceſſum eſſe, ut *Deos Aborigines* diſtinguamus à *Diis Colonis.*

Dii Aborigines ex populorum Indigenarum origine & natalibus & ex historia eorum, Regibusque & Principibus Viris, qui se potentia, virtute, & rebus factis in pace & bello, aut artibus utilissimisque inventis illustres reddiderunt, sive ex eorum Philosophia & mysteriis cognosci possunt & debent. Quando autem constat Deos aliquos esse *Colonos*, ratio suadet, ut ad regiones & terras recurramus, unde Colonia emigrata fuit, & inquiramus non tantum, num Dii hi, quod ex §§. 2. 3. 4. certum videtur, ibidem culti fuerint, sed eos etiam ut indigenas ibidem consideremus, & ratione modo dicta ex populorum horum origine, natalibus & historia eorundem &c. eruamus Deorum horum originem, naturam & quæ huc pertinent.

§. 6.

Exsurgit ex his alia rem inquirendi & dijudicandi Norma. Nimirum, cum gentes vel antiquissimae lingua vel potius *Dialecto* differrent, dialectus tam populorum Indigenarum quam coloniarum in subsidium vocanda erit. Consulenda imprimis venit *Coloniarum* vel Victorum lingua, & quando probabile erit, magis, si constat, Idolum aliquod non fuisse Indigenum, sed aliunde & quidem per Victores regioni alicui illatum, etymon illius ex *Victorum lingua* deri-

derivandum & eruendum eſt. Fateor, cum linguarum & Dialectorum per colonias & coalitionem populorum, ſi non ſemper, ſaltem ſaepius & ut plurimum mira orta ſit mixtura & varietas; utraeque enim Dialecti & indigenarum & coloniarum ab originaria deflectunt, unique ab altera vel tacite aliquid adhaeret, normam hanc non adeo eſſe directam, ut errori omnis praecluſa ſit via, imo viam potius variis & meris conjecturis aperiri. Verum enimvero ex hac cauſa facile quoque condonari poteſt error, & palma pro iis haud poni poteſt, qui certa & vel ab vetuſtiſſimis populis comprobanda proferunt, ſed pro iis, qui in conjectando prae aliis feliciores deprehenduntur.

§. 7.

Non is autem ego ſum, qui Amico meo Doctiſſimo, pl. Ven. LETTIO palmam reddere dubiam ſuſtineam. Reportet eandem per me licet, & gaudebo, imo nec ægre feram, ſi conjectura mea à Viris in hoc ſtudiorum genere verſatis improbetur & rejiciatur. Hac mente inſtructus timidiorem animum corrigo, & ſi in re adeo obſcura totque ſpinis conſita erravero, erroris veniam ab aequo & erudito Lectore, praeſertim ab amiciſſimo LETTIO ſperare licebit.

§. 8.

Progredior ad qualemcunque meam conjecturam. Legenti nuper opus eruditissimum Celeberrimi PAVLI ERNESTI JABLONSKII, quod *Pantheon Aegyptiorum*, inscripsit, lusit ingenium, annon *Aschima Hamathaeorum* comparari possit cum *Esmuno*, *octavo*, uti vox hoc Aegyptiaca juxta laudatissimum JABLONSKIVM *octavum* significat, *Aegyptiorum post septem Planetas Deo*, de quo fuse & erudite agit *l. II. c. VII. §. 11. sq. & l. V. c. VI. §. 3. sq.* Ut hanc conjecturam probabilem reddam, varia mihi sunt enodanda; sequar autem in his, quae de feliciter investigandis origine, natura & etymis idolorum praemonui. *Primo* dispiciendum erit, quid *Aegypto cum Syria, cujus Hamathaeorum regio pars fuit, & vicinis regionibus longius ab ea dissitis fuerit commune*, vel quibus vinculis, qualique nexu utriusque regionis populi constricti fuerint. *Secundo* probandum erit, *Esmunum Aegyptiorum Deum* fuisse, *eundemque in aliis regionibus cultum. Tertio* Convenientia & *Analogia* τοῦ *Aschima cum Esmuno* non tantum, sed etiam *regionum & urbium illarum, in quibus hoc idolum cultum fuit*, indicanda erit. *Denique* Cel. JABLONSKIVS de *ipso idolo* audiendus erit.

§. 9.

Prius quod attinet, in antecessum moneo,

neo, me, dum de *Syria* loquor, non curare differentiam inter *Syros* & *Aſſyrios*; notum enim eſt, hæc nomina apud antiquos permutari & promiſcue uſurpari, uti præ aliis monet SELDENVS de *Diis Syris proleg. c. 1.*: imo ea, quæ de *Syria* dico, ſæpe de *Phoenicia* quoque, *Tyro*, *Sidone* & *regionibus Euphraten inter & mare mediterraneum ſitis*, *Damaſcena* v. g. & *Babylonica* valere. BEYERVS enim ad SELDENI l. c. docet adeo lato *Syriam* accipi ſignificatu, ut *Aſſyriam*, *Meſopotamiam*, *Babyloniam*, *Phoeniciam* & *Palæſtinam* includat. Has autem regiones peculiarem ad Aegyptum reſpectum habere haud difficulter probari poteſt. Res *primo* ſatis nota eſt, *Aſſyrios ab Aegyptiis doctrinam de Diis accepiſſe*. LVCIANVS *de Dea Syria in initio*, HERODOTVS *l. II. §. 50. p. 108* & AMMIANVS MARCELLINVS *l. XXII. c. XVI p. 268 edit. Gronov.*, ubi v. VALESIVM in *notis*, id diſerte teſtantur, quæ loca etiam attuliſſe video MARSHAMVM *Can. Chron. p. 34.* Citat quoque hanc in rem DAMASCIVM in *Vita Iſidori* TH. SIGFR. BEYERVS in *Theſauro Epiſtolico la Croziano T. I. p. 28.* Notandum autem eſt, ea, quæ LUCIANUS teſtatur, comprobari ab eodem in tract. cit. teſtimonio & exemplo haud ambiguo. Dicit p. 750 Ἔχουσι δε και ἀλλο Φοινικον Ἱρον ουκ Ἀσσυριον, ἀλλ Αιγυπτιον, το ἐξ Ἡλιουπολεως ἐις την Φοινικην ἀπικετο, ἐγω μεν μιν ουκ ὀπωπα, μεγα δε

και τοδε και ἀρχαιον ἐστι. Εἰδον δε και ἐν βυβλω μεγαν Ἱρον Ἀφροδιτης βυβλιης, ἐν τω και τα ὀργια ἐς Ἀδωνιν ἐπιτελεουσι. *Habent autem etiam aliud Templum Phœnices, non Assyrium, sed Aegyptium, quod ex Heliopoli in Phoeniciam pervenit, quod ego quidem ipse non vidi, sed tamen magnum etiam hoc & pervetustum est. Porro & Bybli vidi Templum magnum Veneris Bybliæ cognomento, in quo & ritus quosdam in Adonidem peragunt.* Narrat porro in Adonidis festo incolas capita detondere ὁκως Αἰγυπτιοι ἀπεθανοντος Ἀπιος, *quemadmodum Aegyptii, quando Apis apud ipsos mortuus est.* Et maxime ad rem facit, quod mox sequitur Εἰσι δε ἐνοιο βυβλιων οἱ λεγουσι, παρα σφισι τεταφθαι τον Ὀσιριν τον Αἰγυπτιον, και τα προθεα, και τα ὀργια ὁυκ ἐν τον Ἀδωνιν ἀλλ ἐς τον Οσιριν παντα πραστεθαι. Ἐρεω δε, ὁκοθεν και ταδε πισα δοκεουσι. Κεφαλη ἑκαστον ἐτεος ἐξ Αἰγυπτου ἐς την βυβλον ἀπικνεεται πλωσσουσα τον μεταξυ πλοον ἑπτα ἡμερεων, και μιν οἱ ἀνεμοι φορευσι, θειη ναυτιλιη. Τρεπεται δε ὁυδαμα, ἀλλ ἐς μουνην την βυβλον ἀπικνεεται, και ἐστι το συμπαν θαυμα. Και τουτο ἑκαστον ἐτεος γιγνεται, το και ἐμου παρεοντος ἐν βυβλω ἐγενετο, και την κεφαλην ἐθηκαμην βυβλινην *Sunt autem ex Byblis nonnulli, qui dicunt apud se sepultum esse Osirin Aegytium, luctusque & ritus hosce non Adonidi sed Osiridi omnes fieri. Dicam autem & unde fidem ejus rei faciunt. Caput unoquoque anno ex Aegypto Byblum defertur septem diebus, quo spatio à se distant inde ad hanc civitatem*

tem navigans. Adferunt autem illud venti divina quadam navigatione. Vertitur autem nusquam alio, ſed ſolum Byblum perfertur, quod maximum eſt miraculum. Et hoc fit quovis anno, quemadmodum & me tum præſente Bybli factum eſt, & caput ipſum ex papyro formatum adſpexi. Exhiſce LUCIANI, qui ipſe Syrus vel *Aſſyrius* erat, teſtimoniis liquidiſſime patet, antiquiſſimis temporibus, diverſa & diſtincta fuiſſe Aegyptiorum & Aſſyriorum vicinarumque gentium idola, ſicuti etiam gentes hæ ex diſtinctis patribus originem ſuam habebant, poſtea autem, *Syros ab Aegyptiis, nunquam autem Aegyptios à Syris vel aliis gentibus idola ſua accepiſſe.* Celebrabatur feſtum Adonidis *Bybli*, & Adonis hic expreſſe dicitur *Oſiris Aegyptius.* Aſſerit idem de *Adonide Cyprio* STEPHANUS *Byzantinus* voce Ἀμαθὼς, Πολις Κυπρου ἀρχαιοτατη, ἐν ἡ Ἀδωνις Ὀσιρις ἐτιματο, ὁν Αἰγυπτιον ὀντα Κυπριοι και Φοινικες ἰδιοποιουνται. *Urbs Cypri antiquiſſima, in qua Adonis, Oſiris vel Adonoſiris*, v. notis BERKELII, *honorabatur, quem licet Aegyptium, Cyprii & Phoenices ſibi vindicarunt.* Eo autem magis id notandum, quia juxta PLINIVM hiſt. Nat. l. II. c. 88 *Cyprus* olim *Syriæ adhæſit.* De *Adonide* autem conſuli poſſunt præter SELDENUM & BRAUNIUM in *Sel.* S. BACHETUS DE MEZIRIAC *Comment. ſur les Epitres d' Ovide T. I. p. 357-366.* & DEYLINGIVS diſſ. de *fletu ſuper Thammuz in Ap-*

pend. Observ. S. T. III. Ceterum *Byblus Syriæ* fuit urbs inclyta, ita ut PERIZONIUS ad *Aeliani V. H. l. IV. c. 1.* contra SCHEFFERVM asserere non dubitaverit, *nullam* plane fuisse *ejus nominis* urbem in *Aegypto*, & *Byblum*, de quo AELIANUS, *neutiquam referendam esse ad Aegyptum.* Id autem certe non satis tuto asserit, nam vel ex PLINII *H. Nat: l. XIII. c. X.* constat, tum in *Aegypto*, præsertim Sebennitico Nomo, tum in *Syria* & Euphrate circa Babylonem βυβλον *papyrum*, ex quo forte *Byblus* nomen suum sortita fuit, nasci v. etiam *notas* GVILLIANDI & DALECHAMPII, & qui de papyro erudite scripserunt, I. G. UNGERVM in diss: *de papyro frutice ad Is. XIX. 7. Lipsi: 1731.* & OLAVM CELSIVM in *Hierobotanico T. II. p. 137.* Imo vero apud STEPHANVN *Byzantinum* occurrit in voce βυβλος, Biblus ἐν τω Νειλω πολις ἀσφαλεσατη, το ἐθνικον βυβλιος, ἡ βυβλιτης το τυπω τω Αιγυπτιακω. *Urbs in Nilo munitissima, Gentile est Byblius, vel forma Aegyptiaca Byblites.* Addit BERKELIUS in *notis ex Ctesiæ Excerptis apud Photium* βυβλος πολις ισχυρα ἐν Αιγυπτω *Byblus urbs valida in Aegypto.* Obiter hic noto MICYLLVM, LUCIANI Interpretem l. c. Κεφαλην βυβλινην non satis tute transtulisse *caput ex papyro formatum:* verti enim potest *caput Bybli* in Aegypto *formatum*, vel *quod Bybli servabatur.* Multum hoc pacto commune inter se habebant urbes ejusdem nominis

minis in Aegypto & Syria, & memoria ortus Bybli Syriacæ ex Byblo Aegyptiaca conſervabatur. Synonima alia urbium harum regionum id ſatis oſtendunt. Habebant utræque ſuam Λεοντων πολιν, & Ηλιου πολιν: Habebat *Syria* ſuam *Daphnen*, & notæ ſunt cuivis *Daphnæ Peluſiacæ*, aliasque plures Syria & Phoenicia habebant urbes cum Aegyptiorum urbibus ſynonimas, quae plerumque à cultu Deorum Nympharumque denominatæ fuerunt, de quibus Geographi & Mythologi. Ita obiter noto *Aegyptiorum Copt* vel *Queſt* de quo §. XIII. convenire cum *Syrorum Kupt*, de quo POCOCKIUS in *deſcript. orientis T. II. p. 146.* Conf. quoque §. ultimus hujus diſſertationis.

§. 10.

Ex his aliisve exemplis ſatis certi eſſe poſſumus, magnam antiquitus fuiſſe cognationem Aegyptios inter & Phoenices, Syros & Aſſyrios. Unde autem putemus cognatio hæc inter adeo diſſitas gentes derivanda eſt? Unde Nomina urbium Aegyptiacarum, unde ſacra Aegyptiaca ad hasce gentes tranſierunt? Cl: TH. S. BAYERVS in *Theſ. Epiſtol: la Croziano l. c.* putat per *Iudæos* ad *Syros* ceterasque gentes omnia *ab Aegyptiis* perveniſſe, in quo vereor, ut, ſi de vetuſtiſſimis temporibus quæſtio ſit, uti revera eſt, multos ſibi habeat aſſentientes,

quia

quia LVCIANVS, ipse Ἀσσυρίος ἐων, de antiquissimis seculis loquitur, & Aegyptios ut πρωτους των ἀνθρωπων, quos noverat, considerat, sc: quando Iudæi ex Israele oriundi nondum gentem constituerant. Tempora autem seriora si respiciamus, cum Iudæi, Auspice Ipso Deo, ex Aegypto in Palæstinam profecti essent, qui per *Iudæos*, contra quos fere omnis Oriens militabat, & qui Verum Deum nulla sub imagine colebant, doctrina de Diis & profana religio *ab Aegyptiis ad Syros* ceterasque gentes transmitti, potuerit, nemo facile dixerit. Alia ergo ratione hæc accidisse necessum est. *Bifariám* hoc fieri potuit. Aegyptii *colonias* mittere poterant in has regiones, *aut* earum incolis aperte *bellum* inferre, *aut*, quum indigenæ se à peregrinis haud facile ex sedibus suis removere patiuntur, *utrumque simul*; & tunc coloniæ sunt armatæ, *paratæ ad utrumque*, ad bellum non minus ac ad pacem. Hac ratione in omnibus fere terris jam occupatis coloniæ missæ fuerunt. *Colonias* autem ab *Aegyptiis in alias regiones missas fuisse* constat ex peculiari, sed deperdito, libro ISTRI περι της Αιγυπτιων ἀποικιας, cujus meminit CLEMENS ALEXANDRINVS *Stromat*: *l. I. p. 236.* & CONSTANTINVS *Porphyrogenneta* citatus à MARSHAMO *l. c. p. 110.* Recenset ibi MARSHAMVS ex variis Auctoribus, DIODORO, HESTIAEO, AFRICANO

NO & THVCYDIDE varias *Aegyptiorum* colonias *in terrarum orbem diſſeminatas, in Babylonem, ſede ad Euphraten conſtituta, uſque in Athenas.* Ut autem propius appareat, *colonias Aegyptiacas* in *Phoeniciam* & *Syriam* deductas fuiſſe, aliquot Veterum loca, quæ hujus rei fidem faciunt, allegabo ex A DES VIGNOLES, viri præſtantiſſimi & laborioſiſſimi, *Chronologia* mox citanda. Ita EVSEBIVS *Chron: n. 560 Phoenix & Cadmus de* THEBIS AEGYPTIORVM *profecti apud Tyrum & Sidonem regnarunt.* CEDRENVS, inquit, *Agenoris filii erant Cadmus, Phoenix, Syrus, Cilix & Europa. Dedit Phoenici urbem Tyrum & vicinam regionem, quæ dicitur Phoenicia: Syro autem & Cilici eam, quæ dicitur Syria & Cilicia.* EVSEBIVS *Chron: n. 399* dicit de *Syro* Agenoris tertio filio: *his regnantibus Syrus fuiſſe perhibetur indigena, ex cujus vocabulo Syria nomen accepit.* Habemus hic *coloniam Aegyptiorum* per Agenoris filios ductam in *Phoeniciam & Syriam.* Igne autem & ferro ſubjugatas fuiſſe has regiones ab Aegyptiis putat laudatus IABLONSKIVS *Panthei l. c. p. 296,* dicens, *Phoenices certe, Aegypti olim incolæ ante Moſen,* & ſecundum SANCHONIATHONEM *Berytenſem,* ante bellum Trojanum, *relicta patria ſua, partem Phoeniciæ & Syriæ occupatam ſibi ſubjecerunt.* Citat, qui hoc demonſtratum dederunt, Cl. DES VIGNOLES *Chronologie de l' Hiſtoire Sainte & des hiſtoires etrangeres T. II. p. 29.* & imprimis *les diſſertations*

tions historiques & Critiques de Mr. I. PH. BARATTIER *sur Benjamin de Tudele p. 356. 357.* EX VIGNOLII *Chron. l. c.* veterum loca modo attuli. Est in eo, ut ostendat Tyri canam esse antiquitatem. Doleo autem me BARATTIERII librum non vidisse nec adhuc nanciscì potuisse, quem plura hanc in rem habere fidem fecit IABLONSKIVS. Sunt in hunc usque diem inter rudera urbis *Arcæ* ad pedes Libani superstites *columnæ Thebaicæ*, quæ non nisi ab Aegyptiis Thebanis originem suam habeant necessum est v. SHAWI *Voyages dans la Barbarie & Levant T. II. p. 8.* Non ignoro quidem hoc s. BOCHARTI, summi Viri, sententiæ contrariari, ubi *Phaleg P. II. l. I. c. IV.* de *coloniis Phoenicum in Aegyptum* æque ac in alias regiones agit, & imprimis ad hoc evincendum MANETHONIS fragmento ex JULIO AFRICANO utitur. Verum MANETHONIS fragmentum apud JOSEPHUM dubium reddit, *Phoenices* ne vel *Arabes* fuerint, qui Memphin ceperunt, Τινες δε λεγουσιν αυτους Αραβας ειναι; & certe JOSEPHUS Judæis, contribulibus suis, non satis consuluit, cum pastores hos asserat *Hebræos* fuisse, uti MARSHAMUS *l. c. p. 102* recte ostendit. MANETHONI quidem fidem haud denegandam esse censeo, sed *tempora* haud dubie *distinguenda* sunt. *Poterant* Phoenices antiquissimis temporibus incolæ fuisse Aegypti, & ducibus

cibus Agenore ejusque filiis partem *Syriæ* & *Phoeniciæ* occupaſſe: *poterant* autem horum poſteri quoque Patriam repetere, *Aegyptum* armata manu & δυναστειαν υκσως formare; quanquam, quod alii id de *Arabiæ* incolis explicant, ex ipſo vocabulo υκσως, id eſt, βασιλεις ποιμενες & paſtoritia Arabum vita veri ſit ſimilius.

§. 11.

Satis diu hæſimus in hac hiſtoriæ fabulis involutæ qualicunque excuſſione, in qua, ubi pedem figere, fatemur, dubium & difficile eſſe, & quo quisque ingenioſior, ad innumeras conjecturas eo promtior eſt. Fortius argumentum ad probandum Aegyptios antiquiſſimis temporibus colonias miſiſſe in alias regiones ex ipſis S. Literis petimus, quæ hoc tam clare & diſtincte docent, ut nemini liberum eſſe poſſit id inficias ire. Ita enim ſacer ſcriptor de *origine Philiſtæorum* ex Aegypto ſcribit GEN. X. 14 *Mizraim genuit —— & Pathruſim & Kasluchim, ex quibus egreſſi ſunt Philiſtæi & Caphtoræi:* de quibus gentibus & colonia Aegyptiorum in Palæſtinam vel ad ejus ora conſulendi ſunt *Hiſtoriæ Univerſalis Scriptores Anglici,* SHUKFORDUS in *Harmonia &c.* alii.

§. 12.

Supponamus igitur ea, quæ de Aegyptio-

ptiorum coloniis in Phoeniciam & Syriam disputavimus, & ad *secundum* progrediamur: Sc. *eosdem Phoenices, Aegypti olim incolas Esmuni vel Esmunis numen, quod in Aegypto jam coluerant, ejusque sacra secum in Phoeniciam & Syriam deportasse.* Probat hoc Cel. JABLONSKIUS testimonio DAMASCII *in vita Isidori apud* PHOTIVM, quod hic apponere liceat Ὁ ἐν βηρυτω Ἀσκληπιος οὐκ ἐστιν Ἑλλην, οὐδε Αιγυπ]ιος ἀλλα τις ἐπιχωρι& φοινιξ. Σαδουκω γαρ ἐγενοντο παιδες, οὓς Διοσκορους ἑρμηνευουσι, και Καβειρους, Ὀγδοος δε ἐγενετο ἐπι τουτοις ὁ ΕΣΜΟΥΝΟΣ, ὀν Ἀσκληπιον ἑρμηνευουσιν. Ὀυτ& καλλις& ὠν θεαν και νεανιας ἰδειν ἀξιαγασος, ἐρωμενος γεγονεν, ὡς φησιν ὁ Μυθος, Ἀστρονοης, Θεου φοινισσης, μητρος θεων εἰωθως τε κυνηγετειν ἐν ταις δε ταις ναπαις, ἐπειδη ἐθεασατο την θεον ἀυτον εκκυνηγετουσαν, και φευγονται ἐπιδιωκουσαν, και ἠδη καταληψομενην, ἀποτεμνει πελεκει την ἀυτος ἀυτου παιδοσποροv φυσιν. ἡ δε τω παθει περιαλγησουσα ἠ Παιανα καλεσασα τον νεανισκον, και τη ζωωγονω θερμη ἀναζωπυρησουσα, θεον ἐποιησεν, Ἐσμουνον ὑπο φοινικων ὠνομασμενον ἐπι τη θερμη της ζωης, οἱ δε Ἐσμουνον ὀγδοον ἀξιουσιν ἑρμηνευειν, ὁτι ὀγδοος ἠν τω Σαδυκω παις, ἐν σκοτω διολογιω πυρ ἀναψας. *Aesculapius Beryti in Phoenicia cultus non est Graecus, neque Aegyptius, sed aliquis Phoenix indigena. Nam Saduco nati sunt filii, quos Dioscuros & Cabiros interpretantur. Post hos octavus natus est* ESMVNVS, *quem Aesculapium interpretan-*

tantur. Hic cum ſpecie eſſet pulcherrimus & juvenis adſpectu præſtans, Aſtronoe, Dea Phoeniſſa Deorumque mater eum, ut fert fabula, adamavit. Is vero, dum venationi deditus ſenſiſſet, deam ſibi inſidias ſtruere, ſeque, dum fugeret, inſequi, ac jamjam comprehenſuram eſſe, virilia ſecuri ſibi amputavit. Ipſa hoc caſu dolens, juvenemque Pæana vocans, recreatum vitali calore, in deos retulit, quem Phoenices ESMUNUM *dicunt ob calorem vitæ. Alii octavum malunt interpretari, quoniam octavus fuerat Saduci filius, qui in denſis tenebris magnam lucem accendit.* Docet quoque JABLONSKIUS hunc *Eſmunum* eſſe *Aeſculapium* illum, de quo SANCHONIATON apud EUSEBIUM *de Præparat. Evang. l. I. c. X.* & eum ab *Adonide* haud fuiſſe diverſum, ſed DAMASCIUM in eo, quod dixerit Eſmunum hunc non eſſe *Aegyptium*, ſed pure & mere PHOENICIUM, nullam mereri fidem: nam demonſtraverat numen illud Phoenicium idem omnino nomen in Aegypto habuiſſe, & nonniſi ex Aegypto in Phoeniciam tranſiiſſe: Vocari illud apud Arabes *Ichmin* aut *Iſchemun* aut *Iſchmun*, & in ſcriptis Coptorum *Smin* & *Smun*.

§. 13.

Præterea oſtendit idem laudatiſſimus JABLONSKIUS, quod *urbem* nobis indicat Aegyptiacam, in qua cultus fuit *Eſmunus*, ex KIRCHERI *Scala Coptico Arabica, Smin* vel *Ach-*

min esse PANOPOLIN, duasque fuisse hujus nominis urbes, quarum altera vel secunda HERMOPOLIS est in Heptanomide sive Aegypto media, quæ hodiedum juxta WANSLEBIVM & POCOCKIUM *Achemoun-ain* vel *Akmim*, & juxta PAULUM LUCAM *Chemoumeine* pro *Chemoun-aine* vocatur. Dicitur *Ekmim* apud KALKASENDAM, cujus Excerpta dedit Eruditissimus SHAWIUS in *Extraits de plusieurs anciens Autheurs*, quæ juncta sunt ejus *Voyages p. 152.* Opportune hic venit observatio Cel: SCHULTENSII in *Indice Geograph: ad vitam Saladini, voce Manbesjum, urbibus Orientis, quando Romanis eripiebantur, prisca nomina fuisse restituta;* sicuti *Arabes* veterum nominum fuisse retinentissimos, & primigenia nomina, quæ iis Assyria lingua institutores veteres indiderunt, minime amisisse ex ipsis AMMIANI MARCELLINI verbis monuit CL. J. M. HASIUS in *descriptione regni Davidici & Salomonei p. 256.* Panopolin vero esse, quæ antiquo & vernaculo Aegyptiorum sermone dicta fuit CHEMMIS Χεμμις LABLONSKIUS *l. c.* & POCOCKIUS *in descript. Orientis p. 76* probant ex DIODORO *l. I. c. 16.* τουτω γαρ τους ἐγχωρεους ου μονον ἀγαλματα πεποιηκεναι κατα παν Ιερον, ἀλλα και πολιν ἐπωνυμον κατα την Θηβαιδα, καλουμενην ὑπο των ἐγχωρεων Χεμμιν ἡ Χεμμω μεθερμηνευομενην δε Πανος πολιν. Dicunt autem Pani *huic incolas non solum statuas ad omne Templum,*

plum, ſed etiam urbem huic cognominem in Thebaide, quam incolæ CHEMMIM *vel Chemmo vocant, Græci vero* PANOPOLIN *interpretantur, exſtruxiſſe.* Majorem ad hùc lucem fundit JABLONSKIUS, nam ex ſcriptoribus Arabum MACRIZIO & GELALEDDINO, de antiquiſſimis Aegyptiorum rebus loquentibus, obſervat, latere in nomine *urbis* Chemmis *Numinis* etiam Aegyptiaci nomen, & quidem *Eſmuni*, quem *Panem* eſſe arbitratur. Lubet locum GELALEDDINI, Aegyptii, hic apponere, quia eo mox utemur ad emendandum forte BOCHARTUM. Verba ejus refert KIRCHERUS in *Oedipo. Omnem vero regionem ſupra Copt uſque in Eſmun* (veterem Syenem) *& quod infra uſque in Eſmum* (Chemmim ſive Panopolin) *in Orientali & Occidentali plaga, Eſmun filio dedit, & habitavit Eſmun* (Panopolin) *& appellata fuit ab ipſo Eſmun.* Opportune in ſubſidium venit GEOGRAPHUS ARABS *Nubienſis*, cujus excerpta dedit laudatus HASIUS l. c. p. 141. *Echmim & Balbana ſunt duæ urbes, ædificiorum copia non impares — In prædicta urbe Echmim exſtat ædificium illud, quod appellatur Beraba, & inter plures Berabas hæc ædificio firmior & rebus memoria dignis ornatior eſt, nam in iſto domicilio ſunt nonnullæ ſtellarum & artium quarundam picturæ, ſcripta diverſa, variæque ſcientiæ — Ab urbe Echmim ad urbem Queft ſemidiei eſt navigatio, urbs illa Queft procul diſtat à Nili parte orientali. Eſmun*

autem GELALEDDINI idem esse, quod NUBIENSI *Geographo Echmim* audit, ex vicinis *Copt* & *Queft* satis tute suspicari licet. Forte idem est, quod ex eodem Geographo BOCHARTUS *Phaleg. p. 358* קריה אלשאמיין appellat & *oppidum Syrorum* vertit *ad Nili ripam orientalem aliquot millibus infra Meser.* Cum enim אל præpositio sit *Arabum* satis frequens, pluribusque præfixa nominibus, urbs *Esmun* vel *Echmim* Dialecto Coptica שאמיין *Smin* vocari potuit. *Geographi* NUBIENSIS, quam de Templo *Beraba* fecit, descriptio hoc magis adtentionem meretur, quia cum ea, quam in POCOCKIO *l. c.* invenies, mire convenit. Non incongruum erit hic ea, quæ de Χεμμι Aegyptiorum reperire licuit, addere. HERODOTUS ait *l. II. c. 91. p. 120 ed. Gronov.* Ἐστι Χεμμις πολις μεγαλη νομου του Θηβαικου, ἐγγυς νεης πολιος, ἐν ταυτη τη πολι ἐστι Περσεος του Δαναης Ἱρον τετραγωνον —— λεγουσι δε Αἰγυπτιοι τον Δαναον και τον Λυγκεα ἐοντας χεμμιτας ἐκπλωσαι ἐς την Ἑλλαδα κ.τ.λ. *Est autem Chemmis oppidum grande Thebaicæ regionis, prope Neapolin, quo in oppido est Templum Persei Danaæ filii quadratum —— Dicunt autem Aegyptii Danaum & Lynceum, qui essent Chemmitæ, navigasse in Græciam.* Recte hic MARSHAMUS *l. c. p. 131.* notat *Cadmi* navigationem *antiquiorem* fuisse juxta *Marmor* ARUNDELIANUM, & ex DIODORI & APOLLODORI testimoniis quoque facile patet, *Danaï* exi-

exitum ab illo *Cadmi* multum differre: teſtantur enim *Danaum* cum filiabus *ex Aegypto aufugiſſe.* Recenſet etiam HERODOTUS inter Νομους Aegypti Χεμμιτην l. II. p. 153. non obſcuro indicio, Chemmitarum haud exiguam in Thebaide fuiſſe regionem. Tandem apud HELIODORUM etiam του Χεμμις mentio fit in *Aethiopicis l. II. c. V. p. 92.* Deſcribit eam multis ſeculis poſt ut τινα κωμην ουτω καλουμενην, ευδαιμονα τε και πολυανθρωπον, και ταις οχθαις του Νειλου προς επιτειχισμον των βουκολων επι λοφου παρωκισμενην *ut pagum quendam ſic appellatum, opulentum & frequentem hominibus, & ad ripas Nili in colle munitionis cauſa contra incurſum bubulcorum ſitum.* Ibidem cultam fuiſſe *Iſidem* idem HELIODORUS indicare videtur, quando *l. VI. p. 276.* eam vocat *Iſin* χεμμιατιδα uti jam indicavit HOLSTENIUS ad STEPHANVM *de Urbibus.*

§. 14.

Præter urbem autem & regionem Chemmis nomine inſignitas, meminit HERODOTUS etiam INSULÆ CHEMMIS. Ita loquitur l. II. p. 149. Ἐστι Νησος ἡ Χεμμις καλουμενη ἐν λιμνη βαθει και πλατει κειμενη παρα το ἐν Βουτοι Ἱρον, λεγεται δε ὑπ' Αἰγυπτιων αὐτη ἡ Νησος ἐινα πλωτη, αὐτος μεν ἐγωγε οὐτε πλεουσαν, οὐτε κινηθεισαν ειδον, τεθηπα δε ακουων, ει νησος αληθεως ἐστι πλωτη, ἐν δη ὡν ταυτη νηος τε Ἀπολλωνος μεγας ἐνι, καιβω-

βωμοι τριφασιοι ενιδρυνται, εμπεφυκασι δε εν αυτη φοινικες συχνοι, και αλλα δενδρεα, και καρποφορα και αφορα πολλα. Λογον δε τονδε επιλεγοντες οι Αιγυπτιοι, φασι ειναι αυτην πλωτην, ως εν τη νησω ταυτη ουκ εουση προτερον πλωτη, Λητω, εουσα των οκτω θεων τον πρωτων γενομενων, οικεουσα δε εν βουτοι πολι, ινα δη οι το χρηστηριον τουτο εστι, Απολλωνα παρα Ισιος παρακαταθηκην δεξαμενη, διεσωσε κατακρυψασα εν τη νυν πλωτη λεγομενη νησω, οτε το παν διζημενος ο Τυφων επηλθε, θελων εξευρειν του Οσιριος τον παιδα. *Est* INSULA *quæ vocatur* CHEMMIS *in lacu profundo ac spacioso sita propter Templum, quod Buto est, quæ Insula ab Aegyptis fertur innare: Ego autem neque eam innantem vidi, neque motam, sed hoc audire admiratus sum, si vere est Insula natans. In hac igitur Templum Apollinis magnum & aræ triplices exstructæ sunt, & palmæ frequentes in eadem enatæ, aliæque multæ partim fructiferæ, partim arbores fructum non ferentes. Cur autem ea natans sit, hanc Aegyptii rationem reddunt, quod in hac Insula olim fixa, & tunc non natante, Latona, quæ ex octo numinibus, quæ prima exstiterunt, unum est, quum in urbe Buto, ubi hoc ejus oraculum est, habitaret, Apollinem instar depositi ab Iside accipiens, occultavit in ea jam natante Insula, ac sospitem reddidit, quo tempore Typhon, omnia indagans, ut Osiris filium inveniret, advenisset.* Locum hanc, licet longiorem, ideo exscripsi, quia ex eo haud obscure apparet, Aegyptios *octo* pri-

primaria finxiſſe numina, ex quibus unum fuit *Latona*, & proinde Etymologiam *Eſmuni*, quam dedit JABLONSKIVS, veri eſſe ſimilem. Si autem fuerit in Aegypto *Inſula, Chemmis* dicta, dubium fit, an ſententia eruditiſſimi VIGNOLII *Chronol. T. II. p. 29* qua titulum *Cadmi* ὁ Νησιωτης, quo inſignitur apud LVCIANVM in *Judicio Vocalium p. 77.* non ſolum ab *Inſula Tyro* derivat, qua in ſententia ſibi quoque conſentientes habet SOLANVM & Litteraturæ Græcæ maximum Antiſtitem T. HEMSTERHVSIVM ad *Luciani l. c. edit. Reitzianæ*, verum etiam ex hac hypotheſi probare conatur, *Cadmum*, ex Aegypto in Phoeniciam delatum, *Tyrum Inſularem* exſtruxiſſe, eamque incoluiſſe, ſatis firmo nitatur talo. Nam quemadmodum Νησιωτης proprie *non tam* eum, qui *Inſulam incolit, quam qui ex Inſula oriundus eſt*, ſignificat, ita dici poteſt, *Cadmum* à LVCIANO vocari Νησιωτην, quod in *Inſula Chemmi natus* aut educatus eſſet. Dicit quidem EVSEBIVS *l. c. Cadmum* de *Thebis* Aegyptiorum profectum fuiſſe in Syriam, & à DIODORO l. I. c. 25 vocatur *Thebanus;* ſed *Inſula Chemmis* quoque in *Thebaide* ſita erat, neque ſatis conſtat, an DIODORVS *Thebarum urbem*, vel *Inſulam in Thebaide* indicare voluerit.

§. 15.

De *Esmuno* Aegyptiorum Deo nihil præterea occurrit, nisi quod forte ad hunc referendus sit *Apollo* ISMENEVS in *Boeotia* & quidem *Thebis* cultus, cujus frequenter, uti etiam Templi ad cultum ejus exstructi & *Ismenis fluvii* meminit PAVSANIAS in *Boeoticis*. PINDARVS, ubi Herridas Thebanas καδμου κορας hortatur, ut continuo μαντειον *Apollinis Ismeni* adeant, dicit *Pyth. Od. XI. p. 371 edit. Schmid.*

χρυσεων
ἐς ἀδυτον Τριποδων
θησαυρον ὀν περιαλλ. ἐτι
μασε Λοξιας
ἸΣΜΗΝΙΟΝ δ' ὀνομα
ζεν, ἀλαθεα μαντειον θωκον

aureorum
ad secretum Tripodum
thesaurum, quem eximie hono
ravit Apollo Loxias
ISMENIUMQVE nomi
navit, veracem fatidicam sedem.

vide sis ibi notas s. SCHMIDII, & quæ docte de cognonime Apollinis *Ismeneus* commentatur Ill: EZ. SPANHEMIUS ad CALLIMACHI *H. in Del. v. 77. p. 375.* ubi idem cognomen reperitur, & quæ ibi de *Tripodibus* hujus & aliarum urbium Apollinis ad

cit:

cit: PINDARI locum v. 90. p. 383 ſq. Illuſtrant SCHMIDIUS & SPANHEMIUS phraſin τριποδων θησαυρον ex more antiquo præſertim Thebanorum, quo juxta PAUSANIAM in *Boeoticis l. IX* eorum pueri, ſi non in univerſum omnes, nobiliſſimi tamen δαφνηφορησαντες *laurigeri adoleſcentes* ſueverant ανατθειναι χαλκουν τω Πυθω τριποδα *conſecrare æneum Apollini Iſmeneo tripodam* Quænam conſecrationis horum Tripodum fuerit ratio, inquirit l. c. laudatiſſimus SPANHEMIVS, quibus obiter addo, videri *tripodes* hos ejusmodi fuiſſe, quales HERODOTO l. c. audiunt βωμαι τριφασιοι, *aræ tripodis figuram habentes*, quarum ectypon ipſe SPANHEMIUS ex nummo Phocidis apud GOLTZIUM exhibet p. 388. in quo *Tripus cum ara deſuper*. Habebat itaque quisque divitiorum in delubro Apollinis *Iſmenii* Tripodem vel *aram* ſuam, in qua ipſi ſacrificandum erat, quando oraculum ſciſcitabatur. Verum e diverticulo in viam, ut oſtendamus, quomodo Apollo *Iſmenius* potuerit fuiſſe Aegyptiorum *Eſmunus*. Ne dicam de convenientia nominum, quæ ad oculum patet, ipſe Lyricus vates nos eo ducit. Nam Thebarum Boeoticarum incolas vocat Καδμευκοραϛ *Cadmi filias*. *Cadmus* autem non ſolum *ex Aegypto in Phoeniciam*, ſed etiam *ex Phoenicia in Græciam* migraſſe dicitur ab omni antiquitate, quod cuivis vel ex C. STEPHANI &

N. LLOYDII *Dict: Geogr: & Poet:* notum esse potest. Numina autem sua cum secum deportarent coloniæ §. 3, quam maxime veri habet simile, *Esmunum* Aegyptiorum eundem fuisse cum Apolline *Ismenio* Thebarum Boeoticarum.

§. 16.

Satis de *Chemmi* Aegyptiorum, & idolo *Esmuno* in hac urbe & insula fortassis ejusdem nominis culto, & deportato, hoc in alias regiones idolo, præsertim per Cadmum in *Syriam, Phoeniciam & Boeotiam* dictum esse censeo. Accedimus propius ad institutum, quo ASCHIMAM *Hamathæorum idolum*, eundem fuisse cum ESMUNO *Aegyptiaco* hariolamur. Videor mihi hic aquam hærere, sed cum inter hujusmodi conjecturas fere nulla sit, in qua nequicquam aquæ hæreat, videamus, quœnam sit convenientia inter *Aschima* & *Esmunum*; dein de *Hamath* & *Hamathæis* quædam adnotabimus, quæ fortassis hanc in rem opportuna erunt. De אשימא nihil est in S. S. nisi locus 2 Reg: XVII. 30. & in profanorum antiquissimis scriptis altum de hoc idolo, si singulas aucupamur syllabas & literas, silentium est. Hinc, cum idola gentium plerumque inter se conveniant & cognata sint, nulla alia via, quale sit hoc idolum, eruendi nobis relicta est, quam ea qua, ex convenientia lite-

terarum incedi poteſt. Hac autem ratione in plerisque & quidem prioribus literis nullus fere reperitur nodus, nullumque dubium. Literæ enim אשים diſtincte in hoc idoli etymo occurrunt, dum dicitur *Eſmunus* vel *Ichminus*, *Achmimus*, *Iſchmunus* & *Iſchemunus*, uti ſupra adnotavimus. Sola ultima Litera *Nun* in *Eſmun* nodum facit, qui ſolutu difficilior videtur, quia in dialectis *Arabica* & *Coptica* radicalis eſt. *Septuaginta Interpretes*, dum אשימא vertunt per Ασιμαθ, pro א videntur legiſſe ת vel ט, aut more ſolito adjeciſſe literam θ. Nihil autem vel parum hoc nos juvat, cum reliquæ verſiones in *Bibliis Polyglottis* omnes terminationem per א finalem retineant. Nihil igitur ad ſolvendum hunc nodum dicendum reſtat, quam quod nomen hoc tractu temporis in Syria *Dialecto Syriaca* ita pronunciatum fuerit, aut, quod, cum varii populi ex *Babelis*, *Cuthæorum*, *Hamathæorum*, *Awæorum*, & *Sepharvaimarum* regionibus *Samariam* miſſi ſint, magna mixtura & confuſio linguarum orta fuerit, qua effectum, ut pro אשימן dictum ſit אשימא. Præterea, cum ex *Samaritanis* ſacerdotes aliqui ab Aſſyriae rege in Samaritanam regionem miſſi fuerint, qui advenas vel colonos religionem hujus regionis edocere deberent, & procul omni dubio per hos ſacerdotes notitia rerum in Samaritana terra geſtarum

ad

ad Judæos & ita ad scriptorem sacrum delata sit, nodus hic forte multo expeditius ex lingua vel *Dialecto Samaritana* solvi potest. Suppositio itaque, quod Litera *Nun* pro varietate Dialectorum sæpius in fine vocis ut *y* vel *ng* pronunciata fuerit, nihil insoliti accidit, si Sacerdos Samaritanus audita אשימן voce ex pronunciatione alicujus *Syri*, vel *Babylonii*, vel *Cuthæi*, vel *Hamathæi*, vel *Alvæi*, vel *Sepharvimitæ* alicujus, ac si esset אשימן, scripserit אשימא: præcipue, quia à Philologis observatum est, *Samaritanos* sæpius ע in א mutare, uti ארק pro ערק V. CARPZOVIVS in *Critica Sacra p. 615.* & *ὁ πανυ* SCHULTENSIUS in *Clavi Dialect. p. 192* ostendit א quandoque apud *Arabes* in ע transformari, ita ut conveniant ذرأ & زرع *sparsit, seminavit.* Ita nodum hunc solvo, verum ingenue fateor, me in hac solutione non acquiescere, priusquam Virorum eruditorum, qui in his literis habitant, & in saniore critica habitum sibi comparaverunt, comprobata & munita sit suffragio.

§. 17.

Eodem animo etiam cetera, quae ad hanc rem spectant, eruditorum horum oculis subjicio, quae si verisimilitudine se commendant, priori conjecturae supperias ferunt. Concernunt ea imprimis *regionem* & *urbem*, in quibus divino honore colebatur

tur *Aſchima.* Fuit haec tum regio tum urbs ejusdem nominis חמת CHAMATH. Dicitur 2 Reg. XVII. 30 ואנשי חמת עשו את־אשימא *Et viri advenae ex Chamath exſtruxeruni Aſchima in idolum.* Regionis vel regni, cujus metropolis Chamath fuit, ut & *Regis* meminit Sacer Hiſtoricus 2 Sam. VIII. 9. תעי מלך חמת *Thoi, Rex Chamath.* Conjicio autem, *Aegyptios*, qui ſubjugata Syria ibidem ſedes fixerant, & quidem eos, qui ex *Inſula vel urbe* Χεμμι *venerant*, urbem hanc *Chamath ædificaſſe*, eandemque ad memoriam patriæ urbis conſervandam hoc ipſo nomine Aegyptiaco Chamath appellaſſe, uti etiam apud Luſitanos, Belgas, Anglos, Gallos, Danos, Suecos aliosque populos majorum noſtrorum aetate & hodiedum in India utraque aſſolet, & ita ſecum numen ſuum *Eſmunum* aut *Aſchima* in novam urbem deportaſſe & collocaſſe. Paradoxum hoc omnino quam plurimis videbitur, qui, quamprimum animum ad Chorographiæ ſtudium adverterunt, mecum didicerunt, *Hamathæos* à filio Canaanis חמתי *Chamathi*, qui filiorum ejus recenſetur undecimus Gen. X. 18. 1 Chron. I. 9. deſcendiſſe. Ita ſentiunt tantum non omnes interpretes, & qui Chorographiam Sacram illuſtrarunt, BOCHARTUS, SPANHEMIUS, CELLARIUS, RELANDUS, VITRINGA, HASIVS, SHAWIVS, BACHIENIVS, alii. Et fateor, mihi ipſi hanc cogitatio-

tio-

tionem prima fronte adeo paradoxam viſam fuiſſe, ut eam protinus, ut inficetam & ridiculam, ex animo mittere cupiverim. Interea rei, ſumtis tabulis Chorographicis & conſultis Veterum ſcriptis ſtudioſe inquirendo, ubinam *Chamath* regio & urbs, à quibus *Hamathæi* nomen ſuum nacti ſunt, ſitæ fuerint, vel invitus, in eam, quæ adeo paradoxa videbatur, deſcendi ſententiam, ſc: *Hamathæos*, quorum mentio ſit 2 Reg: XVII. & 2 Sam: VIII. & in aliis locis S. S, *non fuiſſe nepotes Chamathi filii Canaanis*, de quo legitur Gen. X. 18. ſed *alios populos*, nihil cum poſteris Chamathi Cananæi, vel parum commune habentes. Ut autem pateat, quibus inductus rationibus, in hanc iverim ſententiam *primo* de *ſitu urbis Chamath* diſpiciendum erit, *ſecundo*, ex *limitibus*, quos S. S. *filiis Canaanis* tribuit, & *comparatione cum urbe Chamath, ejusque ſitu* oſtendam, *poſteros Canaanis ex Chamathi deſcendentes plurimum differre ab Hamathæis Syriæ. Tertio Analogiam Chemmin Aegyptiorum* inter & *Chamatham Syriæ indicabo.*

§. 18.

De ſitu regionis & urbis *Chamath* varia notaverunt & diſputaverunt Viri eruditi BOCHARTVS, MARSHAMVS, RELANDVS, NORISIVS *de anno & Epocha Macedonum diſſ. III. §. VI. p. 334.* VITRINGA *Comment: ad Jeſ.*

Jeſ: X. SCHVLTENSIVS *l. c.* DES VIGNOLES *l. c. p. 93.* IKENIVS *diſſ. Phil. Theol. p. 147.* qui GAGNIERIVM quoque in *præfatione* ad ABVLFEDAM., principem olim Chamathæ, hanc in rem laudat, & HARENBERGIVS in *Supplemento ad Relandi Palæſtinam*, quod exſtat in MISCELL. LIPSIENSIBVS NOVIS *Vol. IV. p. 505.* Plerique adhuc dubii ſunt, an *Chamath* ſit *Antiochia* vel *Epiphania*, vel *Apamea Syriæ*, uti putat SHAWIVS *Voyages dans la Barbarie & Levant T. II. p. 5.* vel *Heliopolis Libaniſſa* uti HARENBERGIVS *l. c.* vel aliqua alia urbs in *tribu quadam Iſraelis.* Verum qui legit ea, quæ ſtudioſe & ex profeſſo diſputata ſunt, ad evincendum *Chamath eſſe Epiphaniam Syriae ad Orontem fluvium* ſitam, à COBIO diſſ. *de Syria Zoba §. 8. Wittenbergæ* edita, Cl. HASIO in *delineat. regni Dav. & Salom. p. 256. 257.* POCOCKIO in *deſcript. Orientis p. 142. 143.* & BACHIENIO in *deſcriptione tabularum Orientis Belgica*, Bibliis plerumque *a. 1748 Gorinchemii editis* juncta, non poteſt non huic ſententiæ adſtipulari. Otium itaque nobis in indagando urbis hujus ſitu fecerunt citati Viri eruditi. Addere autem licet Veterum aliquot teſtimonia, quæ hanc ſententiam roborare videntur. Ita CYRILLVS *Opp. T. III. p. 730.* Γη δε αδραχ χωρα που παντος ἐϛι κατα την ἑωαν κειμενη, ἡς γειτων ἡτε Ημαθ, ἡ τις ἐϛιν Επιφανεια, των Αντιοχεων προσωτερα βραχυ, και ἡ Δαμασκος, ἡ

ἐϛι

ἐστι Φοινικων τε και Παλαιστινης Μητροπολις. *Terra autem Adrach regio utique est Orientis, cui finitima est Emath, quæ est Epiphania paulo supra Antiochiam, & Damascus, quæ est Phoenicum & Palæstinæ Metropolis.* Dum autem CYRILLVS de *Antiochia* loquitur, intelligit forte *Riblam*, quæ inter alias urbes etiam cognomen *Antiochiæ* tulit juxta CELLARIUM in *Notitia Orbis Ant: T. II. p. 463.* EVSEBIVS in *Onomastico*, quem locum quoque explicat Cel. WESSELINGIVS *Probab c. XXV.* ait Ἐμαθ — — και ἐν τω Ἀμως Ἐμαθ Ραββα ἡ ἐστιν Ἐμαθ ἡ μεγαλη, κειται δε και ἀνωτερω, και μηποτε αὐτη ἐστιν Ἐπιφανειας ἡ πλησιον Ἐμεσσης. *Emath, in Amos quoque est Emath Rabba, quæ Emath magna est, sita autem hæc est superius, & minime illa est Epiphania, quæ juxta Emesam est.* Non disputo, an recte se habeat, quod distinguat *Emath magnam à parva*, exploditur enim hæc distinctio à CELLARIO & aliis, nobis sufficit, hoc testimonio satis patere, per *Emath* etiam à Veteribus intellectam fuisse *Epiphaniam.* AQVILA, uti ex THEODORETO & PROCOPIO scimus, חמת מלך 2 Sam: VIII. 9 vertit βασιλευς της Επιφανειας, & scribit THEODORETVS *Quæst. XXII. in 2 Reg.* Ακυλας ηρμηνευσεν Εμαθ την Επιφανειαν της Συριας *Aquila transtulit Emath Epiphaniam Syriæ.* CAR. A S. PAVLO *Geogr: S. edit. Holstenii p. 288* in Notitia Patriarchatus Antiocheni & quidem in *Syria Secunda* recenset *Epiphaniam* Ptolomei vulgo *Mapia*, re-

teſte Cuſpiniano. Nigro vero *Aman*. Adhuc unum addo teſtimonium, quod reperias in *Excerptis ex libro* STEPHANI *Synenſis Archiepiſcopi*, ſub finem ſeculi XIII. cui titulus eſt, *Hiſtoria Satraparum Orbelenſium in Majore Armenia de expeditionibus Tartaricis.* Ita legimus, *Tertia pars in mediterraneas regiones venit, Ceperunt & Chorazan — item domum Shamai Urhai (Edeſſam) Charram & Halep, uſque ad Hams (Emeſam) &* HAMAI. V. LA CROZIVS *ad Th. S. Bayerum in Theſauro Epiſt: T. III. p. 11.* Chamath igitur urbs & Regio proprie dicta ultra Libanum ſita fuit, & uſque ad terminos terræ Iſraeliticæ porrigebat, ſicuti etiam 2 Sam: VIII. & 1 Chron: XVIII. *Thoi* ut *Rex Chammath* deſignatur, qui victo à Davide Hadadezere מלך חמתה צובה *rege Chammath Zobæ*, miſſis muneribus Davidis amicitiam ambivit, cumque eo foedus pepigit, ſui juris manens, donec per Salomonem forte urbs & regio occupata fuit; & id ex eo fit probabile, quod Salomo in regione Chamath armamentarium exſtruxiſſe dicatur 2 Chron. VIII. 4. Saltem certum eſt, Jeroboamum II regem Iſraelis urbem hanc iterum recuperaſſe 2 Reg. XIV. 28. coll. Amos VI. 2. 2 Chron. XXVI. 6. Jeſ. X. 9. uti hæc *Chamathæ* fata recenſet Cl. HASIVS *l. c.* & *p. 274.* Erat in regione Chamath urbs *Ribla*, quæ filiis Zedekiæ & nobilioribus Judæ cru-

delitate Nebucadnezaris quam maxime fatalis obtigit. 2 Reg. XXV. 6. Jer. XXXIX. 5. LII. 9. 10.

§. 19.

Determinato autem situ urbis & regionis *Chamath in Syria*, haud difficile erit ostendere, *hanc Chamatham non fuisse sedes posterorum Chamathi, filii Canaanis*, easdemque *alibi* investigare. Prius quod attinet, ex ipsis terminis terræ Canaanis illud confici potest, qui disertis verbis leguntur & accurate determinantur Gen. X, 19: & hic locus, quia de antiquissimis temporibus jam ante Mosen loquitur, bene notandus est. *Et terminus Canaanitarum erat à Sidone, ubi venis versus Gerar ad Gazam usque, ubi venis versus Sodomam & Gomorram & Seboim usque ad Lasam.* Longitudinem æque ac latitudinem terræ Canaanis hic satis accurate determinatam habemus, & quam distinctissime termini hi extra omnem dubitationis aleam ponunt, filios Canaanis sedes suas *intra* eosdem fixisse. Non video, quid his opponi possit, si *Mosen solummodo* legas, & ex eo discere velis, ubinam posteri Canaanis habitacula sua quæsiverint. Verum, si prius Chamati posteros *extra* indicatos Canaanis terminos posueris, necessario rationes proferendæ sunt, cur aliqui ex Canaanis posteris, veluti Chamathæi, ex Canaane iterum egrediendo vel progrediendo novas sedes in Syria quæ-

quæſiverint. Vidit hoc, & invenit has rationes cum Doctiſſimis HISTORIÆ VNIVERSALIS Scriptoribus, in Anglia editis, *P.* II. *p. 115. 243 edit. Belgicæ*, & CVMBERLANDO in *hiſtoria Phoenicia Sanchoniathonis p. 389 edit. Germ.* pl. Rev. & doctiſſimus W. A. BACHIENIVS, V.D.M. jam Trajectinus ad Moſam *l. c. ad tabulam Canaanis tertiam.* Dicit, *maxime probabile eſſe, aliquos ſaltem Canaanis poſteros numeroſa prole beatos adeo creviſſe, ut regio Canaanis eos ferre aut alere parum ſuffecerit*, atque adeo *ipſis neceſſum fuiſſe ultra dictos Canaanis terminos progredi, novasque ſedes occupare, idque feciſſe Chamathi poſteros.* Verum, pace *Viri Doctiſſimi*, licet numeroſam prolem Canaanis poſteris utique liberali manu concedam, hæc ſola ratio aſſenſum meum non impetrabit. Si enim terra Canaanis, ſeculis quibusdam poſt, XII *filiorum Iſraelis* poſteritatem, quæ haud dubie ſingulari Dei promiſſione & benedictione *multo foecundior* & *numeroſior* exſtitit, ferre & alere potuerit, ſtatuendum eſt, terram hanc faciliori modo XI *poſteros Canaanis* alere potuiſſe. Neque ulla ratio eſt, ut mihi quidem videtur, cur poſteritatem Chamathi, alia Canaanis filiorum fœcundiorem nobis imaginemur. Quod autem *Vir Doctiſſimus* promit de *Arkitis, Sinitis, Arvaditis* & *Zemaritis*, qui inter populos illos, quos Iſraelitæ in Canaane invenerunt, haud reperiuntur, veroſimillimum eſſe, eos pede-

tentim *per alterna conjugia adeo inter se fuisse commixtos, ut specialem Patriarcham nemo cognoscere potuisset,* & eapropter in variis S. S. locis generaliori *Canaanitarum* nomine designatos fuisse, concedo ad tempus; verum simul auguror, idem *Viro Doctissimo* de *Chamatheis* dicendum fuisse, nisi eosdem jam ultra terræ Canaanis terminos constituisset. Alteram hujus asserti rationem Vir eruditus petit ex ipso loco Gen X. 18., ubi, recensione filiorum Canaanis facta, ita pergit Scriptor Sacer ואחר נפצו משפחות הכנעני, & immediate his junguntur distincte indicati Canaanis termini. Hunc locum ita explicat *Vir pl. Reverendus: Quum familiæ hæ in terra Canaanis habitabant, aliquæ earum postea extra eam dispersæ fuerunt.* Paraphrasis hypothesi exacte respondet, vereor hinc, ut facta sit inserviendæ hypotheseos causa. Ne dicam, *quod* de *habitatione* familiarum harum in Canaane *nihil* in textu exstet, *quod* ex his familiis *nulla* excipiatur, *quod* id, quod de *una* dicitur, etiam dicatur de *altera*, non nisi meam *paraphrasin* profero: penes ipsum Lectorem judicium sit, quæ magis textui sacro & scopo Scriptoris conveniat. *Postquam Canaan filios suos undecim genuerat, ipse Pater familias & Dux cum filiis suis in terram venit, quæ sequenti tempore ab eo nomen sortiebatur, & postea, mortuo patre, familiæ hæ Canaanitarum se in hanc terram effuderunt,* cujus *termini* statim subjiciuntur v. 19.

19. Ceterum, de his *Canaanis familiis* conferri poſſunt E. SIMSONIS *Chronicon ad A. 1757. p. 74. edit. Weſſeling.* SHVKFORDI *Harmonia Sacr. & profan. Script. T. I. l.* III. HIST. VNIVERS. *Scriptt. l. c. & B.* affinis mei C. BOOTTII *Sermonis Belgici ad Gen. X* jamjam luci expoſiti.

§. 20.

Ad aliam jam, *redactis Chamathæis ad Canaanis fines*, progredimur quæſtionem. *Ubinam ſc. hæc familia ſedes ſuas in Canaane fixerit?* Verſamur hic in mera caligine. EPHIPHANIVS, ex Palæſtina oriundus, *adverſus hæreſes T.* II. *hær. 66. n. 84*, narrata de diſtributione totius orbis per Noachum inter filios ſuos ſub fide juramenti, & Semi in Canaanem ſorte, fabula, filios Canaanis nominatim recenſet, *Chamatheum* autem omittit, eidemque ſubſtituit Φιλιϛαιον. Adeo mirum hoc jam viſum fuit τω παντι S. BOCHARTO *de Chamath* agenti *l. c. l.* IV. *c. 37. p. 307.* ut illud *inexpeditum* aliisque divinandum reliquerit. Forte in re hac admodum dubia probabilis foret conjectura, ſi ſtatueremus Chamatheis ſedem fuiſſe in *ea regione*, quæ poſtea, ſed jam ante Moſen, à poſteris *Casluchin* filii *Mitzraimi* ex Aegypto occupata fuit. Vocabantur *Casluchini* illi propter hanc in regiones maritimas Canaanis migrationem, adnuente illis, ſicuti Iſraelitis, Summo Numine Amos IX. 7. פלשתים *peregrini*, uti feliciter ſatis vocis hujus etymon ex lin-

guis Aethiopica & Samaritana erutum dedit Celeberrimus C. IKENIVS, Præceptor & Anteceſſor meus ſemper Devenerandus in elegantiſſima *diſſ. de Crethi & Plethi diſſ. Philol. p. 116.* Exciſi tum fuerunt *Chamathæi* per *Philiſtæos*, vel, quod adhuc magis arrideret, cum *Philiſtæis ita connexi, ut in unam ſocietatem & gentem coaluerint*, nomenque Victorum iisdem ſit impoſitum. Sed hæc mitto: corrigatur aut illuſtretur alio & faciliori modo locus Epiphanii, per me licet. Aliam *Chamathi poſteros in Canaane* inveniendi, fortaſſis magis adhuc probabilem, viam ineo. Facem præfert Scriptor ſacer, dum terminos Canaanis determinat Gen. X. 19. Notari meretur ordo in hac determinatione ſervatus. Incipit à *Septentrione*, & *primogenito* Canaanis *Zidone*, & tum *longitudinem oræ Canaanis maritimæ* indicat, *à Zidone, ubi venis verſus Gerar ad Gazam uſque*: poſtea *latitudinem*, quam, *ubi longitudinis terminos poſuerat*, ab *Auſtro* incipit, *ubi venis verſus Sodomam & Gomorram & Zeboim:* & ita denuo progreditur ad *Septentrionem, uſque ad Laſam.* Sic *Laſa* ſita ſit oportet ad *Septentrionalem terminum Canaanis, latitudinem ejus* indicans *à Zidone uſque ad Laſam.* Convenit hoc cum EVSEBIO, cui *Laſa terminus eſt Canaanæorum circa Sidonem.* Sunt eapropter, qui *Laſam* interpretantur per *Cæſaream Philippi*, id eſt, לישׁ *Lais*, quaſi *Laiſa* ſit *eadem cum* לשׁע *Laſa*, uti videre eſt apud BOCHAR-

CHARTVM *l. c. p. 308.* Et fatendum eſt, hanc ſententiam veri non eſſe diſſimilem, plusque probabilitatis habere, quam illam HIERONYMI in *quæſt. ad Geneſin*, à Cel. RELANDO & aliis adoptatam, qua *Laſa* eſt, quæ nunc *Callirrhæ* dicitur, *ubi aquæ calidæ prorumpentes in mare mortuum defluunt*, uti illam quoque BOCHARTI, quæ urbem Arabum *Lyſam* interpretatur. Forte *ordo diffuſionis* ab hiſtorico Sacro ſecundum *ordinem nativitatis* filiorum Canaanis ſervatus fuit, & tum familia *undecimi* filiorum Canaanis, *Chamathæa* ſc. circa *ultimum terminum* quærenda eſt. Placent verba Cel. SPANHEMII *Geogr. S. p. 35. Chamath urbs Joſ. XIX. 35. ad Boream ſita & à Chamathi filio Canaanis appellata fuit, & ad ſortem Tribus Naphtali pertinuit*, ſed dum eam conſtituit ad *Eleutheri fontes*, & *Syriæ* fuiſſe adſcriptam aſſerit, ſenſim fere ad *contrariam ſententiam*, quam contundere conatus fuerat, dilabitur, ſcribens, *quam urbem Joſephus, Hieronymus, alii, Epiphaniam eſſe contendunt, ſed falſo, ſitam utpote in Syria magis ad Septentrionem ex Ptolomeo & Stephano:* imo ſibi *ipſi contradicit*, nam p. 34. dixerat *in tribu Aſeris Sarepta media fuit inter Tyrum & Sidonem. Hujus etiam in finibus fuit ad Boream Emathæa regio, Amathitis.* Procul enim à *Sarepta* & *Tyro* & *Sidone* diſtat *Eleutherus fluvius.* Num *Chammath* autem fuerit Αμμαους JOSEPHI, prope *Tiberiadem* in *tribu Naphtali*, Thermis illuſtris, uti vult Cel.

THEOD. HASÆVS Præceptor meus olim eruditiſſimus *diſſ. Phil. Sylloge p. 93.* ex eis, quæ jam diximus, dijudicari facile poterit.

§. 21.

Relinquo Terram Cananæorum & ad utrasque regiones & urbes, nomine *Chamath* in *Aegypto* & *Syria* inſignes, oculos converto. Deprehendo *convenientiam* inter has urbes & regiones variam. Non opus erit, ut de convenientia nominum aliquid moneam. Ex ſupra dictis eadem facile & ſponte cujuslibet adtentionem excitat, nullumque dubium relinquit. Verum Nomen חמת quoque antiquitus voce *του χεμμις* Aegyptiaca propinquiore cognitum fuiſſe, ſatis, ut opinor, ex HIERONYMO patet, dicente *ad Amos VI. Magnam autem vocat ad diſtinctionem minoris Hemath, quæ appellatur Epiphania. Unde uſque hodie pergentibus Meſopotamiam, prima manſio vocatur Emmas, corrupto quidem vocabulo, ſed priſtini nominis veſtigia retinens.* Corrigit optime ex hoc loco alterum HIERONYMI in *quæſt. Hebr. ad Gen. X.* uti *Emath* male ſcriptum eſt, loco *Emmas*, Celeberrimus WESSELINGIVS, Nomen in republ. Literaria quam maxime illuſtre, *Probabilium l. c.* & exinde *Tabulas Peutingerianas*, quæ *Imma* etiam habent, illuſtrat. Forte corruptio vocabuli, de qua HIERONYMVS, in eo conſiſtit, quod cum *olim* dictum fuerit *Chemmas, tunc* per dialectum, neglecta adſpiratione, vel mutato ח in ה aut א dictum

ſit

ſit *Emmas;* uti loco *Chamath* apud EVSEBIVM & HIERONYMVM legitur Εμαθ, *Emath*, in quibus tamen *priſtini nominis veſtigia* legi poſſunt. Altera *convenientia* nominum forte ex *vocum ſignificatione* eluceſceret, ſi certa eſſent, quæ literarum Aegyptiacarum plane ignarus ſcribo, & iis ſolummodo dijudicandum relinquo, qui earum cognitione probe inſtructi ſunt. Inveni in *Computo Chriſtianorum Elkopti* vel Aegyptiaco, cujus partem ex Arabico hauſit, & in quem commentatus fuit Vir ſummus JOSEPHVS SCALIGER de *Emendat. temporum l. VII. p. 705.* quod Chriſtiani in Aegypto *diem Epiphaniæ*, quo imprimis baptiſmus Chriſti, in quo Salvator noſter publice voce de coelo loquente omnibus ut *Meſſias & Dei Filius manifeſtatus eſt*, Hic eſt Filius mens dilectus, in quo mihi complacui, celebrabatur, vocabant الحميم *Alchemmim.* SCALIGER ait. *Eſt balneatio. Ita vocant diem Epiphaniæ, quod Eccleſia vetus Aegyptiaca baptiſmum eo die iteraret,* uti ad *Computum Aethiopicum p. 683. 684.* notaverat. *Hodie is mos obſolevit in Eccleſia Aegyptiaca,* de quo conf. G. CALIXTVM de *die Epiphaniæ in hiſtoria magorum p. 4.* & præter SVICERVM *Theſ. Eccleſ.* BINGHAMVM *Orig. Eccl. T. IX. p. 80. ſq.* Negari minime poteſt, vocem hanc in lingua *Arabica* denotare *balneationem*, vel *lavacrum in aqua calida & thermis,* uti videre eſt apud CASTELLVM & GOLIVM, & proinde eam convenire

baptismo. Num vero in lingua *Aegyptiaca* idem prorsus significet, alia quæstio est, quam enodare haud valeo. Solummodo igitur ex convenientia rei vel instituti festi argumentando, cum vox Arabica *omnem balneationem* significet, quæ quolibet etiam die fieri & ita vocari poterat, uti Aegyptii sæpius balneo utebantur, & festum hoc ad morem Græcorum, qui sacra Christianorum in Aegyptum detulerant, in memoriam της επιφανειας Christi celebratum sit, videtur potius ratio denominationis à *festo Epiphaniæ Christi* arcessenda esse. Hoc modo, *incerta profero & meras conjecturas*, Chemmis *Aegyptiacum* επιφανειαν designaret, urbi, insulæ & regioni hujus nominis ideo forte datum, quod *octavus in ea regione apparuerit Deus Esmunus*, qui uti est in citato loco DAMASCII §. 12. ἐν σκοτω διολυγιω πυρ ἀναψας *in densis tenebris magnam lucem accendit.* Quod autem *Chamath Syrorum* attinet, eundem vox hæc, cum ab Aegyptiis urbi & regioni inditum fuisse nomen supra ostendere conati fuerimus, habeat significatum necesse est. Spectat vero huc etiam observatio COBII in *diss. cit. p. 34.* qua non solum docet, antiquissimum Judæorum librum *Bereschith Rabba ad Gen. X. 18.* το חמתי, licet id in hoc loco falsum sit, exponere per פיפניא, sive *Epiphaniam*, sed etiam ipsum vocabulum חמת à Chaldæo חמא *vidit* vel חם *spectatus, spectabilis, deductum idem fere notare*

tare, *ac græcum* ἐπιφανεια, *prorſus*, *ut hoc translationis ſaltem vicem ſuſtinere videatur*, quod poſtremum autem non magnopere urgeo, nec multum urgeri poſſe probe intelligo. Vocari itaque potuit ab Aegyptiis Phœniciam & Syriam occupantibus, & quidem Chemmitis, ad memoriam patriæ urbis & regionis conſervandam, urbs hæc & regio, in qua ſedes fixerant, & in qua apparitionem Dei *Eſmuni* celebrabant, חמת Chamath, nomine utique patrio. Præterea dubium omnino videtur, num revera Urbs *Epiphania*, uti communis fert fabula & vel JOSEPHO teſte, ab *Antiocho Epiphane* nomen hoc *Epiphaniæ* ſortita fuerit. Cum enim *Antiochus* ab adulatoribus dictus ſit *Epiphanes*, & ipſe ſibi nomen hoc adſumſerit, *non* ut titulo *Nobiliſſimi* & *Illuſtriſſimi* ſuperbiret, ſed ut ſe potius ſignificantiore titulo, veluti *præſentem Deum*, incredibili arrogantia jactaret, qui cum regnum ab alienis raperetur, apparuit tanquam Rex οἰκειος & *avitæ ditionis aſſertor*, uti oſtenderunt Viri præſtantiſſimi VALESIVS ad *Euſebii Hiſt. Eccleſ. l. II. p. 28.* SPANHEMIVS de *præſtantia & uſu Numiſm. p. 386.* VENEMA diſſ. *ad Vaticinia Danielis p. 283.* minus commode urbem *Chamath* nomen *Epiphaniæ* ab hoc Syriæ rege accepiſſe & tuliſſe dicitur. *Præſens* enim *ibidem non erat Antiochus*, *nec* erat *Syriæ metropolis*, ut potius *Antiochia* ita vocari mereretur.

§. 22.

§. 22.

Nec prorsus prætereundus est *Rex Chamathæorum*, qui cum Davide rege Israelis fœdus, si non pepigit, saltem ejus amicitiam sibi conciliavit. Hic forte nobis in subsidium venire potest. Vocatur 2 Sam. VIII. תעי THOI vel uti est 2 Chron. XVIII. 9. תעו THOU. Nihil in hoc rege ad rem, quam exposui, notabile occurrit præter Nomen ejus, in quo antiquissimi Nominis Aegyptiaci THOTH vel Θωυθ, quo primus omnium Deorum & primus anni mensis designabatur, vestigia mihi legere videor. Consuli possunt de hoc Aegyptiorum numine præ aliis CVDWORTHVS in *Syst. Intell.* & *notæ* Venerabilis MOSHEMII *p. 345.* & JABLONSKIVS *l. c. l. V. c. V.* Fuisse hic dicitur primus legislator & Rex Aegyptiorum, regesque quidam eorum ab eo denominati fuerunt, quemadmodum etiam sequentibus temporibus nomen Pharao Aegyptiorum commune erat. *Phœnicia* quoque juxta Pseudo SANCHONIATHONEM in *historia Phœnicum*, quam ipsi PHILO *Byblius* supposuit, apud EVSEBIVM numen hoc *Thoth* popularem suum fecit, & Τααυτον vocavit, uti videre est apud laudatissimum JABLONSKIVM *p. 157.* Habemus igitur *tam Phœnicium quam Aegyptium Thoth* vel Θωυθ, à quo Phœniciæ vicinarumque regionum Principes æque ac Aegyptiorum Reges denominatos

natos fuiſſe probabile fit. Sed quid *Analogum* intercedit inter תעי aut תעו & Aegyptiacum Nomen *Thoth* vel Θωυθ? Analogia ſatis eſt conſpicua. Sola *terminatio*, ſed hæc ſæpius, variat & diſcrepat, ſicuti jam habuimus exemplum in *Aſima* & *Aſimat*, χεμμις, χεμμι & χεμμω, & uti eſt in *Zerach* & *Oſoroth* rege Aegypti dynaſtiæ bubaſtitis, ut ita dubium in Nominum Analogia imminuatur. Nec illud magno SCALIGERO ad *fragmentum Menandri Epheſii p. 27.* tanti viſum fuit, quum *Thoth* aut Θωυθ contulit cum Hebræorum תהו, & hanc denominationem ad ſymbolicam Aegyptiorum Theologiam retulit. Obiter noto, quod, cum filius *Thoi*, regis Chamath à Patre ſuo ad Davidem miſſus 2 Sam. VIII, 10. vocatur יורם *Joram*, vel juxta 1 Chron. XVIII, 10. הדורם *Hadoram*, nomenque hoc conveniat cum nomine regis Tyri חורם *Hierami*, ſive ut MENANDER *Epheſius* ſcribit Ειρωμος vel Ειρεμος V. SCALIGER in *fragmentis p. 26.*, non à vero videatur diſſimile, cognationem inter *Tyri*, *Sidonis* & *Syrorum* reges interceſſiſſe propinquam. Alterum nomen הדורם *Hadoram*, quod ei tribuitur 1 Chron. XVIII, 10. hanc conjecturam videtur corroborare. Nam ſicuti *Athotes* apud *Aegyptios*, & forte etiam apud *Phœnices*, *non eſt ipſe Thoth* vel *Mercurius*, ſed *Mercurialem* ſignificat, ſive, *qui ad Mercurium ſeu generatione, ſeu alio quocunque modo pertinet*, quam obſervationem debeo Cel. JABLONSKIO *l. c. p. 159.* ita *Hadoram* ſignificabit illum, *qui ad Joramum vel Hieramum pertinet.* Magis enim hæc ſententia ideo arridet, quam illa R. CUMBERLANDI, qua in *hiſtoria Pha-*

Phœnicia Sanchoniathonis p. 145. edit. Germ. literam A. in *Athote* omissam esse, & *Athotem ipsum Thoth* statuit, quia ex *idiomate ipso Aegyptiorum* derivata est. Ex filia forte *Hierami* Regis Tyri natus erat. Confert hæc observatio aliquid lucis ad historiam bellorum Davidis cum Hadadezere rege Zobæ Syriæ, & amicitiæ Davidem inter & Hieramum, ut & amicitiæ inter Davidem & Thoi regem Chamath. Si enim & regione & sanguine propinqui erant reges Tyri & Chamath, legatio Regis Thoi ad Davidem facillimo negotio expediri poterat.

§. 23.

Ex dictis jam patet, quæ mihi de *Aschima Hamathæorum idolo* stat sententia, sc. illud idem esse idolum, quod Aegyptiorum fuit *Esmunus*, illudque antiquissimis temporibus, colonia ex Chemmitide Aegypti missa, in Phoeniciam & Syriam deportatum & in regione Hamathæa Syriæ cultum fuisse. *Quisnam* autem sub nomine *Esmuni & Aschimæ* cultus fuerit Deus Aegyptiorum, an ille fuerit *Pan* Aegyptius, cujus viva imago *hircus* erat, unde Chemmis Aegyptiorum dicta fuit *Panopolis*, aut *Aesculapius*, quemadmodum Græci hunc Aegyptiorum & Phoenicum Esmunum interpretantur, aut *Vulcanus*, aut *Mercurius*, fateor me cum ignarissimis nescire. Requirit hæc quæstio virum in lingua Coptica & in antiquitatibus Aegyptiorum versatissimum, quales fuerunt Celebertimi Viri, magno literarum harum damno e vivis erepti, M. V. DE LA CROZE & P. E. JABLONSKIVS. Persuasit sibi JABLONSKIVS, *Esmunum initio cum Ptha vel Vulcano eundem fuisse, Verum etiam*, inquit, *ubi Polytheismus invaluisset, ac nova quotidie incrementa cepisset, id quod antea ad unum referebatur numen, inter plures dividere placuit. Esmuni igitur numen Panopoli iis ritibus cultum placatumque est, ut græci sibi viderentur in eo aliquam cum Pane affinitatem observasse, ideoque eum Pana nuncuparunt. Hermopolitani vero in Aegypto media Esmuno suo tales detulerunt honores, ut procedente tempore numen illud crederetur esse Thot vel Mercurius, qui cum Aegyptiorum vetusto Aesculapio nonnunquam unus idemque existimabatur.* Panthei *P. II. p. 193. 194. 196.*

§. 24.

§. 24.

Nihil addo, *niſi* quod obſervatio, quam ex Jablonskio fundamenti loco poſuimus, de Colonia Aegyptiorum in Phœniciam & Syriam antiquiſſimis temporibus miſſa, ſententiam Celeb. IKENII in doctiſſima diſſ. *de Nibchas, idolo Awæorum*, ſc. *Nibchas Anubim* fuiſſe Aegyptiorum, ſub integri Canis, vel viri capite canino inſtructi effigie repræſentatum corroborare, & variis argumentorum generibus, quibus ipſe *Vir Eruditiſſimus* uſus fuit, & cujus allatis teſtimoniis addo SANDYS *Travell, &c. p. 163.* qui dicit, *Byblum Syriæ* primitus vocatam fuiſſe *Hevæam*, & *Adonidem* fluvium hodiedum dici *Canem*, Superpondium addere videtur. Si enim regio *Awæorum* in ipſa quoque *Syria* & *confiniis Chamath* quæri debeat, uti Cl. IKENIUS ſatis probabile fecit *diſſ. Phil. p. 148.*: Si præterea *Awæi* cum *Chamathæis colonia erant Aegyptiorum*, quod nondum ſatis liquet, ſufficiens dari poterit ratio, quare *Awæi* Aegyptiorum idolum coluerint, & vox *Anubis* tractu temporis in *Syria* variante Dialecto in *Nibchas* transformata fuerit.

§. 25.

Hic jam finiveram hanc qualemcunque Diſſertationem; relegenti autem eandem, *duo* adhuc monenda occurrebant. *Primum* concernit familias filiorum Canaanis, de quibus §. 19. egi, & ibidem Doct. *Bachienio* ad tempus conceſſi, *Arkitas*, *Sinitas*, *Arvaditas* & *Zemaritas* non reperiri eas inter gentes, quas Iſraelitæ, cum Canaanem ingrederentur, in hac terra invenerunt, & proinde veriſimile eſſe, familias has per alterna conjugia adeo inter ſe commixtas fuiſſe, ut ſpecialem Patrem nemo cognoſcere potuerit, & eapropter in S. S. generaliori *Canaanitam* nomine deſignatos fuiſſe. An autem inde fluit, *nullibi* harum familiarum veſtigia reperiri, neque *intra*, neque *extra* terminos Canaanis Gen. X, 19. deſignatos? De *Sinitis* & *Arvaditis* nil dicere habeo; Verum obſervavi Eruditiſſimum SHAWIUM *l. c. T. II. p. 8. Arkitas* & *Zemaritas* inveniſſe in *urbibus Syriæ* adhuc ſuperſtitibus *Arca* & *Sumra* vel *Simyra*, non procul à fluvio Eleuthero. Hoc, ſi evictum eſſet, fateor, ſententiam meam *de Hamathæis Syriæ à Cha-*

math

mathi Canaanis filio haud arceſſendis, labefactare poſſet, & *termini* Canaanis antiquiſſimi Gen. X, 19. *ultra Libanum* extendi deberent. Sed habeo, quæ huic dubio regeram. *Primo*, qui tabellam SHAWII inſpicit, ſtatim videt, urbes *Arca* & *Sumrah* ſitu ſibi nimis eſſe *propinquas*, ut *diverſarum familiarum poſteri* eſſe queant. *Secundo*, ex ipſo SHAWIO jam §. 11. obſervavimus, in urbis *Arcæ* ruderibus reperiri *columnas Thebaicas*, quæ *originem ſuam* produnt *Aegyptiacam*. *Tertio*, ſi autem quis argumento SHAWII, ex ſola cognatione & Analogia Nominum deducto, tantum tribuere vellet, ut vera eſſe, quæ de origine harum urbium dixit, ſibi perſuaderet, non multum reluctor, *modo ſalvus ſit locus* Gen. X, 19. qui de *antiquiſſimis temporibus* loquitur: & has urbes vel conditas vel occupatas fuiſſe ſtatuamus ab illis ex *Arkitarum* & *Zemaritarum* gente, qui progrediente *Joſua* ad occupandam Canaanem illuc ſibi *fuga* conſuluerunt.

§. 26.

Alterum obiter tango. Pertinet ad obſervationem, quam §. 21. protuli, ſc. *Chamath* Syriæ, *Epiphaniam*, non ab *Antiocho Epiphane*, ſed ab επιφανεια octavi apud Aegyptios Dei denominatam fuiſſe. Eodem modo ludit ingenium, an non promontorium Θεου προσωπον *Tripoli continuum & ad quod deſinit mons Libanus*, de quo STRABO *T. VII. p. 754. 755.* & POLYBIUS *l. V. c. 68.* & SCYLAX in *Periplo edit. Gron. p. 99. 100.* & quod MELA vocat *Euproſopon*, denominatum ſit à Nomo Aegyptiaca *Proſopitide*, vel ab urbe *Bubaſto*, aut ſicuti in Sacris Ezech. XXX, 17. פִּי בֶסֶת vocatur? Oſtendit enim Cel. JABLONSKIUS l. c. *T. II. p. 83. Bubaſtum* lingua Coptica deſignare *Deam Lunam, faciem nudantem*, vel *varia & multiplici facie conſpicuam*. Minime autem hæc vulgo, ut conjecturam meam de Chamath Syriæ fulciam, probe gnarus, uni conjecturæ per alteram nihil proprie veri accedere, ſed ut conſtet, quam fœcunda ſi modo vera ſit ſententia Cel. JABLONSKII de *Aegyptiorum colonia in Syriam & Phœniciam* transplantata, & ut judicent eruditi. Forte anſam arripient ſolidiora dandi.

TANTUM.

BIBLIOTHECA
BREMENSIS
NOVA
HISTORICO-PHILOLOGICO-
THEOLOGICA

CLASSIS PRIMAE
FASCICULUS SECUNDUS.

BREMAE & AMSTELODAMI
Sumptibus Bibliopolarum
G. W. RVMPII & H. VIEROOT.
MDCCLXI.

VIRO

LONGE CELEBERRIMO

PETRO WESSELINGIO

J. U. D., HUJUS, HISTORIARUM,
ELOQUENTIÆ ET LINGUÆ GRÆCÆ
PROFESSORI ORDINARIO,
ACADEMIAE TRAJECTINAE
ORNAMENTO ET BIBLIOTHECARIO
SPLENDIDISSIMO,
FONTIUM GRÆCORUM ET LATINORUM,
ET EX QUIBUS
JUDAEORUM FLUIT HISTORIA,
RESTITUTORI ET *EXPLANATORI*
FELICISSIMO ET ELEGANTISSIMO,
VIRO IN REP. LITTERAR. CONSULARI,
UT
BIBLIOTHECAM BREMENSEM
NOVAM,
PRO EXIMIO SUO
DE LITTERIS BENE MERENDI STUDIO,
LIBERALI SUO DIGNETUR
FAVORE,

EAMQUE
EX DIVITE SUA PENU
LOCUPLETET,
SPLENDIDIOREMQUE REDDAT,
SECUNDUM BIBLIOTH. HUJUS
FASCICULUM
VENERABUNDUS INSCRIBIT,
ET UT
AD HERODOTUM PERPOLIENDUM
VEGETA MENTE SANOQUE CORPORE
PHIDIACUM SUUM OPUS
DESIDERATISSIMUM
ABSOLVAT ET PERFICIAT,
DEIQUE O. M. IN *CHRISTO* AMORE
ET BENEDICTIONIBUS OMNIGENIS
IN SEROS ANNOS PERFRUATUR,
SUMMOPERE VOVET,
DENIQUE
GENERUM SUUM,
Cl. GISB. BONNETUM
SIBI NUPERRIME DECRETUM FUISSE
COLLEGAM EXOPTATISSIMUM
EX ANIMO GRATULATUR
LIBELLI HUJUS
EDITOR.

L. B.
S.

Prior hujus Bibliothecae Fasciculus quod multis mendis Librariis scateat, aegre fero, aegriusque, quam Lectores, quibus in lectione offendiculo sunt. Ne autem me negligentiae nimium accuses, scias velim B. L., cum in urbe vicina imprimatur Bibliotheca, me menda non nisi Unica litura corrigere potuisse. Inde est, quod quaedam quandoque oculis forte excidant, sive quod corrigenda alio errore iterum corrumpantur deturpenturque, quin mirum sit, quod non pluribus scateant Fasciculi. Interim Secundus hic Fasciculus priore quoad multitudinem sphalmatum multo inferior, & accuratius impressus est: & in spem inducor à Patrono, cujus Nomini priorem Fasciculum inscripsi, fore aliquando, ut non amplius foris fiat, quod domi commodius & accuratius expediri poterit. Indicabuntur menda ad calcem Classis Primae. Ut varietas opusculorum delectat, nec nisi aegre ea dividimus, eorundem brevitas quam maxime grata erit. Quod in hoc Fasciculo nondum compareant Litterae ineditae VV. DD., nec annuncientur scripta in Germania & Belgio edita, quorum syllabo, à quibusdam hortati, non excludemus scripta germanico aut Belgico idiomate excusa, tribuas Opusculis, quae Tibi hic offeruntur, prolixioribus. Fidem datam in posterum largiore manu solvam.

Vale & conatibus nostris favere perge.

OPU-

OPUSCULA
FASCICULI SECUNDI
CLASSIS PRIMAE.

I. IOHANNIS MEDHVRST, *V. D. M. & Societatis Teutonicæ Bremenſis membri*, Obſervationes in PSALMVM XXXIII. pag. 177

II. IOHANNIS HERMANNI SCHACHT, *in pago agri Trajectini, ter Aa dicto, V. D. M.*, Spicilegii OBSERVATIONVM PHILOLOGICARUM in N. F. libros, & *nunc quidem* IN MATTHAEVM, ſpecimen pag. 237

III. IOHANNIS NICOLAI RICHTERI, *V. D. M. Rhebornenſis in Ducatu Bipontino*, Diſſertatio ad 1 PET. III. 18-22. pag. 281

IV. E. Brevis & Succincta *p. m. Celeberrimi ac Summe Venerandi* IACOBI ELSNERI *S. S. Th. D.* Biographia. pag. 357

IOHANNIS MEDHVRST
V. D. M.

OBSERVATIONES
IN PSALMVM XXXIII.

§. 1.

Pſalmum hunc elegantiſſimum eſſe ſimul, atque utiliſſimum tam ratione artis Poëticæ in ea conſpicuæ, quam contentorum, nemo inficias iverit, niſi qui litterarum gentis Hebraicæ elegantiorum, & pietatis ſinceræ ſit expers. Præſtantia autem illius non quoad omnia poteſt intelligi, nec inſpici, niſi ſcopus cognoſcatur, ad quem omnia, quæ in eo leguntur, directa ſunt. Doctiſſimi verò, quos conſului, Interpretes vel non omnia viderunt, quæ ad finem illum detegendum pertinent, vel planè a viâ aberraverunt, cum illum perſcrutarentur, ac nobis eum commonſtrare vellent. Non ignoro quidem facilius eſſe ratione

Pſalmorum docere quid aliorum ſententiæ deſit, quam rectiora excogitare, atque in medium proferre; ſed quid tentaſſe nocet? imprimis cum non omnis ſpes veritatem rei inveniendi nobis præciſa ſit. Hac ſpe freti ſcopum Pſalmi hujus perquirere, atque inveſtigare, & carminis ipſius elegantiam ut ex fine ejus intelligi poteſt, oſtendere conſtituimus.

§. 2.

Quod ſcopum Pſalmi attinet, primo loco audiendi ſunt, qui illum eruere ac demonſtrare conati ſunt viri doctiſſimi, & dein noſtra ſubjungenda eſt ſententia, quò eo clarius perſpiciatur, quænam retinenda, quæque rejicienda ſit opinio. Eruditiſſimi Anglicanæ Eccleſiæ Doctores PATRICK atque POLVS exiſtimant Davidem hunc Pſalmum compoſuiſſe occaſione eximiorum beneficiorum, quibus Deus populum ſuum ornaverit, eumque id intendiſſe ut pios excitaret, quò Jehovam ſecum laudes ejus hilariter canendo extollerent & celebrarent. Davidi ad ſcribendum carmen hocce talem anſam datam eſſe rectiſſimè quidem conjiciunt ex iis, quæ commate tertio ſunt propoſita, ubi Pſalmus hic *carmen novum* appellatur; ſed mirum eſt eos non perſcrutatos eſſe nec indicaſſe, quænam illa

illa fuerint beneficia, quæ Davidem ad canendum permoverint. Hæc itaque negligentia, Interpreti vix condonanda, cauſa fuit, quod viri illi præſtantiſſimi non omnia perſpexerint, quæ nobis ad intelligendum Pſalmi ſcopum, & ornatum utilia poſſunt eſſe. Haud majorem hîc nobis lucem accendit HAMMONDVS, dum putat in Pſalmo noſtro celebrari magnam Potentiam, Sapientiam, atque Benignitatem Dei in operibus creationis, ac providentiæ conſpicuam, omnesque obligantem ad celebrandum Ipſius nomen, & ad fideliter Ipſi ſerviendum, Eique confidendum. Qui ſcopum adeò generalem Pſalmo huic aſſignant, rationem reddere non poſſunt, quare David his, vel illis adhortationibus, argumentisque uſus ſit; nec docere poſſunt, quare modò Iſraelem, modò omnes gentes, & allocutus ſit, & dein de ſeſe, aliisque piis Iſraelitis ſermonem faciat. Non igitur elegantiam Pſalmi videre, nec illum ſatis rectè explicare poſſunt.

TILLIVS carmen hocce majori adhibita attentione ponderavit, ſed cum rationem *Coccejanorum*, ut appellantur, ſequeretur, in avia ſeduci ſe paſſus eſt, ut fieri ſolet ſi auctoritati magnorum virorum, vel præconceptæ opinioni nimium tribuamus. Exiſtimat ille cum præſtantiſſimis, ut affirmat,

Interpretibus, in Pſalmo noſtro Vaticinium de temporibus N. T. contineri, ſed argumenta, quibus hanc ſententiam adſtruere & confirmare ſatagit, tanti momenti, & ponderis non ſunt, ut ipſe ſibi perſuaſit. Primum argumentum ſumit ex appellatione hujus Pſalmi, cum *novum carmen* vocatur com. 3, quod explicandum eſſe putat non de compoſitione Pſalmi nuper factâ, ſed potius de novâ canendi materiâ, quæ eccleſiæ temporibus N. T., quibus omnia nova facta ſunt, exhibenda fuit. At verò quis ulla probabili cum ratione negare poteſt, novam rerum faciem, nova benigniſſimi Numinis beneficia Iſraëlitis veteris Teſtamenti hæredibus ſufficientem quoque materiam novis carminibus dare potuiſſe? Quare igitur ſtatuendum ſolos fideles eccleſiæ N. T. nova carmina canere poſſe, imprimis cum cantus Iſraelitarum multò ſolennior, quam Chriſtianorum fuerit? Alterum argumentum præbuit TILLIO Vocatio, & converſio ethnicorum, cujus veſtigia in Pſalmo noſtro conſpiciuntur, & quam ita comparatam eſſe putat, ut ſoli Novo Teſtamento ſit propria. Non negamus quidem Vatem, omnes populos excitantem ad timendum Jehovam com. 8. ſupponere ethnicos quosdam ad Deum verum, & viventem converſos eſſe; ſed laudatus

datus vir eruditiſſimus argumentum ſuum ex contentis com. 12. & 5. minus rectè duxit. Obſervat enim com. 12. *ethnicam* memorari *gentem*, *cujus Deus ſit Jehovah.* Sed fallitur cum aliis haud paucis opinione ſua, dum putat vocem גּוֹי, quæ loco illo invenitur, gentem ethnicam ſignificare, cum potius ibi gentem Iſraeliticam denotet, ut poſtea demonſtraturi ſumus. Sed quid dicendum eſt, cum ſtatuit verba commatis quinti: *Terra plena eſt benignitate Jehovæ* indigitare Deum ethnicos gratia ſua ſalutari ſuperfudiſſe? Nonne ſcriptura ſacra ubique, & imprimis Paulus Apoſtolus docet benignitatem divinam multis beneficiis ad exhilaranda corda noſtra abundantem ad ipſos peccatores, & ethnicos ſe extendere? Actor. XIV. 17. Rom. II. 4? Certiſſimum igitur & extra aleam poſitum eſt, Vates quoque ſub Veteri Teſtamento ratione temporum ſuorum rectè dicere potuiſſe: *Terra plena eſt benignitate Jehovæ.* Quod verò David ſupponat ethnicos quosdam cognitione Jehovæ illuſtratos eſſe, hoc ſententiam Tillianam minimè probabilem reddere poteſt, cum ſub Veteri Teſtamento & multi ethnici ſint converſi. Tandem putat Vir doctiſſimus auctorem Pſalmi noſtri de felicioribus novi fœderis diebus eſſe vaticinatum, quod com. 10. dicitur: *Jehovah*

irritum reddit conſilium gentium, ſubvertit cogitationes populorum. Confert hæc cum verbis Pſalmi ſecundi, ubi dicitur *habitantem in cœlis riſurum, Dominum ſubſannaturum eſſe illos, qui conſiterunt, & conſultarunt contra Jehovam, & unctum Ejus.* Et ex hiſce elicit Pſalmum noſtrum de iis agere temporibus, quibus regnum Filii Dei, fractis & debellatis Ipſius hoſtibus, tam Judæis quam ethnicis, ſit ſuperius. Sed cum ſæpius & ante adventum Chriſti in carnem Deus conſilia gentium irrita reddiderit, & cogitationes populorum ſubverterit, & illud etiam imprimis factum ſit illo tempore, ad quod Pſalmum noſtrum referendum eſſe ducimus, quod Veteri teſtamento eſt aſſignandum, ut poſtea probaturi ſumus; patet non ſanè illud ſignum eſſe vaticinii de diebus novi teſtamenti, ſi dicatur: Deum conſilium gentium irritum reddidiſſe.

§. 3.

Cum itaque doctiſſimi Interpretes nobis verum Pſalmi noſtri ſcopum non detexerint, ipſi vires periclitari volumus ac tentare, an in perſcrutando illo ſimus feliciores. Ante omnia autem monendum, laudatos viros præſtantiſſimos rectè ſtatuiſſe, Davidem eſſe Pſalmi hujus autorem. TILLIVS imprimis ad LXX Interpretes pro-

provocavit, qui Pſalmo hunc titulum addiderunt: ψαλμος τω Δαβιδ ανεπιγραφος παρ Εβραιοις. *Pſalmus Davidis, ſine inſcriptione apud Hebræos.* Fide digni ſunt hi Interpretes hoc loco, cum ſincerè fateantur Pſalmum apud Hebræos nullam inſcriptionem habere, & ſtatuendum ipſorum verba veterem nobiscum communicare traditionem, imprimis cum contenta Pſalmi ita comparata ſint ut Davidem Auctorem prodant. Negari enim non poteſt omnia illa, quæ in hocce carmine memorantur, regnante Davide eveniſſe, & ejus tempora maximè conſpicua, & notabilia reddidiſſe. Sufficiet illa adlegare, cum quilibet, cui hiſtoria Davidis non eſt incognita, illa conſiderando recordabitur, quid de iis in ſcriptura Sacra litteris conſignatum ſit. Scilicet, Auctor Pſalmi noſtri ut lectores ſuos ad celebrandum Jehovam excitaret, monet *verbum Dei eſſe rectum atque verum*; Ille Deo *amorem Juſtitiæ, & judicii tribuit*. Ejusque extollit benignitatem. Quot documentis probavit Deus tempore Davidis ſeſe talem eſſe? Et David imprimis cum plures gentes perdomuiſſet, & ſub imperium ſuum redegiſſet, occaſionem nactus eſt novos ſubditos ſuos cohortandi ut Deum timerent Creatorem cœli, & terræ, cujus & providentia potentiſſima, atque irreſiſtibilis eſt. Poſtea autem demon-

ſtraturi ſumus hunc eſſe ſcopum verborum commatis octavi, quæ ſi rectè intelligantur & explicentur, elegantiſſima, & ad perſuadendum accommodatiſſima ſunt. Et quis majori cum jure, ſi a Davide recedas, hoc argumento ad commovendum gentes, ut Deum Jehovam timerent, uti potuit: *Jehovah irritum reddit*, vel reddidit, *conſilium gentium; ſubvertit cogitationes populorum. Conſilium Jehovæ in æternum ſtabit: cogitationes cordis ejus in generationem & generationem?* com. 11. 12. Cum Deus populum Iſraeliticum per Davidis virtutem, ſapientiam, atque prudentiam aliis gentibus feliciorem reddidiſſet, verba hæc commatis 12. *beata gens, cujus Jehovah Deus eſt* in ore regii hujus Vatis inſignem vim, & elegantiam habebant. Et judicia illa, de quibus antea mentionem fecerat, ita fuere comparata ut ex iis colligi poſſet, *Jehovam* tanquam juſtum, & omniſcium Judicem *e cœlis proſpexiſſe, Eum vidiſſe omnes filios hominis, Eum ex habitaculo ſedis ſuæ conſpexiſſe omnes habitatores terræ*, ut vates ſanctus com. 13. & 14. teſtatur. Qui in memoriam ſibi revocat victorias Davidis, ejusque pietatem, & fiduciam in Deo ſolo repoſitam, ille cognoſcet regem hunc loquentem, quando verba hæc ponderat: *Non Rex ſervatus eſt per multitudinem exercitus; potens non eripitur per magnitudinem virium. Men-*

dacium

dacium eſt equus quoad ſalutem, & per magnitudinem roboris ſui non eripiet. com. 16 17. Sententiam noſtram denique haud parum confirmant verba com. 18. & 19. *Ecce oculus Jehovæ eſt ſuper timentibus Ipſum, expectantibus benignitatem Ejus ad eripiendum a morte animam eorum, & ad viviſicandum eos in fame.* Notandum enim illud *ecce* imprimis ſignificare illa, quæ vates hîc memorat, tempore ipſius contigiſſe, eaque omnibus nota fuiſſe. Qui non ignorat, quid Gibeonitis, & Iſraeli, Davide ad gubernacula ſedente, evenerit, intelliget, & agnoſcet Davidem talia ſcribere potuiſſe, & ſcripſiſſe, eumque non alia niſi ſua tempora reſpexiſſe. Ante omnia demonſtrandum fuiſſet Davidem Iſraelitas ad canendum novum Canticum hortari potuiſſe, niſi hoc facilius potuiſſet probari, poſtquam oſtenſum eſt reliqua in Pſalmo noſtro occurrentia cum temporibus Davidis optimè congruere. Cum igitur hocce rationibus & argumentis confirmatum ſit, illud ſine negotio illuſtrare ac probare poterimus. Cum enim David gentes, qui populi Iſraelitici hoſtes fuerant, eosque ſæpius bello laceſſiverant, vel armis oppreſſerant, ferro ſubegiſſet ſibique ſubjeciſſet, regnum ejus novum florem accipiebat. Hoc per ſe quidem patet, ſed poſtea occaſionem nacturi ſumus

illud ex hiſtoria Davidis elucidandi, ſic ut dubitare non poſſimus, quin ipſe populum, cujus auctoritas apud alias gentes, cujus & felicitas nova ceperat incrementa ad canendum novum carmen excitare, & accendere potuerit.

§. 4.

Hiſce diſputatis nunc facile ſcopum Davidis intelligere poterimus. Et ille quidem, niſi me omnia fallunt, duplex erat, cum primo Iſraelem ad celebrandum nomen Divinum ob egregia, quæ ad ipſius ſalutem fecerat, opera & ad ponendum omnem ſpem in Eo ſolo impellere vellet; dein autem & gentes, quas ad imperium ſuum adjunxerat, ad timendum verum Deum adhortari. Ne autem quis dicat Davidem gentes, aliam loquentes linguam, minus commodè Hebraicâ alloqui, & monere potuiſſe, cogitandum eſt inter illas fuiſſe, qui utriusque linguæ tam ſuæ, quam Hebræorum eſſent docti. Linguæ Orientales non ita a ſe invicem differunt, ut Philiſtæi, Syri, aliique populi non facilè litteras Hebraicas diſcere potuerint. Regina Schebæ cum Salomone colloquium fecit linguâ ſine dubio utens Hebraicâ, ſi enim aliter ſe res habuiſſet, illud in hiſtoria ſacra eſſet monitum. 1 Reg. XI. Præfectus Pincernarum Regis Aſſyriæ

Judaicè

Judaicè fari non neſciebat, quemadmodum & Miniſtri Hiskiæ ſe litteras Syriacas probè noſſe affirmabant 2 Reg. XVIII. 26. Quis igitur dubitaret, & inter gentes a Davide perdomitas tales fuiſſe, qui linguam Hebraicam intelligerent? Cum autem Rex hic pientiſſimus Iſraelitas aliosque ſubditos exhortaretur, ut officia ſupremo & vero Deo debita exſequerentur, demonſtravit ſe Patrem illorum, quibus imperabat, oſtenditque ipſorum felicitatem ſibi curæ, cordique eſſe. *Αρχων αγαθος ϗδεν διαφερει πατρος αγαθϗ. Princeps bonus a bono nihil differt patre*, dicit CHRYSANTAS apud XENOPHONTEM *Cyrop.* l. 8. p. 533. *edit. Hutchinſ. Αρχοντος εστιν ϗκ αυτον μονον αγαθον ειναι, αλλα ϗ των αρχομενων επιμελειϑαι οπως ως βελτιϛοι εσονται. Principis eſt non modo curare ut ipſe bonus ſit, ſed & ut ſubditi ſint optimi.* ibid. l. 2. p. 107. Meliores ſanè David optimus Ille Princeps populos & gentes ſuas reddere non poterat, quam ſi illos in laudem & timorem Dei cohortatione ſua incitaret, iisque exemplo ſuo magnisque præmiis perſuaderet, ut Jehovæ ſalutem ſuam concrederent. Inſignis autem humilitatis & pietatis ſignum erat, quod nullam de rebus a ſe geſtis fecerit mentionem, licet permulta egregia virtutis & ſapientiæ ſpecimina dederit, magnamque per illa nominis gloriam conſe-

conſecutus eſſet. Canit Ille potius laudes Divinas, & vult ut Jehovah celebretur & extollatur; atque docet victoriam ab hoſtibus reportatam non militum numero, neque viribus equorum, nec virtuti ſuæ, ſed ſoli Jehovæ illos, qui benignitatem Ipſius expectant, reſpicienti tribuendam eſſe. com. 16. ſq.

§. 5.

Ex hiſce manifeſtum eſt Davidem egregium, ſeque dignum finem in Pſalmo hocce ſibi propoſuiſſe, eumque illam ingreſſum eſſe viam, qua ad obtinendum illum perduci potuit. Cognito itaque nobis ſcopo hujus carminis pedem proferre nunc licet ad conſiderandam inſignem, quâ fulget, elegantiam. Quæri hoc loco poteſt, quasnam regulas artis in componendo hoc Pſalmo uſus ſit vates, an duos choros canentes introduxerit, ut TILLIVS putavit, an vero ipſe in illo ſolus, ſit locutus? Tales proſopopoeias, quales laudatus Interpres Pſalmo huic aſſignat, ſæpius in carminibus ſacris occurrere, eaque inſigniter ornare nemini incognitum poteſt eſſe, niſi qui in Pſalmis, aliisque poematibus ſacris plane eſt hoſpes. vid. LOWTH *De ſacra Poëſi Hebræor. Præl.* XIII. p. 259. ſq. At vero Vates ſancti non ubique hoc figuræ genere

genere uſi ſunt, nec unquam aliter, quam ſi materia ſubſtrata illud poſtularet. Cum carmine autem hortatorio mihi congruere non videtur, ut plures in illo fingantur loquentes, imprimis ſi ex ipſorum ſermone colligi non poſſit, quales illi ſint, aut quo munere fungantur. Perſona ſanè loquentis, ſi vir ſit auctoritate gravis, adhortationi ipſius inſigne pondus addere valet; quanti itaque momenti ſunt verba, quibus rex pietate maximè conſpicuus, cujus egregia omnibus nota erant facinora, populos, & gentes ſuas excitabat, atque cohortabatur? Hanc itaque ob cauſam exiſtimo verba hujus Pſalmi non aliis, ſed ſoli Davidi tribuenda eſſe; & hoc ipſum quidem ſtatim magnam illius detegit nobis elegantiam. Imprimis autem notandum, Davidem Pſalmum hunc feciſſe, cum jam provecta ætate eſſet, ut res illæ, quæ in eo tanguntur, ſatis clare docent; id quod non modo pondus verborum ipſius inſigniter augere ſed etiam efficere poteſt, ut credamus ſermonem, quo utitur, politiſſimum & ornatiſſimum eſſe. Quid a tanto poëta, qui longo rerum uſu, & litterarum ſtudiis eruditus, qui & in ſcribendis carminibus exercitatus erat, aliud poterat expectari, quam quod egregium, ac præclarum eſſet? Rectiſſimè de Davide affirmari poteſt, quod

PLINIVS de VESTRICIO SPVRINNA graviſſimo ſene teſtatus eſt: *ſcribit — lyrica doctiſſimè; mira illis dulcedo, mira ſuavitas, mira hilaritas, cujus gratiam cumulat ſanctitas ſcribentis. Ep. l. III.* Ep. 1. p. 153. Quæ itaque David ſcripſit pulchra & utilia, qualia in Pſalmo noſtro, ut ſtatim videbimus, plura inveniuntur, illa majorem adhuc ſplendorem & auctoritatem nanciſcuntur ſi conſideremus illa ex ore regio ſeneſcentis jam Davidis profluxiſſe.

§. 6.

Sed quò elegantiam hujus carminis propius inſpiciamus, & conſideremus, oculis noſtris contenta illius ſubjicere debemus. Maximi illa ſunt momenti, cum David non modo ſubditis ſuis officia pietatis in verum Deum, quæ ad conſervandam atque evehendam ipſorum felicitatem eſſent utilia, & neceſſaria præſcribat, ſed & argumenta congruentia & ponderoſiſſima adjungat, cum & omnia ita diſpoſuerit, ut animum Lectoris afficere & commovere poſſint. Ante omnia hîc notandus nobis eſt ſplendidus ordo, qui in hocce lucet carmine, qui quidem non eſt talis, qualem philoſophus ſedatâ, & tranquillâ mente ſcribens ſequeretur, ſed potius qualem obſervat poëta, cujus in pectore ignis ſacer incenſus

ſus eſt. Incipit excitando Iſraëlitas, ut Jehovam canerent, Eumque dignis laudibus extollerent ad dulciſſima atque optima inſtrumenta muſica. Miſcet hoc loco mirum in modum hortationes, & argumenta moventia, ut commotum ejus animum, quo illa ſcripſerit, facilè ex iis dignoſcere poſſimus. Generatim, & ex abrupto exclamat: *cantate Juſti Jehovæ*; & ſtatim addit hanc rationem: *rectis decora laus eſt.* Cum ſcil. recordaretur Jehovæ, Dei ſui optimi maximi, omniumque operum illius atque beneficiorum, quibus ſeſe, ac populum ſuum affecerat, tantis animus ejus obruebatur cogitationibus, tantaque inflammabatur, & urgebatur Jehovam honorandi cupiditate, ut fratres ſuos Iſraëlitas breviſſimis & nervoſiſſimis hiſce verbis alloqueretur. Et quaſi animum recepiſſet, & ſecum reputaſſet, quibus laudibus Jehova perfectiſſimis ſplendens virtutibus dignus eſſet, & quibus illud meritus eſſet operibus, ad ſalutem populi Iſraelitici peractis, mentem ſuam clarius explicat com. 2-5. Commate quinto inter rationes, quare Jehovah eſſet celebrandus, & hoc refertur *quod terra plena ſit benignitate Jehovæ.* Et hoc ipſum quidem viam ipſi parabat, ut ſermonem ſuum etiam ad alios ſubditos ſuos convertere poſſet. Rectè autem inſtituit, quod primò Iſraelem,

cujus

cujus Deus, & ſupremus Rex Jehovah ipſe fuit, & dein reliquas gentes, quas ſubjugaverat, & in ditionem ſuam redegerat, hortaretur.

Harum autem ut eò facilius torqueret & flecteret animos a Diis fictitiis ad colendum verum & vivum Deum, non ſtatim eos de officio ſuo monet, id quod a prudentiâ in adhortationibus imprimis neceſſariâ abhorruiſſet. Si enim David ſtatim & ex abrupto, ut Iſraelitis ſuis Deum Jehovam agnoſcentibus fecit, docuiſſet, quid illis, qui Diis nihil divinum habentibus erant dediti, eſſet faciendum ratione Jehovæ veri Numinis, mentes legentium a ſe avertiſſet, ut ne legerent quidem, quæ amplius propoſuit. Sapienter itaque, ac prudenter rem inſtituit, dum gentes idola venerantes præparavit ad percipiendum æquis auribus, & ad ponderandum monita ſua, quæ ipſis de colendo Jehova dare volebat. Hanc ob cauſam igitur affirmat Jehovam eſſe omnipotentem, & ſapientiſſimum cœli, & terræ Creatorem. com. 6. & 7. poſtea docet Eum igitur timendum eſſe com. 8. & hoc ipſum probat dein, & urget iis argumentis, quibus ethnici ſanâ ritè utentes ratione adduci poterant, ut non modo crederent Jehovam eſſe ſolam & unicam felicitatis noſtræ cauſam, ſed &

eum

Eum timerent, & ad Eum ſeſe converterent. com. 8-15. Hæc omnia in ſequentibus majorem accipient lucem, quando oſtenſuri ſumus, qualia fuerint argumenta, quibus David uſus eſt, Poeta doctiſſimus, qui

Omne tulit punctum quòd *miſcuit utile dulci*
Lectorem delectando, pariterque monendo.
HORAT. *de Art. poet.* v. 343. ſq.

Hoc loco autem notandum eſt & hanc ob rationem ſeſe nobis commendare ordinem ab illo obſervatum, quod antea de Creatione mundi a Jehova peracta, & poſtea demum de Providentia mentionem fecerit & adjunxerit hiſce præmiſſis beatitatem *gentis, cujus Jehovah eſt Deus, populi, quem in hæreditatem ſibi elegit*, id eſt populi Iſraelitici. Namque nemo credere poteſt Divinam providentiam, niſi & intelligat Eum cœlum, & terram produxiſſe; & qui Providentiam negat, ille etiam felicitatem populi alicujus, qui cum Jehova fœdere junctus eſt, & Eum veneratur, Deo huic tanquam cauſæ primariæ aſſignare non poteſt, ſed & hæc poſtea clariora reddenda, & confirmanda ſunt.

Quò autem Iſraelitæ omnem ſpem ſuam in ſolum Deum devolverent, & non viribus ſuis confiderent, docet vanas eſſe hominum vires ad eripiendum illos, qui in

periculis verſantur, Deum autem auxilium ferre poſſe iis, qui Se timent, & benignitatem Ejus expectant, id quod ex operibus Ejus, quæ Iſraelitæ viderant & eorum fructibus, quos perceperant, colligi poteſt com. 16-19. II. Hoc autem ut eò majorem perſuadendi vim haberet in animis Iſraëlitarum, iis ob oculos ponit ſuum ipſius, aliorumque piorum exemplum. 20-22. Sic patet Davidem optimum in diſponendis iis, quæ dicenda erant, ordinem obſervaſſe, & eum hoc ipſo carmini ſuo haud exiguum lumen addidiſſe.

§. 7.

Sed pulcherrimus hic ordo adhuc clarius poterit perſpici, ſi oſtendamus omnia in illo inter ſeſe, ac cum ſcopo optimè congruere. Si illa, quæ de ſcopo carminis diximus, conſideremus, patebit ad hunc finem omnia referri poſſe, ut honor, & gloria Jehovæ augeatur, & extendatur. Omnia ſanè, quæ ſcripſit poëta pientiſſimus, aperiunt nobis ardentiſſimum, quo flagrabat, deſiderium illud efficiendi, ut ſanctum Jehovæ nomen a quamplurimis extollatur, & celebretur. Iſraëlitas excitat ad canendum & laudandum Jehovam, Ethnicos inſtruit ſcientiâ ſalutari ad cognoſcendum, ac timendum verum Deum, & ſimul opera

divina

Divina enarrat, ut recordentur omnes pii Jehovæ cultores, quantus ſit Deus Iſraelis, & quam perfectis fulgeat virtutibus. Velificatur etiam honori divino ſanctus Vates, cum licet plura bella ſapienter & fortiter geſſiſſet, & permulta edidiſſet facinora egregia, ſignificet tamen, ſe reportatas ab hoſte victorias non robuſto exercitu, neque virtute ſua, ſed auxilio Divino conſecutum eſſe. Et tandem cum omnibus hiſce conſpirat, quod fateatur ſeſe, aliosque fideles Iſraelitas Deo ſoli confidere, & hoc ipſo alios, ut idem facerent, permovere conetur. Ubique igitur in hoc carmine ſpirat idem ſummus & in mente Davidis ardens amor Jehovæ veri Dei, qui regium vatem, & populum Iſraelem tantis ornaverat beneficiis; eadem ubique apparet reverentia in ſupremum illud Numen, & hoc ipſum imprimis aptum natum erat in lectorum animis ſimiles incendere affectus.

§. 8.

Haud exiguum ornatum carmini noſtro afferunt etiam elegantiſſimi, & rebus ipſis accommodati tropi, & figuræ, quæ ſermoni quoque eximiam vim dare poſſunt. Metonymia cauſæ pro effecto poſita verbis hiſce ineſt. *Terra plena eſt benignitate Jehovæ.* com. 6. Metaphora, tropus, quo ſecundum

TALÆVM *in Rhet. nullus eſt florentior, nec qui plus luminis afferat orationi*, ornat commata. 7. 11. 14. 17. 18. 20. Hiſce in locis aſſignantur, abyſſis theſauri conſilium Dei cum immobili comparatur petra, Jehovæ dantur oculi, cœlum tanquam domus regia depingitur, equus mendacium audit, & Deus ſcutum appellatur. Exclamatio verbis commatis. 12. inſigne decus, & haud exiguam tribuit efficaciam: *Beata gens, cujus Jehovah Deus eſt! populus, quem in hæreditatem elegit ſibi!* Et apoſtrophe, qualis in Pſalmis ſæpius occurrit, ſignumque mentis Deo aſſuetæ eſt, in verbis com. 22. occurrit, quæ eò magis animum noſtrum commovere, & Pſalmum ornare poteſt, quod hoc loco eſt inexpectata, & in fine Pſalmi poſita. Deum enim ita alloquitur David: *Sit benignitas tua, Jehovah, ſuper nos, quemadmodum ſpem in temet poſuimus.*

Imprimis autem notanda eſt ſublimitas dictionis & ſenſuum, qualis vatibus Hebræis eſt propria, quæ & in Pſalmo noſtro eſt conſpicua. Quod ſublimitatem dictionis attinet priusquam illam hic oſtendamus, antea docendum eſt, quomodo comparata ſit. Lucem autem nobis accendit LOWTH *de S. poeſi Hebræorum*, ſi generalem rei conceptum reſpicias, ſcribens: *Sublimitatem autem hic intelligo ſenſu latiſſimo ſumptam;*

tam; non eam modo, quæ res grandes magnifico imaginum & verborum apparatu effert; ſed illam, quæcunque ſit, orationis vim, quæ mentem ferit & percellit, quæ movet affectus, quæ rerum imagines clarè & eminenter exprimit; nihil penſi habens, ſimplici an ornata, exquiſita, an vulgari dictione utatur, in quo Longinum ſequor graviſſimum in hoc argumento & intelligendi & dicendi auctorem. Prælect. XIV. p. 266. Rectiſſimè non modo ita judicat vir ille doctiſſimus, ſed & aſſenſum noſtrum meretur, dum ſublimitatem dictionis inter alia tribuit illi carminum generi, quod Hebræi משל appellaverunt. Qui enim illo utitur, phraſi Hebræa illud שאת extollere dicitur, i. e. ſtylo ſublimiori proponere. Hoc autem adhuc clarius apparebit, ſi inſpiciamus illud משל, quod Numer. XXIII. 7-10. Balaamo tribuitur, quod imprimis & hanc ob cauſam eſt faciendum, quia illud nobis ad illuſtrandum Pſalmum noſtrum utile poteſt eſſe. Balaamus autem hiſce mentem ſuam expreſſit verbis:

Ex Aramea me arceſſivit Balacus;
Rex Moabitarum ex montibus Orientis:
Veni, execrare mihi Jacobum;
Et veni, deteſtare Iſraelem.
Quomodo maledicam, cui non maledixit Deus?
Aut quomodo deteſtabor, quem non deteſtatus
eſt Jehovah?

Nam a vertice rupium eum aſpiciam,
Et ex collibus eum contemplabor;
En populum, qui ſeorſim habitabit
Neque ſeſe gentibus annumerabit!
Quis percenſuit pulverem Jacobi?
Aut numerum vel quartæ partis Iſraelis?
Moriatur anima mea morte juſtorum;
Et ſit exitus meus illius inſtar.

Nolumus hoc loco inquirere, quisnam inter viros celeberrimos rectè de ſignificatione verbi משל judicaverit, num ad ſententiam LOWTHII, an vero ad illam, quam J. D. MICHAELIS defendit, deſcendere nos oporteat? id quod ſcopi noſtri ratio non poſtulat: ſufficiet, ſi ſequentia, quæ nemo facilè in dubium vocaverit, obſervemus. Ex citato Balaami carmine manifeſtum eſt, illud verſuum genus, quod משל dicitur, ita comparatum eſſe, ut binæ ſibi ſimiles copulentur ſententiæ, quarum poſterior rem magis explicat & extollit, id quod efficit, ut eam clariori in luce conſpicientes eò magis ad faciendum, aut credendum aliquid perſuadeamur, ſive ut motus vehementiores in animis noſtris excitentur. Hoc ſentiemus, modo hæc ponderemus verba:

Veni, execrare mihi Jacobum;
Et veni, deteſtare Iſraelem.

Que-

Quomodo maledicam, cui non maledixit Deus?
Aut quomodo deteſtabor, quem non deteſtatus
eſt Jehovah?

Ex hiſce autem fluit voce משל præcipue denotari *egregios illos ſenſus, excelſum ſpiritum, illud denique* εναργες και ενθουσιαστικον, quo vatis Balaami reſponſum animatur, ut rectè docet laudatus LOWTH. l. c. p. 266. Huic ſimile quid in Pſalmo noſtro elucet, quod patebit, ſi ſequentia inſpiciamus (vid. com. 2. 3. 7. ſq.)

Confitemini Jehovæ ad Citharam,
In Nablio Decachordii Pſallite Illi.
Cantate Illi canticum novum,
Optima ratione pulſate cum clangore.
Colligens eſt ſicut cumulum aquas maris,
Dans in Theſauris abyſſos.
Timeant Jehovam omnis Terra,
Illum extimeſcant omnes habitatores Orbis.
Nam Ille dixit, & factum eſt,
Ipſe præcepit, & adſtitit.
Jehovah irritum reddidit conſilium gentium,
Subvertit cogitationes populorum.
Conſilium Dei in æternum ſtabit,
Cogitationes cordis Ejus in generationes omnes.
Beata gens, cujus Jehovah eſt Deus,
Populus, quem in hæreditatem ſibi elegit!
E cœlis proſpexit Jehovah, vidit omnes filios
hominis,

Ex habitaculo ſedis Suæ conſpexit omnes habitatores Terræ.
Non Rex ſervatur per magnitudinem exercitus,
Potens non eripitur per magnitudinem virium.
Mendacium eſt equus quoad ſalutem,
Et per magnitudinem roboris ſui non eripiet.
Ecce oculus Jehovæ (eſt) *ſuper timentibus Ipſum,*
Expectantibus benignitatem Ejus;
Ad eripiendum a morte animam eorum,
Et ad viviſicandum eos in fame.

Ex hiſce igitur manifeſtum eſt, Pſalmum hunc ſtylo ſublimiori eſſe ſcriptum, cum videamus binos verſus, vel duas verſuum partes de una eademque re agere, & ita quidem ut poſterior materiam ſubſtratam clariori luce conſpergat. Et ſic patet TILLIVM mentem Davidis non aſſecutum eſſe, cum exiſtimat commate duodecimo ſermonem eſſe de gente ethnica, quod ibi illud גוי legitur. Cum enim vox illa quamcunque gentem deſignet, non ſolum ex nexu dicti commatis, ſed & imprimis ex ratione carminis hujus colligi poteſt, illam hîc loci populum Iſraeliticum denotare. Hæc enim, quæ ſequenti ratione effert David:

Beata gens, cujus Jehovah Deus!
Populus, quem in hæreditatem ſibi elegit!

ita

ita comparata ſunt ut poſterior ſermonis pars priorem illuſtret, & grandiorem reddat, ut pleraque in hoc carmine occurrentia ſe eodem modo habent. Nemo autem facilè in dubium vocaverit, *populum*, quem *Deus ſibi in hæreditatem elegit*, eſſe populum Iſraëlis, ex quo ſequitur, eundem etiam eſſe *gentem* illam, de qua antea erat dictum, quod *Jehovah ipſius ſit Deus*. Sed poſtea occaſionem nacturi ſumus hæc ipſa adhuc magis elucidandi & confirmandi.

In Pſalmo noſtro cernitur etiam ſublimitas conceptuum, quæ ut laudatus LOWTH. docet *Præl.* XVI. p. 304. *ex inſita quadam animi elatione, & felici audacia in formandis conceptibus oritur*, quæque maximè conſpicua eſt, quando poëtæ Sacri de Deo, deque operibus, & perfectionibus Ejus agunt. Rectiſſimè loco citato p. 306. & ſequentibus obſervatum eſt, *Potentiam Dei Creatoris in rerum univerſitate condenda* aliis in carminibus, & imprimis etiam in Pſalmo noſtro expoſitam eſſe, & hiſce quidem verbis:

Nam Ille dixit & fuit,
Ille præcepit, & conſtitit.

licet negari non poſſit eandem quoque potentiam ex Providentia Divina elucere, & illam etiam Davidis menti obverſatam fuiſſe. Manifeſtum eſt Vatem ſanctum reſpexiſſe ad verba Moſis: *Dixit Deus: eſto lux,*

& fuit lux. quo nihil, vel ipſo LONGINO fatente, ſublimius dici, aut excogitari poteſt. Quæ de verbis Moſaicis affirmat *Lowth*, eadem quoque de illis in Pſalmo noſtro occurrentibus dici poſſunt. Scil. *quantum addideris verbis, tantum de ſublimitate detraxeris: nam potentiam Divinam non apertè declaratam animus protinus colligit & melius ex effectu; rei magnitudine multò magis perculſus eo quod ex ſè ipſe eam concepiſſe videatur.* p. 306. Obſervandum eſt etiam ipſam conciſam dicendi rationem, *Ille dixit & fuit &c.* nos juvare poſſe, ut animo ac mente concipere queamus effectum verborum divinorum, mandatum Dei protinus ſequentem, id quod haud parum extollit potentiam Divinam, eamque nobis conſpiciendam præbet tanquam talem, cui nihil ne momentum temporis quidem reſiſtere poſſit, quæque nulla re queat impediri, aut coarctari.

Magnifica quoque ſunt, & nihil minus, quam ſublimia, quæ ſentit David de firmitate, & immutabilitate conſilii Divini, de Ejus omniſcientia, & omnipotentia in ferendo ſervis ſuis auxilio. De conſilio Divino ita cantitat: com. 10. 11.

Jehovah irritum reddit conſilium gentium;
Subvertit cogitationes populorum.

Con-

Conſilium Jehovæ in æternum ſtabit,
Cogitationes cordis Ejus in omnes generationes.

Hic ſanè illuſtratur conſtantia conſilii Divini non modo comparatione conſiliorum humanorum, quæ vana & irrita ſunt, ſed & cum ſtare dicitur, quod ſupra jam explicuimus, imo ſtare in æternum, ita ut cogitationes ipſius nullo tempore varientur. Omniſcientia divina ita certa & extenſa eſt, ut Deus *e cælo proſpicere* poſſit in terram usque, & cunctos videre filios hominis, & quidem ita ut *omnes* ubicunque verſentur *habitatores orbis conſpicere queat.* Quid? quod! ita extra aleam poſitum eſt Eum *omnia* eorum *intelligere opera* ut & ſine Ejus Numine ne quidem quid cogitare poſſint, cum Ille *una cor eorum formet.* Quam excelſum hoc eſt? Deus non opus habet actiones ſuas iterare & multiplicare, ſed multis hominum myriadibus cor, quaſi unum eſſet omnibus, *ſimul format.* Quot igitur cogitationes, quot conſilia uno actu moderatur & perſpicit? com. 13 - 15. Quod ad auxilium Divinum ſpectat, de eo ſanè Davidi ſublimis erat ſenſus, cum ipſi ſufficeret quod oculus Jehovæ *eſſet ſuper timentibus Ipſum, expectantibus Ipſius benignitatem, ad eripiendum a morte animam eorum, & ad vivificandum eos in fame.* com. 18. 19. quæ adhuc ſplendidiora redduntur, cum auxilium divi-

Divinum opponatur viribus hominum, a quibus fruſtra à miſeris ſalus ſperatur. com. 16. 17.

Delectentur igitur alii carminibus poëtarum, quibus hanc veriſſimam legem eſſe novimus, quam CATVLLVS expreſſit,

Nam caſtum eſſe decet pium poëtam
Ipſum, verſiculos nihil neceſſe eſt:
Qui tunc demique habent ſalem, & leporem,
Si ſunt molliculi, & parum pudici.

Comprobent alii cum PLINIO, qui CATVLLI citat verba (Ep. XIV. lib. IV. p. 245.) hanc poëtarum rationem; nobis magis placent pie poëtæ pietatem in carminibus ſuis præ ſe ferentes, & in aliis excitantes, quam molliculi, & parum pudici, qua pravis affectibus noſtris facem ſubdere poſſunt.

§. 9.

Quò autem pateſcat Pſalmo noſtro nihil quicquam deeſſe, quod illum ornare poſſit, conſideremus officia pietatis, ad quæ perſolvenda ſubditos ſuos hortatur ſanctus Vates, nec non argumenta, quibus uſus eſt, quò commoveret illos, ut obedienter & piè facerent, quæ præceperat.

Ad populum Iſraeliticum pertinebant illi, quos in principio Pſalmi tanquam juſtos affatur, & ad celebrandum Jehovam cohor-

cohortatione ſua incitat: *Canite Jehovam juſti; rectis decora laus eſt.* com. 1. Attentione noſtra dignum eſt quod, David *juſtos canere Jehovam* jubet. Juſti in ſcriptura Sacra appellantur non modò, qui ex fide juſtificati ſunt, ſed & qui, ut verbis Apoſtoli Johannis utar, juſtitiam faciunt i. e. qui in vita inſtituenda divinæ legis normam ſequuntur. Tales hoc loco intellexiſſe Davidem ex nexu ſermonis colligi poteſt. Namque illi ſtatim ut recti deſcribuntur. Cum autem Juſti non ſemper animum ad canendum paratum, neque occaſionem illud faciendi ſemper habeant, per ſe patet vatem ad felicia Tempora, quæ ex ſequentibus clariora nobis reddentur, oculos directos tenuiſſe, cum pios ad illud faciendum exhortaretur. Ex hoc ipſo autem fluit etiam, juſtos hoc loco non tantummodo tales eſſe, qui generatim præcepta divina obſervarunt, ſed etiam qui ob ſingulare quoddam juſtitiæ documentum juſti inſigniter appellari, & ab aliis tanquam tales diſtingui poterant. Scil. temporibus Davidis injuſti poterant dici omnes in populo Iſraelitico, qui hoſtes Davidis regis erant, & nolebant ut ſibi imperaret, juſti autem, qui hoc rege erant contenti, & ipſius voluntati lubenter morem gerebant. Summum totius mundi dominium quidem penes

Deum

Deum Jehovam eſt, ſed ſingulari tamen modo Ille in Iſraele locum ſupremum tenebat, cum regnum hujus gentis Theocratiæ formam haberet. Vid. FIDALCKII *Theocratia Judaica.* & pars prima libri gallici, cui titulus, *Recueil de trois traites importans a la religion.* *Juſtos* igitur ſe gerebant, qui Davidem Regem, quem Deus elegerat, agnoſcebant, ſeque ejus imperio ſubjiciebant, quales &, nifi me omnia fallunt, & in Pſalmo 118. *juſti* appellantur. Hi *juſti* læto animo poterant canere, cum Deus regnum Davidis confirmaret & extenderet, ſeque per illud feliciſſimos redderet. Hoc ipſum autem materiam cantus ipſorum fuiſſe ex ſcopo Pſalmi ſupra demonſtrato manifeſtum eſt, & ſequentia adhuc clarius docebunt.

Juſtos autem ad canendum hoc argumento vult commovere præſtantiſſimus Vates: *Rectis decora laus eſt.* Eruditiſſimi Interpretes, & illos inter GEIERVS ad hunc locum exiſtimant rectos ישרים denotare ingenuos, vel ſinceros hypocriſi carentes. Nolumus iis contradicere, nec eorum rejicere ſententiam, imprimis cum phraſis, qua pii dicuntur *recti* eſſe, ſit ellyptica, & plenior dictio ſit, *recti corde.* Pſ. XXXII. 11. Namque hoc etiam loco *juſtos* auctor Pſalmi illius porro ita deſcribit, ut eos rectos & qui-

quidem *rectos corde* appelliret; at vero vocem hanc, vel phraſin adhuc plura complecti, & ſignificare putandum eſt. Niſi me omnia fallunt *rectus*, vel *rectus corde eſt*, qui in conſiliis capiendis & in vita inſtituenda, atque ita in actionibus ſuis unicam operum noſtrorum normam legem Divinam ſequitur; qui itaque non vana gloria, aut voluptate impura, aut pejore adhuc avaritia ductus commoda ſua honori, & gloriæ Dei, bonoque publico præfert, ſed potius liber a perverſis cupiditatibus officia, quæ Deo, & reipublicæ, omnique privato perſolvere tenetur, omni cura exſequitur. Rectus igitur ſanctus eſt, qui de Deo, & præceptis ejus recte ſentiens, Deum ſuper omnia diligit, veneratur, timetque, qui Eum ſincera colit pietate tanquam ſupremum Dominum, ac ſummi boni fontem inexhauſtum. *Rectus* eſt etiam, qui ſe in reliquis ita gerit ut talem decet, quem veteres *virum bonum* vocaverunt, quem *magnitudo animi ornat, quæ nihil ad oſtentationem, omnia ad conſcientiam refert: rectèque facti, non ex populi ſermone mercedem, ſed ex facto petit.* PLIN. *Ep.* XXII. lib. I. Talem *virum bonum*, quem noſmet cum Davide *rectum* jure merito appellare poſſumus, veteres ſuis egregiè pingunt coloribus. HORATIVS ita de illo:

Vir

Vir bonus eſt quis?
Qui conſulta patrum, qui leges, juraque ſervat:
Quo multæ, magnæque ſecantur judice lites:
Quo res ſponſore, & quo cauſæ teſte tenentur.
lib. 1. Ep. XVI. v. 40. ſq.

Huic opponit idem poëta præſtantiſſimus *mendoſum, & medicandum*, quem
Falſus honor juvat, & mendax infamia terret.
v. 39.
deque hoc ita canendo pergit:
Sed videt hunc omnis domus, & vicinia tota
Introrſum turpem ſpecioſum pelle decora.
v. 44. 45.

Sinceritati itaque ſtudere oportet *virum bonum*, atque *rectum*, ad quam idem QVINCTIVM eadem quoque epiſtola hortatur, & inter alia ſcribit:

Tu rectè vivis, ſi curas eſſe, quod audis. v. 17.

CICERO virum bonum hiſce deſcribit verbis in *Lælio*: *Agamus — pingui Minerva, ut ajunt, qui ita ſe gerunt, ita vivunt, ut eorum probetur fides, integritas, æquitas, liberalitas; nec ſit in eis ulla cupiditas, vel libido, vel audacia; ſintque magna conſtantia — hos viros bonos, ut habiti ſunt, ſic etiam appellandos putemus.* Qualis ille ſit conſpicuum quoque reddunt verba TACITI, quibus HELVIDIVM PRISCVM laudat: *Civis, ſenator, maritus, gener, amicus, cunctis vitæ officiis æquabilis, opum contemptor, recti*

recti pervicax, conſtans adverſus metus. Hiſtor. l. IV. p. m. 285.

Talis igitur eſt ſecundum ſcriptores Romanos vir bonus, & ſecundum Pſalmum noſtrum *rectus.*

Laus eſt decora rectis. Ex nexu verborum patet Poetam ſacrum laudem Jehovæ intellexiſſe, & ex illo quoque inferre licet, *Juſtos* eosdem illos eſſe, qui poſtea *recti* audiunt. ſcil. hoc ipſum efficit, ut *juſtos* perfectius cognoſcamus, eosque magis æſtimemus, cum ita ſint *juſti* ut & pro *rectis* habendi ſint. Cum enim quod in illis eſt conſpicuum, & quo ab aliis diſcerni poſſunt, optimæ & perfectiſſimæ morum, & virtutum regulæ, divinitus ſcil. datæ, reſpondeat, per hoc ipſum juſti ſunt, & illud quoque hominibus pulcherrimam & glorioſiſſimam addit perfectionem.

Juſtis & rectis decora laus Jehovæ *eſt*, quod ita interpretatur GEIERVS: *Ingenuos convenit ac decet laudare Dominum, imò hæc laus eosdem peculiariter exornat, & coram Deo conſpicuos facit, atque acceptabiles.* Recta quidem & vera eſt hæc explicatio, ſed illa ſenſum verborum non exhaurit. Nec ſufficit, ſi cum *Interpretibus Anglicanis* dicamus decere juſtos laudem Dei, quod ad illam operibus, & beneficiis Divinis obſtricti ſunt. Statuendum enim eſt *hanc laudem rectis* etiam deco-

ram eſſe, quod illa gloriam, & honorem ipſorum ſimul auget, & extollit. Qui enim Deum jure merito laudare poſſunt, per hoc ipſum manifeſtum reddunt Jehovam ſuum eſſe, Eumque illud gratia, & benignitate ſua manifeſtum reddidiſſe, id quod hominibus maximo eſt honori, & ſummæ gloriæ. Illud namque clariſſimi argumenti loco eſt Deum in ſervis ſuis conſpexiſſe veram ſapientiam, ſanctitatem, juſtitiam, pietatem, per quas virtutes recti ſumus, eosque propter illas Dei ſui gratiam tenere.

Recti illi, qui temporibus Davidis, divinam facientes voluntatem partibus hujus Regis ſe adjunxerunt, imprimis honori ſibi ducere poterant, quod Deum, qui Davidem evexerat, & regnum ipſi firmum, ac tranquillum reddiderat, celebrarent, cum per hoc ipſum manifeſtum fieret, eos prudenter, ac ſapienter egiſſe, & a tramite pietatis, & juſtitiæ non receſſiſſe.

Hoc autem argumentum, quo David hìc loci uſus eſt, fortiſſimum & accommodatiſſimum erat iis, quos ad laudandum Deum excitare volebat. Nihil enim magnum animum, qualem rectis ineſſe ex iis, quæ ſupra notata ſunt, diſpaleſcit, magis commovere & incendere poteſt ad perſolvenda officia ſua, quam argumentum quod a decore eſt petitum. In hominibus ſceleratis, & vi-

& vitiis deditis illud quidem nihil valet, *ſed nimirum ut quidam morbo aliquo, & ſenſus ſtupore ſuavitatem cibi non ſentiunt: ſic libidinoſi, avari, facinoroſi veræ laudis guſtatum non habent* CICERO *Pilip. 11.* Verum enim verò *non perfecti homines, & tamen ingeniis excellentibus prædiți excitantur ſpe gloriæ, quæ habet formam honeſtatis, & ſimilitudinem*, ut laudatus CICERO affirmat lib. V. *de Finib.* Si autem hanc ob cupiditatem gloriæ homines pro non perfectis habuerunt philoſophi veteres, ſine dubio erraverunt, cum illam omnes boni ſentiant, & ea nobis a Deo ipſo ſit indita, ut rectiſſimè docuit inter Theologos Anglicanos, & ſcientiæ moralis doctores haud ultimus BARROW in opp. vol. I. p. 41. ſq. & gloriæ cupiditas hominibus ita naturalis, iisque radicibus defixa eſt, ut ne morientes quidem relinquat. TACIT. *Annal.* I. 16. LACTANT. *Div. Juſt.* c. 5. p. 121. David itaque ſperare poterat juſtos Iſraëlitas exhortationem ſuam eſſe ſecuturos, cum diceret: *Canite juſti Jehovam, rectis decora laus eſt.*

Sed prolixior ſum in explicanda prima Pſalmi noſtri parte, quam conſtitueram, materiæ dignitate a propoſito fine deductus, qui non erat commentarium perfectum & ſpiſſum in carmen hoc conſcribere, ſed obſervatis non nullis elegantiam ejus demon-

ſtrare. Scopi itaque noſtri ratio poſtulat ut circa ea, quæ ſequuntur brevitati ſtudeamus.

§. 10.

Cum David pluribus verbis vellet explicare, quo pacto animus ſuus commotus ſit, cum magna Jehovæ Dei opera in memoriam ſibi revocaret, & conſideraret, Iſraëlem docuit qua mente, quo carmine Deus eſſet celebrandus, quænam hocce ſociare deberent inſtrumenta muſica. *Confitemini*, dicit, Jehovæ in *cithara, nablio decachordii, pſallite illi, cantate canticum novum reddite egregium pulſando cum elangore.* com. 2. 3. Novum poſtulabat carmen, dum nova & inſignis hoc exigebat occaſio, de qua ſtatim acturi ſumus. Quod autem attinet inſtrumenta muſica, quæ hic commendata ſunt, iis deſcribendis non inhæremus, cum fatendum ſit, nosmet hactenus de iis certiora non obſervaſſe, quam ab aliis allata ſunt. Sufficit nobis monuiſſe Davidem talia ſine dubio præſcripſiſſe inſtrumenta, de quibus cogitandum ſit, quod illa cantum lætiſſimum, & maximè ſolennem reddere potuerint.

De argumento autem carminis ad honorem Jehovæ canendi quædam notata nobis ſunt, quæ illud forſitan clariore luce ſuper-

ſuperfundere poſſunt, quam hactenus ab eruditiſſimis Interpretibus accepere. David affirmavit, quod *rectum ſit verbum Jehovæ, quod & omne opus Ejus in veritate ſit, quod amet juſtitiam, & judicium, & terra plena ſit benignitatis Jehovæ.* Si verba hæc obiter inſpicias, & verſiones eorum atque explicationes, quas in commentariis ſuis dederunt, præſtantiſſimi Interpretes conſulas, facile in eam induci poteris cogitationem, Davidem generatim de verbo divino, deque omnibus Dei operibus agere. At verò longè aliter ſenties, ſi conſideres qua mente, & ad quem finem ille ſcripſerit, & imprimis de quocunque opere Divino dici non poſſe, quod *ſit in veritate.* Verbi gratia, quo pacto de creatione mundi, de exornatione terræ noſtræ, de formatione corporis humani e terra, de effectis benignitatis Dei in Ethnicos affirmari poſſet, quod illa omnia *ſint in veritate*? Hoc enim de iis tantum modo cogitari poteſt operibus, quæ Jehova vel pollicitus, vel comminatus eſt. Ex hiſce autem colligi poteſt, Davidem ſingulare verbum, & opus Divinum reſpexiſſe, quod lectoribus & imprimis Iſraëlitis cognitu non eſt difficile, ſi occaſionem Pſalmi conſiderent. Obſervavi Vates ſanctos ſæpius de re vel perſona ita ſermonem facere, ut illas non deſcribant, ſed potius ita loquantur, ac ſi

ſupponerent quemvis ſine negotio intelligere poſſe, quodnam argumentum animo ipſorum obverſatum ſit. Et hoc ipſum quoque fieri poteſt, ſi occaſio carminis alicujus nobis innotuerit, & omnium facillimè mentem Vatis poterant adſequi, quibus in recenti adhuc in memoria erant, quæ illi præbuerunt anſam ad canendum. Cauſa autem ſcribendi hunc in modum ſine dubio fuit vehementiſſimus, quo animi Vatum concitati ſunt, motus, quem Græci ενθουσιασμον vocaverunt, qui non permittit ut omnia ita definiamus, ut philoſophi, & hiſtorici facere ſolent, ſed potius urget Poëtas, ut feſtinent ad illa, quæ imprimis animum ipſorum commoverunt. Vatibus ſanctis talem ſcribendi modum haud inſolitum eſſe ſequentia exempla manifeſtum reddunt. Pſalmo XXXVI. agit David de *impio*, cujus malitiam atris pingit coloribus, ſed illum neque vocat nomine ſuo, neque perſonam ejus ita deſcribit, ut ſola occaſio Pſalmi nosmet docere poſſit, quisnam ille ſit *impius*. Ex ſolo etiam carminis illius ſcopo colligere poſſumus in quem nefanda illa facinora ſint commiſſa, quæ David de *impio* notavit. Pſalmo LXXXIV. com. 10. dicitur: *ſcutum noſtrum vide Deus, reſpice faciem uncti tui.* Sed in toto Pſalmo non indigitatur, quisnam ille *Dei* ſit *unctus*? Et illud ex

ſolo

ſolo ſcopo Pſalmi poteſt elici. Pſalmus CXVIII. agit com. 22. de *lapide, quem rejecerunt architecti, qui caput anguli factus eſt.* Argumentum autem Pſalmi conſulendum eſt, ſi pernoſcere velis quisnam ille ſit, de quo illud affirmari potuit. Sic quoque ſcopus ſolummodo Pſalmi noſtri lucem nobis accendere poteſt, ut intelligamus quodnam illud verbum, & opus Divinum ſit, de quo hîc loci mentio facta eſt. Et niſi me omnia fallunt, David oculos directos tenuit ad duplex verbum promiſſionis Divinæ, & ad ejusmodi opus, quo illud exſolvit. Pollicitus erat Deus Iſraeli populo Se ipſi cum hoſtibus ſuis pugnaturo opem adferre velle, ut iis debellatis promiſſam terram ad determinatos per Moſen fines usque occuparet; promiſerat Davidi Se ipſi imperium in univerſum Iſraelem, magnamque nominis gloriam, & celebritatem eſſe daturum. Utrumque promiſſum Jehovah ita perfecit, ut inſigne non modo juſtitiæ, & benignitatis, ſed & veritatis documentum dederit. Cum itaque Pſalmus noſter eo tempore ſit compoſitus, cum Deus opus illud ad finem perduxiſſet & hoc ipſum Davidi ad canendum id carmen anſam dederit, ut ſupra vidimus, nihil veriſimilius nec probabilius eſt, quam Vatem regium hoc loco etiam ad dictum illud verbum, &

ex eo fluens opus Divinum reſpexiſſe. Adhuc magis ſeſe commendabit hæc ſententia noſtra, ſi verba Davidis accuratius inſpiciamus, & ponderemus quisnam verus ſit illorum ſenſus. Satis clara quidem ſunt, quæ verbo Jehovæ ſunt aſſignata, ſi illa cum nexu ſermonis conferas, & ſecundum ſcopum Pſalmi explices. Difficilius autem intellectu eſt, quem ſenſum fundant verba כל מעשהו, quæ ab omnibus reddita ſunt, *omne opus Ejus*, & omnia opera Divina, quæcunque illa ſint, ſignificare videntur.

Quod ad verbum promiſſionis attinet, illud *rectum* dicitur eſſe; quod præſtantiſſimi Interpretes, cum non ſatis ponderarent, nec determinarent, de quonam verbo David hîc loci egerit, quisque pro ſuo cogitandi modo explicuerunt. Nec ſatis videntur attendiſſe ad uſum vocis ישר *rectus*, neque ad ſignificatum, quem in ipſo hoc Pſalmo obtinet, & æque minus ad nexum, quo verba illa ſequentibus juncta ſunt. Ex hiſce tamen fontibus interpretatio verborum fuiſſet haurienda; noſmet igitur tentaturi ſumus, num ex illis meliorem & certiorem eorum explicationem, quam in commentariis invenimus, derivare liceat. *Rectum* eſt, quod cum certa quadam norma, & imprimis cum regula juſtitiæ conſpirat.

ſpirat. Cum itaque *juſti* in præcedentibus deſcribantur ut tales, qui *recti* ſunt, & ad explicationem verborum noſtrorum adjungatur Deum *amare juſtitiam, & judicium*, ſequitur *verbum rectum* hîc eſſe tale, quod a norma juſtitiæ non recedit. Dictum autem verbum promiſſionis, Iſraëli & Davidi datum, ita *rectum* fuit, id quod ſequentia poſſunt probare. Deus eſt Creator finium terræ, ejusque ſupremus Dominus & Gubernator, & hanc ob cauſam regna, agros, montes & quæcunque ad uſum hominum ab Ipſo ſunt condita, quibus vult, dare & diſtribuere poteſt. Præterea rectum erat ut populos horrendis ſceleribus commaculatos fertiliſſimas regiones incolentes e poſſeſſionibus ſuis ejiceret, vel deleret, quò Iſraelem populum ſibi fœdere junctum illorum terrâ donaret. Juſtitiæ quoque conſentaneum fuit, quod Jehova Saulis filios hæreditate regni Iſraelitici excluderet, cum impius ille & injuſtus Rex læſæ majeſtatis Divinæ reus factus eſſet, quod & hanc ob cauſam fecit, quò meliorem principem muneri regio præficeret.

Quæ David adjunxit de opere Divino, *omne opus Ejus eſt in veritate*, ſignificare mihi quidem videntur, totum opus Jehovae, quo perſolvit dicta promiſſa ſua, eſſe immutabilis Veritatis ſignum, & argumentum

clariſſimum. כל מעשהו *omne opus Ejus* indigitat opus totum, non verò omnia Dei opera, cum illud כל hac ſignificatione ſæpius gaudeat, & David ſingulare quoddam opus intelligat, ut ſupra vidimus. Hoc igitur demonſtrat opus illud egregium, & laudandum eſſe, cum David illud *in veritate* exiſtere affirmet. Hoc enim non modo firmam, & mutari neſciam fidem Jehovæ conſpiciendam nobis præbet, ſed ſimul quoque opus illud tanquam juſtum oculis noſtris ſubjicit. Si enim *verbum* Dei, verbum promiſſionis, *rectum* vel juſtum eſt, opus illud, quo Deus perfecit, quod pollicitus erat, juſtum ſive *rectum* etiam ſit oportet.

Hoc ipſum autem Davidi anſam præbuit, animumque ejus concitavit, ut Deum a juſtitia, & benignitate laudaret dicendo: *Amans eſt juſtitiam, & judicium; benignitatis plena eſt terra.* Hæc Deum oculis noſtris ſubjiciunt tanquam Optimum Principem, qui hanc ob cauſam pios ac juſtos dignis præmiis, ſceleratos autem promeritis pœnis afficit, quò homines ad virtutem & adjunctam ei felicitatem perducat & evehat. Verba ipſa, quibus hoc ſignificatur, ſatis clara quidem ſunt, nec ulla laborant obſcuritate, ſed plenum tamen eorum ſenſum capere non poſſumus, niſi ſcopum Pſalmi

mi ritè conſideremus, & ſciamus quam vim habeat vox חסד *benignitas*, quam eruditiſſimi Interpretes *miſericordiam* denotare putaverunt. David potuiſſet dicere Deum feciſſe judicium & juſtitiam, ſed ſine dubio excellentiora ſunt, & magis celebranda, quæ de Jehovah, & veriſſimâ quidem gloriâ prædicavit, ſcilicet *quod amans ſit juſtitiæ, & judicii.* Nihil ſanè Deum nobis amabiliorem reddere poteſt, nihil majorem Dei reverentiam ac timorem in mentibus noſtris excitare valet, quam ejusmodi amor juſtitiæ, qui nos dubitare non ſinit, quin omnes viæ Divinæ ſint judicia, quin ipſe Jehovah ſit Petra, cujus opera perfecta ſint. David autem rectiſſimè ex opere Dei, de quo antea mentionem fecerat, infert, Eum *juſtitiam, & judicium amare.* Clariſſima enim fuere, quæ Jehovah dederat perfectæ juſtitiæ ſpecimina, quod patebit, ſi domum Saulis, & gentes ethnicas, quarum peccata & ſcelera Deus vehementer vindicavit, ſi & populum Iſraelem & Davidem juſtitiæ & pietatis fructus ferentes animis noſtris intueamur. Sapientiſſimè, & ſimul jucundiſſimè ſcripſit David, cum haud obſcurè ſignificat, ſeſe per opus Dei edoctum eſſe, quod Ille ſit *amans juſtitiæ & judicii*, id quod & Lectorem adducere poterat, ut & attenta mente conſideret, quæ Deus

Deus perfecit ad augendam & confirmandam aliorum, & imprimis Iſraelitanum beatitatem. Quod benignitatem Dei, quam David juſtitiæ ſubjungit, attinet, veram vocis חסד ſignificationem nosmet celeber. J. D. MICHAELIS docuit in ſcriptis lingua Germanica exaratis *de legibus matrimonialibus Moſis* c. IV. §. 41. p. 132. & ad Pſ. 16. Niſi me omnia fallunt, benignitas divina denotat eximium, quo Deus in creaturas, & imprimis rationales fertur amorem, qui cauſa eſt, ut magna, & plura, quam jure ab eo poſtulare poſſunt, beneficia iis conferat. Noſmet homines, ut ſententiam noſtram exemplo illuſtremus, quaſi exigere jure poſſumus, ut Deus, qui nos creavit, largiatur nobis quantum ſufficit ad propulſandam famem, & ad ſitim reſtinguendam. Benignitatis autem Divinæ eſt, ſi corda noſtra cibo, & lætitiâ expleat, id quod homines & quidem peccatores a Deo deſiderandi nullum jus habent. Hanc veram eſſe ſignificationem benignitatis, quam ſacræ litteræ Deo tribuunt, ex deſcriptione illius manifeſtum eſt. Sic Pſalmo XXXVI. com. 8 - 10. dicitur: *Quam pretioſa eſt benignitas tua, o Deus! quod filii hominis umbræ alarum Tuarum confidant? Implentur pinguedine domus Tuæ; & flumine deliciarum Tuarum potas eos. Quia Tecum vitæ eſt Scaturigo,*

rigo, & in luce Tua lucem videmus. David cum benignitatem hanc dignis laudibus extollere vellet, hoc melius facere non poterat quam hiſce verbis: *Terra plena eſt benignitate.* Hoc ſanè de benignitate Dei dici poteſt cum illa ad omnes homines, ne ethnicis quidem exceptis, extenſa ſit. Et hoc ipſum immenſam benignitatis illius magnitudinem, & inexhauſtas ejus divitias illuſtrat, & conſpicuam reddit. Davidi autem occaſio hanc virtutem divinam celebrandi oblata eſt, cum Deus poſt extincta pernicioſiſſima bella Iſraeli, finitimisque gentibus pacem, quæ fons optatæ felicitatis eſt, dediſſet.

§. 11.

Maximum itaque hæc omnia, quæ de operibus divinis dicta ſunt, momentum ac pondus habent ad permovendum imprimis pios Iſraëlitas, ut Jehovam Deum ſuum lætis carminibus celebrarent. Credebant illi Deum eſſe, qui populum ſuum ſuper alias gentes exaltaverit, & haſce humiliatas atque fractas ſceptro Davidis ſubjecerit. Non ignorabant a Deo eſſe dura illa, quæ domus Saulis erat paſſa, quæque peccatis ſuis commeruit; Deum quoque unicum felicitatis ſuæ & libertatis Auctorem eſſe atque Vindicem. Facilè perſpiciebant quanta

&

& quam ſtupenda eſſent Jehovæ opera, & illa omnia ad hominum beatitatem tendere, Deumque hanc ob cauſam dignum eſſe, qui ſummis laudibus ornetur. Cum itaque Rex pientiſſimus David hæc ipſa Iſraelitis in memoriam revocaret, quæ Deus ad ſalutem populi ſui perfeciſſet, & quantus eſſet virtutum Divinarum ex iis relucens ſplendor, illi de laudibus Dei ſilere non poterant. Et imprimis excitari poterant ut Jehovam, & opera Ejus mirabilia canerent, cum tantus Rex, *cujus jucundiſſima & pulcherrima erant carmina*, ipſis exemplo ſuo præiret.

§. 12.

Non minus apta nec minoris ponderis ſunt argumenta, quibus Vates doctiſſimus uſus eſt, ut ethnicos ad timendum Jehovam adduceret. Ad hunc finem ille non tantummodo docet Deum eſſe mundi univerſi Creatorem, quod illi non credebant, & cujus contrarium Philoſophi orientales, fortè jam temporibus Davidis, tradiderunt; ſed id imprimis etiam agit, ut illi conſiderent, & perſpiciant quanta & quam ſtupenda ſint Dei Creatoris opera. *Per Verbum Jehovæ cœli facti ſunt*, at quam excelſi, & quam immenſi? *Et per ſpiritum oris Ejus omnis exercitus eorum*, Et quis ſidera ad exercitum

citum hunc pertinentia numerando percenſere poteſt? *Colligens eſt ſicut cumulum aquas maris, dans in theſauris abyſſos.* Quantæ molis ſunt aquæ vaſti maris? Quam mirabile eſt opus Divinum, quo Jehovah tantos fluctus, compeſcuit, & debitis incluſit finibus quos transgredi non poſſunt? Quicunque ſana utitur ratione, & dicta illa adhibitâ attentione debitâ conſiderat, ille ſanè commovebitur,ut Davidem audiat monentem: *Timeant Jehovam omnis terra, Illum extimeſcant omnes habitatores orbis.* Hæc omnia ſanè imprimis apta nata erant ad inſtruendum, & impellendum ſubditos Davidis, qui hactenus Deos nihil Divini habentes coluerant, ut ſeſe timentibus Jehovam adjungerent. Non enim perſuaderi poterant Jehovam eſſe Unicum Verum Deum ab hominibus colendum, niſi docerentur. Eum eſſe Creatorem cœli, & terræ; ſed hoc credentes adduci poterant, ut ad Deum Illum ſe converterent, cum tanta eſſent Ejus opera, cum & omnis terra per illa obſtricta ſit, ut Eum extimeſcat.

Adhuc magis impelli poterant ut hoc facerent, ſi conſiderarent tantum eſſe Jehovæ potentiam,ut verbo juſſuque Suo omnia, quæ vult, ſiſtere, ac perficere poſſit. *Nam Ille dixit, & factum eſt; & præcepit, & adſtitit.* Hæc verba videntur docere non modò quo

pacto

pacto omnia ab Ipſo creata ſint, illum ſcil. *dicendo, & jubendo feciſſe cœlos, & omnem eorum exercitum, collegiſſe ſicut cumulum aquas maris, ac dediſſe in theſauris abyſſos*, ſed etiam omnia in mundo ſecundum verba, & præcepta divina contingere. Ejusmodi enim potentia Divina non modo in Creatione ſed & in Providentia, nempe in conſervatione & gubernatione omnium rerum cernitur. Et præterea verba haecce, *Ille dixit, & factum eſt* &c. medium obtinent locum inter illa, quae de Creatione, & Providentia Divina agunt, ita ut tam ad haec, quam ad illa poſſint referri, cum ſenſus verborum illud non prohibeat.

Hiſce autem eò magis ad credendum duci poterant Deum Solum, & unicè timendum Jehovam eſſe, cum potentiae divinae documenta clariſſima ipſi vidiſſent, & experti eſſent. Hujus rei memoriam ipſis renovant verba ſequentia: *Jehovah irritum reddidit conſilium gentium, ſubvertit cogitationes populorum. Conſilium Jehovæ in æternum ſtabit: Cogitationes cordis Ejus in generationem, & generationem:* com. 10. 11. Clara quidem videntur eſſe verba hæcce, nec ulla indigere illuſtratione, contrarium autem patebit, ſi comma decimum inſpiciamus, & quæramus, quænam illae *gentes* ſint, & quinam *populi*, de quibus hoc loco agitur.

In

In lingua Hebraica legimus voces גוי & עם, & ſupra jam obſervavimus illos errare, qui exiſtimant verbum illud גוי gentem ethnicam, & a religione Iſraëlitarum abhorrentem ſignificare. Hoc loco id demonſtrandum, & verus, quem vox illa fundit, ſenſus indagandus eſt. Negari quidem non poteſt voces עם & גוי ſæpius de eodem populo v. gr. de Iſraelitico adhiberi ut ſtatim oſtenſuri ſumus, non tamen ex eo ſequitur illas ratione ſenſus a ſe ipſis non differre. Quantum autem intelligo, derivatio vocis גוי ex lingua Arabica lucem nobis accendere non poteſt, ut cognoſcamus quid illa ſignificet, id quod facilius fieri poterit, ſi loca quædam S. S. conferamus. Obſervavimus enim verbum illud interdum nihil aliud denotare poſſe quam gentem, quæ certo reſpectu tanquam totum quid, alio autem tanquam pars totius conſiderari debet. Exempli gratia: Quælibet tribus in Iſraele corpus erat ſingulare, quod capite ſuo gaudebat, & ratione hujus qualitatis ab omnibus aliis gentibus erat ſeparatum. Gentes ethnicæ ſub rege vel magiſtratu junctæ ratione capitis, legum, & privilegiorum, quibus erant adunatæ, nihil commune cum aliis populis habent; ſunt tamen partes totius generis humani vel eorum, qui cum illis ex

eadem domo ortæ ſunt. Talem gentem ut partem totius alicujus corporis verbum גוי ſequentibus in locis, niſi me omnia fallunt, indigitat. Cum Moſes enarraſſet quænam gentes ex filiis Noachi ſint ortæ, tandem hæc ſubjungit verba: *Hæ* (ſunt) *familiæ filiorum Noachi, juxta generationes eorum in gentibus eorum* i. e. juxta generationes diviſæ in eorum gentes, ſive in gentes exillis (Noachi filiis) ortas. *Atque ex his diſperſæ ſunt gentes in terra poſt diluvium.* hîc loci legimus illud גוי gens, quod nihil denotare poteſt aliud niſi gentem, quæ pars eſt hujus vel illius familiæ Noachi benedictione divina inſigniter auctæ. Geneſ. X. 32. Haud abſimilem vocis hujus ſignificatum obſervavimus Jeſai XIII. 4. ubi propheta Exercitum Medorum hiſce verbis deſcripſit: *Vox eſt multitudinis in montibus, ſpecies populi magni: Vox tumultus regnorum gentium congregatarum.* Hîc loci propheta mentionem facit populi ſcil. Medorum vid. com. 17. Hic conſtituebat multitudinem, vel numeroſum exercitum, cujus vocem audiverat. Vocem autem hanc poſtea dixit eſſe *vocem tumultus regnorum gentium congregatarum*, regna itaque hæc, & gentes גוים ſunt partes Populi Medici. Hiſce locis alium nosmet jungere oportet, ubi גוים ſignificat tribus Iſraëlis, qui in nexu ſermonis עם *populus* appellatur

Eſt

Eſt ille Pſalmi CVI. comm. 5. ubi ſequentia leguntur: *Memento mei Jehovah, in beneplacito populi tui* עמך, *viſita me ſalute tua*, populus Dei עם eſt corpus totum, cujus partes duodecim tribus ſunt, hæ autem ſunt gentes Jehovæ, de quibus hiſce in verbis agitur: *ut videam bonum electorum tuorum, ut læter gaudio gentium tuarum, ut glorier cum hæreditate tua.* Elegans in hiſce verbis eſt κλιμαξ ſive gradatio, & quidem talis, qualis poëtis Hebræorum eſt uſitata ſecundum quam pluribus verbis & phraſibus idem illuſtrant uſque magis, & extollunt ſubjectum. Verba enim illa de eodem ſubjecto i. e. de populo Iſraëlitico eſſe accipienda manifeſtum eſt ex prima, & ultima eorum parte, cum electi Jehovæ in illâ, hæreditas autem Ejus in hacce quam clariſſime Iſraelitas denotent. Ex hiſce autem fluit vatem Sanctum dum Jehovæ dicit: *Viſita me ſalute tua —— ut læter in gaudio gentium tuarum* גוים per *gentes* Jehovæ tribus Iſraelis intellexiſſe. Hunc etiam ſenſum fundit ſine dubio vox illa noſtro in loco, ubi gentes גוים a populis עמים hunc in modum diſtinguere poſſumus, ut illi tribus Iſraeliticas, hi autem alios populos & quidem ethnicos denotent.

Hoc manifeſtum eſt ex iis quæ de utrisque affirmantur, quorum prius eſt quod

Deus *irritum reddiderit conſilium gentium.* Hoc factum eſt, ut ex hiſtoria Sacra notum, cum plures tribus conſilium iniiſſent confirmandi domui Saulis regnum, ac Davidem ab illo excludendi. Cumque bellum cum eo gererent internecinum, cogitandum eſt illos nihil aliud niſi exitium uncti a Deo per Samuelem regis paraſſe, vel ſaltem id egiſſe, ut eum dominatu ſuo pellerent, atque tribum Judæ imperio Filii Saulis adjungerent. Deum autem irritum reddidiſſe conſilium hocce hiſtoria noſmet reddidit certiores, dum illa commemorat quo pacto vires domus Saulis imminutæ, & Davidis auctæ ſint, donec tandem & regnum Iſraelis ad regem hunc, quem Deus elegerat translatum eſt. Deus quoque *cogitationes populorum ſubvertit.* Hi enim Iſraelem armis opprimere, & in ditionem ſuam redigere cogitabant, ſed illi potius a Davide, cujus a partibus Jehovah ſtabat, ſuperati, regi huic ſervire cogebantur.

Sed objici mihi poſſe video, ethnicos a religione Iſraelis alienos perſuaderi non potuiſſe, Deum illa perfeciſſe & ejus providentiâ Davidi tantam potentiam datam eſſe. At vero cogitandum eſt populis ethnicis res Iſraelitarum tam incognitas non fuiſſe, ut ſcire non potuerint quæ Deus populo ſuo, atque imprimis Davidi prædixerit,

dixerit, atque pollicitus ſit. Colligimus hoc ex iis, quæ ſacerdotes, ac harioli Philiſtæorum principibus ſuis dicebant: *Quare namque aggravabitis cor veſtrum, quemadmodum aggravarunt Aegyptus, & Pharao cor ſuum? Nonne poſtquam mira operatus eſt in iis, dimiſſerunt tamen eos, iveruntque?* 1. Sam. VI. 6. Cum itaque mirabilia Jehovæ Dei facta ad aures Ethnicorum perveniſſent, innoteſcere ipſis etiam potuerunt promiſſa divina Iſraeli, & Davidi data, atque perſoluta; & hiſce adduci poterant, ut crederent Deum Iſraëlis *irritum reddidiſſe conſilium gentium*, vel tribuum Davidem impugnantium Eumque cogitationes *populorum ſubvertiſſe*, cum illi Iſraelem ſibi ſubjicere vellent. Vaticinia enim, ut & JOSEPHVS obſervavit, clariſſimum providentiæ Divinæ argumentum exhibent. *Antiquitat. Jud.* l. X. c. 11. p. 545. Proſelytos ſanè hac ratione perſuaſos eſſe, ut ad Deum Iſraelis ſeſe converterent exiſtimandum eſt. Et ſic quoque ethnici poterant credere *conſilium Jehovæ in æternum ſtare, ac cogitationes cordis ejus in generationem, & generationem.* Hoc autem gentes ad timendum Deum Iſraëlitarum permovere poterat. Id enim conſiderantes edocebantur Jehovam *in cœlis eſſe, ac facere, quæcunque velit*, nullamque tantam eſſe potentiam, quæ vires ſummi illius Numinis frangere, aut

ullis limitibus circumſcribere poſſit, & *habitatores quidem terræ ſicut nihil æſtimandos eſſe, Eum autem juxta beneplacitum ſuum agere cum exercitu cœlorum, & habitatoribus terræ, nec eſſe, qui inhibeat manum Ejus, & dicat Ipſi: quid facis?* (Dan. IV. 32.) Experientia eſt optima rerum magiſtra. Dum itaque populi, qui credebant quamvis gentem Deum ſuum habere, quæ ipſi in bello adſit, ab Iſraelitis eſſent victi, & in eorum veniſſent poteſtatem, ſine negotio quoque in hanc ſententiam perduci poterant Deum Iſraelis Jehovam omnibus aliis ſuperiorem, Eumque ſolum timendum, atque colendum eſſe. Et quae experti erant, illis eò facilius hanc adferre opinionem poterant, quod ut modò vidimus, ipſos ſtupenda Jehovae, & extimeſcenda miracula minimè gentium latebant, & victoria Davidis a tot gentibus reportata inſtar miraculi extitit.

§. 13.

Argumenta haecce urgentur, & corroborantur alio, quod ex praecedentibus fluebat, & his verbis eſt conceptum: *Beata gens, cujus Jehovah eſt Deus, populus, quem in hæreditatem elegit Sibi.* v. 12. Cum jam ſupra probatum ſit vocem גּוֹי non adeo deſignare gentem ethnicam, ſed potius gentem, quae certa ratione tanquam pars totius

conſi-

conſiderari poſſit, nemo facile dubitaverit utramque illam enunciationem de populo Iſraelitico accipiendam eſſe, imprimis cum hoc carminis hujus genus *Maſchalicum* (ſit venia verbo!) exigat, ut ſupra oſtendimus. Si quis autem locum deſideret parallelum, in quo populus Iſraeliticus tam גוי, quam עם appelletur, ecce! Deuteron. IV. com. 6. *Obſervabitis itaque & facietis* (ſtatuta & jura Jehovae) *Hæc enim eſt ſapientia veſtra, & intelligentia veſtra in oculis populorum, qui audiverint omnia ſtatuta hæc; dicent enim: omnino populus* עם *ſapiens, & intelligens eſt, gens* הגוי *magna hæc.* Et ſic extra omnem dubitationis aleam poſitum eſſe credo, noſtro loco Iſraelem eſſe illam gentem גוי & populum illum עם de quo David ſermonem fecit.

Iſrael gens, גוי, poterat appellari, cum non modo pars eſſet totius generis humani, ſed & poſterorum Semi, Eberi, Abrahami, & Iſaaci; populus autem erat, עם, quod ab omnibus aliis gentibus per legem Moſaicam fuit ſeparatus, & ſub Davide in unum corpus coaluit.

Beata gens illa eſt, cujus Deus Jehovah eſt, populus, quem in hæreditatem Sibi elegit. Sanè fœdus, quo Deus Iſraëli junctus erat, & quae ex eo fluunt miſericordia, gratia, benignitas, & benedictio Divina probant quae David hîc affirmavit. Sed haec aliis expli-

canda relinquimus, ſupponentes ea omnibus, qui aliqua ſanctiſſimae religionis noſtrae ſcientia imbuti ſunt, nota eſſe. Obſervandum autem nobis eſt alias gentes, & imprimis illas, quas David ferro ſubegerat, negare non potuiſſe quod beata gens ſit, cujus Deus Jehovah ſit, cum Iſrael tot aliis gentibus auxilio Dei ſui victis imperaret. Nihil itaque eas magis permovere poterat quam dicta felicitas populi Iſraelitici, ut Deum Jehovam timerent, & colerent, quod per hoc ipſum ad partem quandam illius beatitatis pervenire poterant.

§. 14.

Imprimis & populi, qui alios Deos venerabantur, edoceri potuerunt rectiſſimè agere, qui Deum extimeſcant, ſi ponderabant, quae ſequuntur: *E cœlis proſpexit Jehovah; vidit omnes filios hominis, Ex habitaculo ſedis Suæ conſpexit omnes habitatores terræ. Formans eſt omnibus cor eorum, intelligens eſt omnia opera eorum.* 13-15. Hiſce verbis ſignificatur Deum Iſraelis juſtum eſſe judicem, qui pietatem ac juſtitiam hominum Se colentium gratia Sua remuneratur, qui & peccatores promeritâ pœnâ afficit, quique nullis ad id eget teſtibus, cum omnes mortalium cogitationes atque facta Ipſi ſint cognita,

nec

nec ullus hominum ſceleratorum, qui ſpeciem ſanctitatis præ ſe fert, ficto Ipſum ore fallere poſſit. Gentes ethnicas non latebat Iſraelem Jehovam Deum pro tali judice habere Eique imperium in univerſum Orbem terrarum tribuere, ut ex iis, quæ ſupra obſervavimus, colligi poteſt. Qui itaque operibus Divinis perſuaſi Iſraelitis fidem adjungebant, credebantque Jehovam unicum verum Deum, totiusque Terræ Dominum, ac judicem omniſcium, atque juſtum eſſe, illi quoque aures non poterant non præbere Davidi hortanti, ut Deum timerent, imò Jehovam extimeſcerent tanquam ſeveriſſimum omnis impietatis, & injuſtitiæ Vindicem. Eò majorem autem vim argumentum hocce in animis illorum habere poterat ad permovendum eos, ut ad Deum ſeſe converterent, cum gentes maxima vindictæ & remunerationis Divinæ documenta & quidem ratione ſui triſtiſſima, reſpectu Iſraelis autem jucundiſſima vidiſſent.

Ex hiſce itaque manifeſtum eſt Davidem argumentis aptiſſimis, & ſatis roboris habentibus uſum eſſe, cum Ethnicos impellere vellet ut relictis Deaſtris ſuis animum ad cultum veri Dei Iſraëlis Jehovæ applicarent. Oculis eorum ſubjicit tremendam omnipotentiam Divinam, qua & miſeros a

morte eripere, atque in perniciem dare poteſt. Ejusque omniſcientiam, per quam omnia, quæ homines agunt, atque meditantur, quæve conſilia capiunt, perſpicit. In memoriam iis revocat, quæ ipſi viderant, ſcilicet judicia Divina, quibus in duram ſervitutem erant traditi, Iſraelis autem ſtatus florentiſſimus redditus eſt, ita ut populus hicce non modo omnibus copiis circumflueret, atque in omnium rerum abundantia viveret, ſed & aliis gentibus leges daret.

§. 15.

Illa autem, quæ ſequuntur, apta nata ſunt ad perſuadendum Iſraelitis ut fiduciam, ac ſpem ſuam in Sola Dei gratia, & benignitate collocarent. Primo loco dicit David. *Non eſt rex ſervatus per multitudinem exercitus; potens non eripitur per magnitudinem virium. Mendacium eſt equus quoad ſalutem, & per magnitudinem roboris ſui non eripiet.* v. 16. 17. Hæc monentur, & conſiderantur tanquam talia, quæ Iſraelitæ erant experti, ne viribus ſuis, quæ victoriis ab hoſtibus reportatis inſigniter auctae erant, confiderent, ſed potius ponderarent, quam facilè, Jehova ipſis auxilium ſuum denegante, illae conteri atque conſumi poſſint. Qui hoc ſecum reputabant, illis utiliſſima pote-

poterant eſſe, quae dein ſequuntur. *Ecce oculus Jehovæ eſt ſuper timentibus Ipſum, Expectantibus benignitatem Ejus ad eripiendum a morte animam eorum, & ad vivificandum eos in fame* v. 18. 19. Cum Davidi & univerſo Iſraeli hujus providae Dei optimi maximi curae documenta clariſſima ſint data, quae & ſacris in litteris memoriae prodita ſunt, hiſce ipſis Sanctus vates mentes piorum allicere poterat, ut ſecum dicerent: *Anima noſtra expectat Jehovam, auxilium noſtrum, & ſcutum noſtrum Ille. In Ipſo enim lætabitur cor noſtrum, quia in Nomine Sanctitatis Ejus confidimus.* v. 20. 21. Quam praeclara, & fertilis eſt talis fiducia? Quantopere per illam animi inflammari poſſunt ad perficienda omnia, quae officii noſtri ratio ad augendam & ſtabiliendam beatitatem noſtram exigit. Ad talem quoque fiduciam, atque ſpem ſplendidum ipſius quoque Regis exemplum pios Iſraelitas excitare poterat, dum in fine Pſalmi exclamat: *Sit miſericordia tua, Jehovah, ſuper nos, quemadmodum ſperavimus ſuper Te.*

(*) Diſſertatio hæc pl. Reverendi & Doctiſſimi MEDHURSTII, Collegæ Conjunctiſſimi, uti ſe varia & exquiſita eruditione commendat, neminique non gratiſſima eſſe poteſt, ita mihi præſertim placet, quod oſtenderit Vir eruditiſſimus, Davidem ſummo ſtudio id egiſſe, ut gentes imperio ſuo ſubjectas

jectas ab Idololatria avocando ad timendum & colendum Jehovam Unicum & Verum Deum adduceret & compelleret. Habet hic Vir doctus, qui ſub literis C. D. W. in libro Belgico *Bundel van Godgeleerde, Oudheid, Geſchied, en Letterkundige oeffeningen over uitgelezene Stoffen P. II. F. V. n. 4.* latere voluit, & ad Lectionem *Diſſertationis meæ Inauguralis ad Pſ. XVIII.* qua Pſalmum hunc in ſenſu Literali ad ipſum Davidem ejusque fata pertinere demonſtravi, ita mire affectus & concitatus fuit, ac ſi Theſis mea omnis Theologiæ Propheticæ fundamenta ſubverteret, cujusque præcipua Objectio ex eo deducta eſt, quod nullibi de Davide legamus, eum gentes religionem Veri Dei edocuiſſe, aliquid reſponſi. Si hæc non ſuffecerint, forte peculiari Diſſertatione de Davide Rege & Doctore gentium, Bibliothecæ huic inſerenda, hunc ſcrupulum tollam. Ceterum non opus erit, ſententiam Viri Docti explodere, qua loquentem Pſ. XVIII. 50. ſibi imaginatur Paulum Apoſtolum. N. B.

II.

IOH. HERM. SCHACHT (*) SPICILEGII *OBSERVATIONUM* PHILOLOGICARUM IN N. F. LIBROS SPECIMEN.

Prooemium.

Quantam hujus generis obſervationes, ſi ſobriè & cum delectu inſtituantur, utilitatem interpreti præſtent ad ſtilum ſacrum N. F., tum illuſtrandum, tum vindican-

(*) Eſt hic Vir ille pl. Reverendus & Eruditiſſimus, de cujus amicitia mihi gratulor impenſe, qui Cel. IKENII *Harmoniam hiſtoriæ Perpeſſionum Sanctiſſimi Servationis noſtri* recudi curavit, eandemque *notis* illuſtravit, & *Harmoniam hiſtoriæ reſurrectionis J. C. ejusque ſequelarum* ipſe addidit *Trajecti ad Rhenum 1758.* Sicut hoc opere eruditionem minime proletariam prodidit, ita certi ex promiſſis ſumus, Bibliothecam noſtram ab hoc Eximio Amico variis doctiſſimis Lucubrationibus exornatum iri N. B.

dicandum, nemo, nisi hospes planè in litteris, ignorat. Demonstrarunt hoc, rerum magis quàm verborum testimoniis, tot Viri præclari, quot, inde à renatis disciplinis, nostro in primis seculo & superiori, facto quasi agmine, huic negotio, nobilissimo certè, oleum & operam suam diligentissimè addixerunt. Enimverò in iis, quæ non ἀμέσως fidei dogmata concernunt, aut sanctiora revelatæ religionis mysteria, minimè spernenda est hæc diligentia: ut scilicet obscuriora quævis reddantur magis aperta, útque honori scriptorum sacrorum & Spiritûs Sanctissimi, quem illi sequebantur ducem, consulatur adversus eos, qui barbarismorum & soloecismorum dicam ipsis scribere haud verentur. Quod quàm temerè olim sit factum, ne eos quidem nunc latet, qui has Musas vel à limine salutarunt. Præcipuè autem in id incumbendum est, ut voces & phrases difficiliores plenâ luce perfundantur: unde ἅπαξ ἢ δὶς λεγομένοις, obscurioribus plerumque, singularis cura impendenda. Neque prorsus de nihilo est, cum ipsis etiam rebus, maximè morum præceptis, quæ S. S. inculcat, conferre, sed cautè & ad normam sani judicii, ethnicorum insigniores sententias. Sic enim liquet, quousque Ratio sibimet relicta, pertingere potue-

potuerit; & quantum abſit, ut cœleſtis Domini Jeſu & Apoſtolorum doctrina Rationi contrarietur, vel pro auſtera ac ſevera nimis reputari debeat. Haec verò ad conſenſum fidémque Chriſtianorum confirmandam, confundendos autem fidei hoſtes, adprimè faciunt. Nemo igitur ægrè feret, opinor, me quoque pro tenuioribus ingenii viribus & temporis, quod alii prorſus labores ſibi vindicant, ratione, poſt tot tantorum Virorum egregios conatus atque ſcripta cedro digna, huic rei memet adcinxiſſe. Ex quo enim multiplicem uſum iſtiusmodi obſervationum, experientiâ magiſtrâ, intelligerem, non potui, quin ipſe etiam, quæ Græcos aut Latinos auctores evolventi paſſim occurrebant huc facientia, diligenter adnotarem. Quod quum ab aliquot jam retro annis egerim, natum hinc eſt *Obſervationum* variarum haud contemnendum *Spicilegium*, cujus cùm maximè *Specimen*, *Novæ*, quam Celeb. BARKEYVS, laudandâ omnibus induſtriâ, molitur, *Bibliothecæ* ſacrum facio. Animus verò eſt, 1. duobus illis momentis, de quibus mox dixi, rarioribus nempe vocabulis, aut phraſibus, & moralibus ſententiis librorum N. T., potiſſimùm inſiſtere: 2. operam dare, ut brevitate ſaltem Lectori placeam; 3. quæ ab aliis

jam

jam pridem sunt occupata, quantum sciri potuit, & ni memoria, vel ipsum examen, eum in finem institutum, aliquando fefellerit, pratermittere; quam ob rem multa, quae ipse collegeram, haud rarò postea expunxi: 4. Clar. *Wolfii* Curis Philol., quae omnium manibus teruntur, auctarium quoddam (quale à Viro quodam Erudito vehementer optandum esset) adjicere: unde indicandi nonnunquam erunt scriptores, quos ille, vel neglexit, vel, quum ipso sint seriores, ignoravit. Ea tamen lege hactenus, ut non temerè, *Wolfii* augendi gratiâ, locum aliquem adtingam, nisi cui ipse simul lucis aliquid habeam adspergendum. En igitur, B. L., lucubrationes nonnullas in varia D. *Matthæi* loca; in quibus concinnandis summos in hæc studiorum genere Coryphaeos, tametsi impari-bus omnino passibus, sequi, pro tenuitate mea, me allaborasse, profiteor. Quas, si quidem *φιλέλλησι* haud prorsus displicuerint, plures in posterum, Deo vitam & otium concedente, in reliquos etiam Sacros N. F. Scriptores excipient.

Matth. II. 3.

Ἀκούσας δὲ Ἡρῴδης ὁ βασιλεὺς ἐταράχθη, καὶ πᾶσα Ἱεροσόλυμα μετ' αὐτοῦ.

Rectis-

Rectiſſimè contra *Hardtium*, hîc, uti ſæpius, novaturientem, adſeruit Cel. *Albertius*, τὸ ταραίσσεσθαι, ut Herodis, ita & urbis univerſæ, *terrorem*, quem Panicum jure dixeris, minimè verò, quod ille ἀπροσδιονύσως malebat, ſummam publicámque lætitiam, exprimere. Namque *ingratam* animi *commotionem*, ſive illa ex *pavore*, ſive ex *triſtitia*, ſive ex *indignatione* oriatur, plerumque vox in N. F. ſanctioribus paginis indicat. Vide, præter *Luc.* I. 12., *Matth.* XIV. 26. *Marc.* VI. 50. *Luc.* XXIV. 38. coll. 37. *Joh.* XI. 33. XII. 27. XIII. 21. XIV. 1. 27. &c. Nec aliter temerè apud exteros ſcriptores capitur. Luculenter hoc docuit V. C., cui verò nonnulla ſuperaddere lubet. Sic apud *Ariſtophanem*, in Equit. vſ. 357. Allantopola:

—— Καὶ Νικίαν ταράξω,
—— *& ipſum Niciam terrebo.*

Ταράξω enim hîc idem eſt ac φοβήσω, uti optimè obſervat *Scholiaſtes*. Adde ejusdem Fabulæ vſ. 66. 214. 251. Apud eundem, in Veſp. vſ. 694. Philocles:

Ταυτί με ποιῆσ'; ὦιμοι, τί λέγεις; ὡς μὰ
τὸν Θῆνα ταράττεις;
Num talia mihi facient? hei mihi, quid ais?
quomodo fundamentum
(h. e. *cor*) *meum conturbas?*

Lucianus, in Scytha, Tom. I. p. 862. (edit. Reitzianæ) de Anacharsi: ἀ μετρίως τεταραγμένος τὴν γνώμην, — ψοφοδεὴς πρὸς τὰ πολλὰ, *haud mediocriter turbatus animo*, — *ad quemcunque strepitum expaveſcens*. *Aelianus*, Var. Hiſt., Lib. IX. cap. 20. *Navi vectus Ariſtippus, oborta tempeſtate*, πάνυ σφόδρα ἐταράττετο, *ſupra modum perturbabatur*. *Herodianus* denique, Hiſt., Lib. II. cap. 1. ſect. 13., de janitore quodam: *ubi aperuit* (januam) *& vidit milites adſtantes, & Lætum, quem præfectum eſſe noverat*, ἐκπλαγεὶς καὶ ταραχθεὶς ἀγγέλλει, *perterritus & perturbatus nuntiat*. Similiter apud eundem, Lib. III. cap. 11. ſect. 12. Plautianus ad Saturninum, caedem Imperatoris ejúsque filii ipſi commendans: Μηδέ σε τῷ ἔργῳ τὸ μέγεθος ἐκπληττέτω, μηδὲ τὸ τῶν βασιλέων ὄνομα ταραττέτω, *neque tu magnitudinem facinoris pertimueris, neque Imperatorum nomina expaveris*. Idem Hiſtoricus, Lib. I. cap. 3. ſect. 12. de Marco Imp. narrat: Οὐ μετρίως αὐτὸν ἐτάραττον οἱ Γερμανοί, *haud mediocriter eum terrebant Germani*; æquè ac noſtro in loco ἀ μετρίως τὸν Ἡρώδην ἐτάραττον οἱ Μάγοι. Quorſum etiam referri poſſunt ejusdem, Lib. VI. cap. 7. ſect. 4., de Alexandro verba: Ἀιφνιδίως ἄγγελοί τε καὶ γράμματα ἐτάραξε τὸν Ἀλέξανδρον. & ſect. 6. Δηλωθέντα δὴ ταῦτα τὸν Ἀλέξανδρον ἐτάραξε. & cap. 2. ſect. 8. Πρὸς

τὴν

τὴν ἀιφνίδιον καὶ παρ' ἐλπίδα κομιθεῖσαν ἀγγελίαν ὰ μετρίως ὁ Ἀλέξανδρος ἐταράχθη, *ad ſubitaneum & inopinatum nuntium non mediocriter perturbatus fuit Alexander.* Sicque in Hieroſolymæ incolas haud malè quadrant, quæ Idem, Lib. I. cap. 14. ſect. 3. refert: Μέγιστον δὲ δεινὸν καὶ τὸν παρόντα καιρὸν ἐλυπησε, καὶ πρὸς τὸ μέλλον — πάντας ἐτάραξεν, *maximum verò prodigium, & quoad præſens tempus triſtitiam adtulit, & quoad futurum — omnes conterruit.* Add. Lib. I. cap. 3. ſect. 5. cap. 13. ſect. 7. &c.

Matth. V. 28.

Ὁ βλέπων γυναῖκα πρὸς τὸ ἐπιθυμῆσαι
αὐτῆς, ἤδη
ἐμοίχευσεν αὐτὴν ἐν τῇ καρδίᾳ αὐτοῦ.

Nemo hanc Servatoris Sanctiſſimi doctrinam novitatis poſtulet, aut nimiæ ſeveritatis. Ipſa naturalis morum diſciplina eandem inculcat. Gentiles argumento ſint, qui, ſolius Rationis ope, ſimiles prorſus ſententias uno ore dixerunt. Plura hujusmodi, admiranda ſanè & laudanda, ex illorum monumentis alii, laudando itidem labore, jam collegerunt, *Pricæus* in primis & *Albertius*, *Neubourius* item, in Biblioth. Bremenſ., Claſſ. 1. p. 239., *Wolfio* omiſſi, aliique. Liceat autem & nobis poſt meſſem ſpicilegium inſtituere. Perſpexerunt

gentes, graviter eum peccare, qui vel *oculis* modò rem illicitam adpeteret. Sic de Xenocrate perhibet *Aelianus*, Var. Hiſt. Lib. XIV. cap. 42., quòd dicere fuerit ſolitus, μηδὲν διαφέρειν, ἢ τὰς πόδας, ἢ τὰς ὀφθαλμὰς εἰς ἀλλοτρίαν οἰκίαν τιθέναι. Ἐν ταυτῷ γὰρ ἁμαρτάνειν, τόν τε εἰς ἃ μὴ δεῖ χωρία βλέποντα, καὶ εἰς ἃς μὴ δεῖ τόπους παριόντα. *Nihil intereſſe, utrum pedes, an oculos in alienam domum defigas. Eodem enim modo peccare, tam eum, qui oculos in loca, qua non convenit vertat, quam eum, qui, quo non licitum eſt, veſtigia inferat.* Confer ibi *Perizonium* in not. Porro, vel ſolam ſceleris perpetrandi inclinationem, aut pravam cupiditatem, eodem loco cum ipſa ſceleris perpetratione habendam eſſe, ultro agnoverunt. Egregium hanc in rem *Aeliani*, quem jam laudavimus, eſt effatum: Οὐ μόνον ὁ ἀδικήσας κακὸς, ἀλλὰ καὶ ὁ ἐννοήσας ἀδικῆσαι. *Non ſolum, qui* (ipſo facto) *injuriam intulit, malus eſt, ſed &, qui injuriam inferre cogitavit*: Var. Hiſt. Lib. XIV. 28. Nec minus præclara ſunt illa *Juvenalis*, Satyr. XIII. vſ. 208. ſeqq.

Has patitur poenas peccandi ſola voluntas.
Nam ſcelus intra ſe tacitum qui cogitat ullum
Facti crimen habet.

Sic Juſtus etiam apud *Ariſtophanem*, in Nub. vſ. 976. priſcorum laudans modeſtiam & caſtitatem, ignotum ipſis fuiſſe adfirmat,

firmat, quod poſtea quidem, inter alios mores perditiſſimos, uſu invaluerat, ἑαυτὸν προαγωγεύειν τοῖς ὀφθαλμοῖς, *ſemet ipſum oculis proſtituere*: à qua phraſi prope abeſt illa Divi *Petri*, 2 Ep. II. 14., dum ὀφθαλμὸς increpat μεστὸς μοιχαλίδος. De ethnicis quibusdam monachis narrat *Thevenotus*, in Itinerar. Lib. IV. cap. 36. p. m. 958. *non licere ipſis, mulieris aut virginis faciem intueri.*

Matth. V. 45.

Βρέχει [ὁ Πατὴρ, ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς] ἐπὶ δικαίους καὶ ἀδίκους.

Ipſe Deus T. O. M., a cujus omnia pendent nutu, rectè & pluviæ auctor exiſtimatur. Neque Hebraismus in hac phraſi quærendus. Eadem dictione, & ſimilibus, Græci quoque amant uti. Docuerunt id *Hombergkius*, *Wolfio* laudatus, præterea *Raphelius*, tum è *Xenophonte*, tum ex *Herodoto*. Addo *Pauſaniam*, in Boeot. cap. 40. Οὐ γὰρ δή σφισιν ἔτος δεύτερον ὗεν ὁ θεός, *non enim per biennium ipſis* PLVEBAT DEVS. Itemque *Ariſtophanem*, in Nub. vſ. 1282. ſeq., ubi adſeritur, τὸν Δία ὗειν ὕδωρ, JOVEM PLVERE *aquam*. Similiter *Homero* Ζεῦς dicitur νιφέμεν ἀνθρώποισι, *ningere hominibus*, Iliad. M. vſ. 280. *Seneca Pricæo* jam animadverſus: *ſpargunt* (dii) *opportunis imbribus terras* &c. Plura dabunt Viri Doctiſſimi,

Scottus, in Select Notes on Matthew's Gospel, nec non *Kypkius* & *Palairetus*, in Observatt. ad h. l. & *Duportus* ad *Theophrasti* Charact. c. III. p. 247.

Matth. VII. 12.

Πάντα οὖν ὅσα ἂν θέλητε ἵνα ποιῶσιν ὑμῖν οἱ ἄνθρωποι,
οὕτω καὶ ὑμεῖς ποιεῖτε αὐτοῖς.

Hujus iterum præcepti summam æquitatem ipsi ethnici perspectam habuere. Quæ *Grotius*, *Pricæus*, alii, *Wolfio* excitati, jam olim indicarunt, non repeto. Subjungo geminum *Epicteti* dictum, inter ejus Apophtegmata, quæ *Blancardus* e *Stobæo* collegit, haud infimum locum sibi vindicans, p. m. 414. Ὃ φεύγεις παθεῖν, τοῦτο μὴ ἐπιχείρει διατιθέναι, h. e. è versione *Wolfii*: *Quod perpeti recusas, id ne cui feceris.* Simile quid de iisdem monachis, mox memoratis, narrat *Thevenotus* l. l. Egregia quoque sunt, quæ ad nostr. l. collegit *Scottus*, ex quo nonnulla hic adpingere juvat. *Isocrates*, ad Dem. p. 14. (mea 10.) Τῇ δὲ ὀργῇ ἂν παραπλησίως ἔχῃς πρὸς τοὺς ἁμαρτάνοντας, ὥσπερ ἂν πρὸς σαυτὸν ἁμαρτάνοντα καὶ τοὺς ἄλλους ἔχειν ἀξιώσειας. *In ira* (tibi ipsi imperabis,) *si talem te præbeas delinquentibus, quales in te delinquentem alios esse velles.* Idem, in Nicocl. p. 93. (m. 90.) Ἃ πάσχοντες ὑφ' ἑτέρων ὀργίζεσθε, ταῦτα τοῖς ἄλλοις μὴ ποιεῖτε.

Quæ

Quæ vobis ab aliis fieri, ægre fertis, eadem aliis ipſi ne feceritis. Ariſtoteles, teſte *Diogene Laërtio*, in ejus Vita, Lib. V. §. 21. p. 280., rogatus, *quomodo nos gerere debeamus erga amicos?* reſpondit: Ὡς ἂν εὐξαίμεθα αὐτὸς ἡμῖν προσφέρεσθαι, *uti optaremus, ut illi ſeſe erga nos gererent.* Adde, ſi lubet, *Raphelium*, ex *Herodoto*, & Cel. *Albertium*.

Matth. VII. 13. 14.

Πλατεία ἡ πύλη καὶ εὐρύχωρος ἡ ὁδὸς κ. τ. λ.
Στενὴ ἡ πύλη καὶ τεθλιμμένη ἡ ὁδὸς κ. τ. λ.

Pertinet huc inſignis *Heſiodi* locus, Opp. & Dier. Lib. I. vſ. 285. ſeqq.

Τὴν μέν τοι κακότητα καὶ ἱλαδόν ἐστιν ἑλέσθαι
Ῥηϊδίως, ὀλιγη μὲν ὁδὸς, μάλα δ' ἐγγύθι ναίει.
Τῆς δ' ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν
Ἀθάνατοι, μακρὸς δὲ καὶ ὄρθιος ὄιμος ἐπ' αὐτὴν
Καὶ τρηχὺς τὸ πρῶτον. ἐπὴν δ' ἐς ἄκρον ἵκηται,
Ῥηϊδίη δ' ἤπειτα πέλει, χαλεπή περ ἐοῦσα.

H. e.

Malitiam quidem cumulatim etiam capere
Facile eſt: brevis quippe via eſt, & in proximo habitat,

Ante virtutem vero ſudorem dii poſuerunt
Immortales: longa autem atque ardua via eſt
ad ipſam,
Primumque aſpera: ubi vero ad ſummum ventum fuerit,
Facilis deinceps eſt, quantumvis difficilis eſſet.

Reſpicit hæc Heſiodi *Luciamus*, ſed illa, pro more, exagitans, in Hermot., Tom. I. p. 742. Eadem tamen metaphora ipſi placet, in Rhetor. Præcept., Tom. III. p. 3., quæ verò Latinè tantum dabo: *Noli metuere, neque ad magnitudinem eorum, quorum ſpes proponitur, conqueri, exiſtimans, infinitos tibi antè ſubeundos labores fore. Neque enim aſperam te, neque arduam, & ſudoris plenam* (viam) *ducemus*, &c. *Sed eximium noſtro in conſilio hoc eſt, quod* (per) *jucundiſſimam ſimul, & maxime compendiariam, & equos etiam capientem*, (latiſſimam igitur) *atque declivem, multa cum voluptate atque oblectatione, per prata florida & umbram ſolidam, ſegniter & pedetentim incedens, ſine ſudore ſtabis in ſummo vertice*, &c. Propius adhuc idem emblema, quo ſapientiſſimus Dominus hic utitur, expreſſit *Cebes*, in Tabula, *viam* quidem, quæ ad falſam eruditionem *vitiave* ducit, ſatis *commodam* & *à plurimis tritam*, eam vero, qua ad veram eruditionem & *virtutem* itur, maximè *aſperam* eſſe & ab oppido *paucis* calcari, docens. De poſteriori imprimis p. 31. ad fin. & ſeq.

(edit.

(edit. Gronov.) Οὐκοῦν (ſubaudi ὁρᾷς) καὶ θύραν τινὰ μικρὰν, καὶ ὁδόν τινα πρὸ τῆς θύρας, ἥτις ὑ πολὺ ὀχλεῖται, ἀλλὰ πάνυ ὀλίγοι πορεύονται, ὥσπερ δι' ἀνοδίας τινὸς καὶ τραχείας καὶ πετρώδους εἶναι δοκούσης; — Οὐκοῦν καὶ βουνός τις ὑψηλὸς δοκεῖ εἶναι, καὶ ἀνάβασις σφενὴ πάνυ, καὶ κρημνὸς ἔχεται ἔνθεν καὶ ἔνθεν βαθεῖς; — Αὕτη τοίνυν ἐστὶν ἡ ὁδὸς, ἡ ἄγουσα πρὸς τὴν ἀληθινὴν παιδείαν. Καὶ μάλα γε χαλεπὴ προσιδεῖν. κ. τ. λ. *Ergone & januam parvam* (vides) *& viam quandam ante januam, parum frequentem, & à perpaucis tritam, ut quæ & præceps, & aſpera, & prærupta eſſe videatur? — Ergone & tumulus quis excelſus videtur adeſſe, & anguſtus aditus, & utrimque in profundum præceps? — Hæc nempe via eſt, quæ ad veram eruditionem ducit. Et quidem adſpectu valde ardua.* &c. Haud abſimile Socratis dictum, *Aeliano* memoratum, *Elsnerus* jam obſervavit, uti plura alia *Pricæus*. Quodſi vero homines ethnici talia de via, non niſi ad vanam ſcientiam fucatamque virtutem ducente, tum præcipiebant, tum ipſo uſu experiebantur, quid mirum, quæſo, ſi, quam Servator ſanctiſſimus monſtravit ad cœleſtem & ſapientiam & virtutem, via, plurimis ardua, pauciſſimis trita, reperiatur? Interim tamen, quæ, ex corruptæ carnis præjudicio, aſpera & ingrata primum aeſtimabatur, eadem, doctore ac

ductore Spiritu S. alacriter calcata, satis plana dein satisque amœna deprehenditur. Et in hoc sane Christi adseclis majori cum jure, ac quidem Hesiodo, gloriari licet.

Matth. VIII. 22.

Ἄφες τὸς νεκρὸς θάψαι τὸς ἑαυτῶν νεκρός.

Priores νεκροὶ improprie ita dicuntur, uti *Ephes.* II. 1. Similem *Aristophanis* locum, e Ran. vs. 423. pridem observaveram, quem vero nunc occupatum jam video à doctiss. *Palaireto*, qui & plura alia collegit. Adferam modo *Apollonii* verba, *Scholiastæ* Aristophanis l. c. adducta, licet improbata: *διὰ τὴν κακοπραγίαν νεκρὸς τὸς Ἀθηναίους λέγει.* Conf. autem *Kusteri* not. & adde *Grotium*, in nostr. *Matthæi* locum. Quod ad *posteriores* νεκρὸς, quamlibet Graeci, de *cadavere* loquentes, plerumque *neutrum* νεκρὸν, adhibeant, tamen nec *masculinum*, quo heic & in l. parall. *Luc.* IX. 60. Evangelistas usos animadvertimus, ipsis eodem sensu ignotum est. *Arriani*, *Herodoti*, *Dionysii Halic.*, & *Josephi* auctoritates indicavit *Scottus*, in nostr. l. Addo *Aelianum*, Var. Hist. Lib. IV. cap. 6., ubi de Pausania narrat, quod Lacedaemonii eum non modo fame necarint, ἀλλὰ γὰρ καὶ τὸν νεκρὸν ἐξέβαλον αὐτῦ ἐκτὸς τῶν ὅρων, *sed & cadaver ipsius extra fines ejecerint.* Plura ibi VV. DD. in annotationibus.

nibus. Idem, Lib. XIII. cap. 3. perhibet, Darium alicubi reperiſſe loculum vitreum, ἔνθα ἦν κείμενος ὁ νεκρὸς ἐν ἐλαίῳ, *ubi jacebat cadaver* quoddam *in oleo.* Sic & *Lucianus*, in Dial. Mort., Tom. I. p. 398., memorat τὸν νεκρὸν τῆ θεᾷ, *cadaver deaſtri*; & in Paraſito, Tom. II. p. 871., auctor eſt, Hectorem moribundum, genubus Achillis victoris advolutum, ſupplicaſſe, ὅπως ὁ νεκρὸς αὐτῆ τοῖς οἰκείοις ἀποδοθῇ, *ut cadaver ſuum domeſticis redderetur.* Denique, ut plures mittam, *Palæphatus*, Incredibil. cap. XI. Caenei cadaver, & cap. XII. illud Cyeni, adpellat τὸν νεκρὸν αὐτῆ.

Matth. X. 16.

Ἀποστέλλω ὑμᾶς ὡς πρόβατα ἐν μέσῳ λύκων.

Oves *ſimplicitatis* emblemata eſſe ſolent. Saepius tamen in *ſequiori* ſenſu. Ita *Lucianus*, in Hermot., Tom. I. p. 815., eos, qui *imprudenter* agunt, alios coeco impetu ſequi ait, καθάπερ τὰ πρόβατα πρὸς τὸν αὐτῶν ἡγούμενον, *ſicuti oves ducem ſuum.* Adde *Taubmannum*, in *Plauti* Bacchid. Act. V. Scen. II. vſ. 3. & in ejusd. Perſ. Act. II. Scen. II. vſ. 2. Quin & *inertem* ducentes vitam cum ovibus comparantur. Apud *Ariſtophanem*, in Plut. vſ. 923. ſeq. Sycophanta:

προβα-

—— προβατίε βίον λέγεις,
Ἐι μὴ φανεῖταγ διατριβή τις τῷ βίῳ.

H. e.

—— *oviculæ vitam narras,*
Si nulla exercitatio adsit vitæ.

Ubi ad προβατίε βίον *Scholiastes*: Μωρῶ καὶ ἀνοήτε. διὰ τὸ ἀϑρανὲς τῆς διανομῆς τῶν πραγμάτων. ἢ ὅτι τὰ πρόβατα μηδὲν ἐργαζόμενα ζῇ. Apud eundem Comicum, in Nub. vſ. 1203. ſeqq. Strepſiades:

—— τί πάϑηϑ' ἀβέλτεροι,
—— ὄντες λίθοι,
Ἀριθμὸς, πρόβατ',
—— *quid ſedetis ignavi,*
—— *qui eſtis lapides,*
Numerus, oves?

Sic & *Ariſtoteles*, Hiſt. Animal. Lib. IX. cap. 3. Τὸ τῶν προβάτων ἦϑος, ὥσπερ λέγεται, εὐηϑες καὶ ἀνόητον. κ. τ. λ. *Ovium indoles, ut dici ſolet, ſtupida eſt & infrunita.* &c. Verum neque deſunt exempla, quod in *bonam* partem ovis emblema ſit acceptum. A morum *clementia* Q. Fabius Max. dicebatur *ovicula*, teſtibus auctore libri de Viris Illuſtr. & *Plutarcho*, apud *Briſſonium* de Formulis Lib. VIII. p. m. 733. extr. & ſeq. Sic apud *Lucianum* in Aſin., Tom. II. p. 602., legimus, καί σοι τῶτον σωφρονέσερον προβάτε παρέξω, *& ego illum tibi ove mitiorem præbebo.* *Ovidius*, in Epiſt. Paridis ad Helenam

Helenam vſ. 55. *ovis placidæ* meminit; & Metamorph. Lib. XV. vſ. 116. canit:

Quid meruiſtis oves, placidum pecus? —

Hic ſane, dum ἀποστόλους ſuos ovibus adſimilat Servator, poſtremo ſenſu illud intelligamus, oportet. *Mite* eorum ingenium hac figura exprimitur. Sed præterea, quum comparata unice æſtimentur ex adtributis ſuis, ut ſcitè alicubi *Vitringa*, facilè liquet, quando ſuos Dominus adpellat πρόβατα ἐν μέσῳ λύκων, tum *pericula* eum innuere, illis ſubeunda, tum & illos ut *inermes* & animo *nocendi neſcio* præditos nobis pingere. Ceterum *Elsnero*, quem *Wolfius* laudat, junge imprimis *Raphelium*, nec non *Palairetum*.

Matth. XI. 5.

Τυφλοὶ ἀναβλέπουσι.

Ἀναβλέπειν hic eſt *viſum recipere*, quæ quum apud exteros infrequens vocis ſit ſignificatio, dudum ad oram hujus loci ſimilia *Ariſtophanis* adpixeram, quæ vero poſtea, uti plerumque fit, occupata jam reperi *Homberghio*, quem *Wolfio* addas licet, qui autem ipſa loca non indicavit. Exſtant ſcilicet, prior in Plut. vſ. 95., ubi Chremes ad Plutum, viſu orbatum:

Εἰ πάλιν ἀναβλέψειας, ὥσπερ καὶ πρότερ,

Quodſi viſum recuperes, ut olim;

Poſterior ibid. vſ. 117., ubi Plutus:

Οὐ

Οὐ βέλομαι γὰρ πάλιν ἀναβλέψαι. ——

Neque enim viſum recuperare mihi lubet. —

Aliud ex *Herodoto* exemplum dedit *Raphelius.*

Matth. XI. 8.

Ἄνθρωπον ἐν μαλακοῖς ἱματίοις ἠμφιεσμένον.

Et ad hunc locum nonnulla *Luciani* olim adnotaveram, quæ vero poſtmodum vidi nec *Elsneri* diligentiam effugiſſe. Effugit interim ſimilis ejusdem auctoris locus, in Muſcæ Encom., Tom. III. p. 92. init. Ἐσι μὲν ὑμενόπτερος, τοσοῦτον ἁπαλώτερα ἔχουσα τὰ πτερὰ, ὅσον τῆς Ἑλληνικῆς ἑσθῆτος ἡ Ἰνδικὴ λεπτοτέρα καὶ μαλακωτέρα, *pinnas habet e membrana, tanto quidem molliores aliis aliis, quanto Græca veſte Indica tenuior eſt & mollior.* Ultimus autem, quem *Elsnerus* produxit, *Luciani* locus plane ſic ſonat, in lib. de Saltat., T. II. p. 266. (edit. Reitzianæ) Θηλυδρίαν ἄνθρωπον ὁρῶν, ἑσθῆσι μαλακαῖς καὶ ἄσμασιν ἀκολάσοις ἐναβρυνόμενον, καὶ μιμούμενον ἐρωτικὰ γύναια κ. τ. λ. *effœminatum videns hominem, mollibus veſtibus & laſcivis cantilenis ſibi placentem, & amatorias mulierculas imitantem* &c. Vides, ejusmodi veſtitum fuiſſe hominum *voluptatibus deditorum.* Hinc & idem *Lucianus*, in Dial. Mort., Tom. I. p. 367., iterumque p. 370., μαλακίαν & τρυφὴν, ceu cognata invicem vitia, ſociat; conf. ejusd. Timon., Tom. I. p. 141. Et ἀπρεπῶς μαλακίζεσθαι de viris muliebria patientibus dicit, in Amor., Tom.

Tom. II. p. 419.; prorſus uti Apoſtolo οἱ μαλακοὶ cum τοῖς ἀρσενοκοίταις conjunguntur, 1 *Cor.* VI. 9., ad quem l. plura dabit *Kypkius*, dabuntque alii, *Wolfio* jam excitati. Plura quoque de veſtibus μαλακαῖς deſiderans, adi, ſis, Cel. *Albertium* & *Scottum*, in Obſ. ad. h. l., nec omitte *Kypkium*, qui &, contra *Elsnerum*, recte monet, μαλακοῖς ἱματίοις non ſemper *ſerica*, ſed generatim *tenuiora* veſtimenta indicari. Ex primis illis *Luciani*, mox adductis, id adprime confirmatur; prætereaque ex eo, quod vocabulum μαλακός ad alias etiam res, quarum *teneritas* & *mollities* deſcribenda venit, adplicetur. Sic de μαλακοῖς δενδροις & μαλακῇ πόᾳ, *teneris arboribus*, *tenera mollive herba*, narrat *Aelianus*, Var. Hiſt. Lib. XIII. cap. 1. p. 840. (edit. Gronovianæ) ubi, in notis, *Perizonius Homerum* quoque producit, laudantem ὑάκινθον μαλακὸν, *hyacinthum mollem*. Sic & ἠϊόνα μαλακὴν, *molle littus*, dixit *Lucianus*, de Merced. Conduct., Tom. I. p. 652., ubi de naufragis verba facit. Eidem, in Deor. Dial., Tom. I. p. 212., ὕπνος dicitur μαλακώτερος, *mollior ſomnus*. Et *Homero*, Iliad. A. vſ. 582., επεεσσι καθάπτεσθαι μαλακοῖσιν eſt *mollibus verbis demulcere*. Dicuntur quoque μαλακαὶ λέτρα, μαλακὸς ἀὴρ, μαλακὸν ὄνον, & ſimilia, quorum exempla Lexicographi abunde pro-

promunt. Denique, ne nimius ſim, apud *Ariſtophanem*, in Equit. vſ. 782. legimus καθίζεσθαι μαλακῶς, *molliter ſedere*, & apud *Theophraſtum*, Charact. Ethic. cap. II. p. XIV. (edit. Cantabrig.) adulator conviva fautori ſuo: ὡς μαλακῶς ἐδίεις, *quam molliter*, ait, quam delicatule, *comedis!* Dubito igitur, an ſatis recte nonnulli, inque his Clar. *Jac. Haſæus*, Bibl. Brem. Claſſ. IV. p. 307. ſup., vocem noſtram ab Hebræa מלך, *regem* denotante, derivandam velint: uti etiam non ſatis firmo niti tibicine idem Vir Doctus videtur, dum, ibid. p. 306., μαλακὰ ἱμάτια per *veſtes* PVRPVREAS, nimis reſtricte, reddi debere præcipit. Quamvis enim illæ *regibus* nonnunquam tribuantur, hique *purpura* plerumque ſuperbire olim ſolerent, *omnes* tamen eorum veſtes, licet omnino *teneriores* & *molliores*, *purpureas* ſemper fuiſſe, nemo adſeret. Ne dicam, cognatas voces de quavis alia, tum *animi*, tum etiam *corporis*, *mollitie* uſurpari. Sic μαλακῶς ἔχειν de *morbo* reperimus apud *Lucianum*, in Deor. Dial., Tom. I. p. 227., iterumque in *Somn.*, Tom. II. p. 715., ubi & paullo poſt *ægrotus* dicitur μαλακιζόμενος. Sic quoque apud *Theophraſtum*, cap. I. p. VI., ſimulator *ſub veſperam ſe veniſſe* fingit, καὶ μαλακισθῆναι, & ex itinere adhuc *languere*: uti & *Aeliani* μαλακίζεσθαι, Var. Hiſt. Lib. III. cap.

cap. 19. p. 256., eodem ſenſu *languendi, infirmiori valetudine* utendi, accipiendum: uti etiam illud *Luciani*, in Lexiph., Tom. II. p. 323., *incedo cum dolore, & ſudo frequenter*, καὶ μαλακιῶ τὸ σῶμα, *& langueo corpore.* Proxima huic eſt *ignaviæ* notio, cujus exempla collegit *Duportus*, in not. ad *Theophr.* l. c. p. 190. Felicius vocis μαλακὸς origo arceſſitur a verbo μαλάσσω, *mollio*, quo utitur *Lucianus*, de Saltat., Tom. II. p. 307., & in Tragop., Tom. III. p. 652., nec non *Ariſtophanes*, in Equit. vſ. 388. & in Veſp. vſ. 967., hocque iterum a μαλὸς, *tener*, (ἁπαλὸς) derivandum. Ceterum τὸ μαλθακὸς, a μαλθάσσω, eundem prorſus ſenſum fundit. Juno Ganymeden adpellat μαλθακὸν, *effœminatum*, apud *Lucianum*, in Deor. Dial., Tom. I. p. 214. *Lucianus*, in Piſc., Tom. I. p. 599., μαλθακὸν καὶ γυναικίαν conjungit, uti in Timon., p. 145., μαλθακὸν, καὶ ἀγεννῆ, καὶ ἀνόητον, & in Dial. Mort, p. 330., de divitibus, & ſatrapis, & tyrannis narrat, ὅτι μαλθακοὶ καὶ ἀγεννεῖς εἰσι, μεμνημένοι τῶν ἄνω, *quod molles ſint & ignavi, dum rerum ſuperarum recordantur.* Adde *Ariſtophanem*, in Nub. vſ. 725. Ex hiſce jam æſtimare poteris, Lector, quid de *Wolfii*, tum in h. l., tum in parallelum *Lucæ*, cap. VII. 25., commentario judicem. Ipſum autem *Wolfium* diligenter,

quæso, secum confer. Agmen claudat *Pricæus*, in utrumque & *Matthæi* & *Lucæ* locum.

Matth. XIII. 36.

Φράσον ἡμῖν τὴν παραβολήν.

Τὸ φράζειν quum vulgo sit *dicere*, hic *exponendi* sensu gaudet. Eodem sensu & infra cap. XV. 15. occurrit, prætereaque nullibi in N. T. exstat. Demus igitur & profanorum exempla nonnulla. *Lucianus*, in Nigrin., Tom. I. p. 59. init. *Quod autem dixi, licere in iis, quæ geruntur, ridere, animumque oblectare,* τοῦτο ἤδη σοι φράσω, *illud tibi jam exponam.* Idem, in Halcyon., p. 181. *Tandem, totum cœlum quanto temet ipso videatur majus,* φράσαις ἄν; *num exponere potes?* *Aelianus*, Var. Hist. Lib. II. cap. 21. *Interrogavit Agathonem Archelaus, quidnam sibi vellet, quod ita frequenter jurgaretur cum eo, a quo omnium maxime amaretur?* ὁ δὲ, ἐγώ σοι, ἔφη, φράσω, βασιλεῦ, *is vero, ego* illud, *inquit, rex, tibi exponam.* *Palæphatus*, Incredib. cap. XVIII. *Vero autem similius est, Aeolum, astrologus quum esset,* φράσαι, *exposuisse Ulyssi tempora, quibus venti nonnulli forent exorituri.* Non multum hinc abludunt loca, ubi *indicandi* significatum vox fundit. Sic *Palæphato*, cap. XXXII., bis usurpatur & cum δεικνύειν commutatur. Nimirum Perseus jubet Phorcynis filiabus,

filiabus, δειξαι αὐτῷ τὴν Γοργόνα ἐὰν δὲ μὴ ΦΡΑΣΩΣΙΝ, ἀποκτεῖναι αὐτὰς (φησί.) Αἱ φοβέμεναι ΦΡΑΖΥΣΙ, *ut ipſi Gorgonem oſtendant: ni vero indicent, ſe ipſas interfecturum pronuntiat. Illæ, metu territæ, indicant.* Apud *Lucianum* quoque, in Dial. Deor., Tom. I. p. 217., Juno ad Jovem, de vetitis Ganymedis ſollicitationibus conquerens, ἐγὼ μὲν, inquit, ἀφεῖσα αὐτὸν, — ἀπῆλθον σοι φράσουσα, *ego, illum dimittens, — abii, tibi* rem omnem *indicatura.* Similiter *Ariſtophanes*, in Avib. vſ. 15. & 50. Subjunge, plura ſi velis, Doctiſſ. *Palairetum* & *Scottum*, in noſtr. locum.

Matth. XIII. 47.

Σαγήνη.

Vox ἅπαξ λεγομένη in N. T. ſanctioribus Tabulis, & in Lexicis absque auctoritate fere dimiſſa. Adhibuit vero eandem *Lucianus*, in Piſcat., Tom. I. p. 618. *Multos illic piſces video, — echinis captu difficiliores:* ἤπου σαγήνης ἐπ' αὐτοὺς δεήσει, *itaque ſagena ad illos opus erit.* Vides, quam probe ſcripſerit *Raphelius*, in Obſ. Herodoteis ad h. l. *Eſt* (σαγήνη) *retis genus hujusmodi, quod, quidquid complectitur, ſecum rapit.* Legitur præterea vocabulum hoc apud eundem *Lucianum*, in Ep. Saturn., Tom. III. p. 406., & in Timon., Tom. I. p. 136., ubi vid. *J. Brodæus*, nec non

Barlæus (ad Tom. I. p. 107. edit. veteris.) Hinc verbum σαγηνεύω, quo *Lucianus* iterum usus est, in Deor. Dial., Tom. I. p. 243. sup., in Timon., p. 138., in Somn., T. II. p. 707., uti etiam *Herodianus* aliquoties de iis, qui urbem obsidione, aut hostis exercitum frequente milite & constipatis armis undiquaque cingunt, Histor. Lib. II. cap. 13. IV. 15. VI. 5. VIII. 4., inprimis verò Lib. IV. cap. 9., ubi narrat, *sensisse Antoninum, hostes jam armis interceptos,* καὶ ὥσπερ ἐν δικτύοις σεσαγηνευμένους, *& quasi retibus undique conclusos.* Rursum hæc ad confirmandam *Raphelii* observationem faciunt, τὸ σαγηνεύειν etiam de *hominibus* μεταφορικῶς dici. Ut ad σαγήνην redeamus, sunt, qui velint, esse propriè *sinum retis*, in quem capti pisces deveniunt; monentibus passim Lexicographis. *Phavorinus* eam explicat per δίκτυον, (quod tamen generalius est,) & describit ut πλέγμά τι ἐκ καλάμων εἰς θήραν ἰχθύων, indice *Scotto*, qui & alia nonnulla promit.

Matth. XIV. 22.

Ἕως ἃ ἀπολύσῃ τὸς ὄχλους.

Ἕως ἅ hic omnino est *dum interim.* Similiter apud *Aristophanem*, in Equit. vs. 111. Demosthenes Niciæ: *Celerrime Paphlagonis oracula furtim aufer,* ἕως καθεύδει, *dum dormiat.*

Matth.

Matth. XIV. 27.

Θαρσεῖτε, —— μὴ φοβεῖσθε.

Adpoſite ad h. l. è *Gellio* obſervat *Pricæus*, duplicem compellationem admonitionem facere inſtantiorem. Eadem prorſus ratione, uti Dominus diſcipulos, Chremylus juvenem adhortatur, in *Ariſtophanis* Pluto vſ. 1092. Θάῤῥει, μὴ φοβοῦ. Geminam *Herodoti* phraſin obſervavit jam *Raphelius*.

Matth. XIV. 31.

ὁ Ἰησοῦς, ἐκτείνας τὴν χεῖρα, ἐπελάβετο αὐτοῦ.

Præſentiſſimum Domini auxilium his verbis deſcribitur, quo Petrum, per mare incedentem, ſed fluctibus pene demerſum, *protenſa manu* erigebat. Eodem *Lucianus* ſenſu τὸ ἀντιλαμβάνεσθαι, paſſiva autem forma, adhibuit, in Timon., Tom. I. p. 157., ἤν τινα τοῦ χειμῶνος ὁ ποταμὸς παραφέρῃ, ὁ δὲ, τὰς χεῖρας ὀρέγων, ἀντιλαβέσθαι δέηται. *ſi quem hyeme fluvius auferat, iſque porrectis manibus, ut erigatur, roget.* Cæterum τὸ ἐπιλαμβάνειν ſenſu *adprehendendi*, uti hic, ita etiam apud eundem occurrit, in Contempl., Tom. I. p. 512., ὁπότ' ἂν μάλιστα οἴηταί τις ἐπιλήψεσθαι αὐτῶν, ἀναπτάμεναι οἴχονται, *ſi quis eas ſe adprehenſurum putet, avolantes evaneſcunt*; & in Dial. Marin., p. 313., ἀκρατὴς ἐγένετο τῶν κεράτων τοῦ κριοῦ, ὧν τέως ἐπείληπτο, *retinere amplius non potuit cornua arietis, quæ hactenus*

 prehenſa

prehenſa tenuerat: ad quem ultimum locum plura dat Summus *Hemſterhuſius*, in not. Adde eundem *Lucianum*, in Philopſ., Tom. III. p. 57. *Ingredior domum* (quæ, propter terrores, deſerta diu erat,) *circa* primum ſomnum, ἀποτρέποντος τῦ ξένυ, καὶ μόνον ὐκ ἐπιλαμβανομένυ, *dehortante hoſpite, & tantum non injecta manu prohibente. Ariſtophanes* quoque, ſed alio ſenſu, ἐπιλαμβάνεσθαι τινός dixit, in Lyſiſtr. vſ. 596.

Matth. XV. 4. 5. 6.

Increpat jure merito Servator τὴν ὑπόκρισιν Phariſæorum, qui traditionibus ſuis eo uſque divinam legem perverterant, ut liberos etiam docuerint, ſanctiſſima in parentes *officia* potius dico, quam *beneficia*, idque ſub ſpecioſo pietatis in Deum titulo, impune negligere. Vel ipſæ gentes pudorem ἀσόργοις hujusmodi hominibus incutiant, gentes, inquam, quarum egregia prorſus præcepta de nutriendis parentibus, maxime ſi ſenio ſint confecti, paſſim reperias. *Theophraſtus* ſane τῦ ἀπονενοημένυ eſſe judicat, τὴν μητέρα μὴ τρέφειν; *matrem non alere*, Charact. cap. VI. p. XXX., ad quem l. tum *Caſaubonus*, p. 64., tum præcipue *Duportus*, p. 312. ſeq. plura iſtiusmodi adnotarunt. Paucula ex poſteriore, quum rarior hic liber ſit, huc transſcribere lubet.

lubet. „Inter leges Solonis ordinem du-
„cit: Ἐάν τις μὴ τρέφῃ τὰς γονέας, ἄτιμος
„ἔστω.„ (*Si quis parentes non aluerit, ſacer eſto.*)
Hoc enim in tali caſu τὸ ἄτιμος ſibi vult,
hominem deſignans, quem impune licet
occidere; quod nos ἐν παρόδῳ. Pergit,
poſt alia nonnulla, *Duportus*: „De alimen-
„tis parentibus miniſtrandis egregie Phi-
„loſophus, *Eth.* l. 9. c. 2. Δόξειε δ' ἂν, τρο-
„φῆς μὲν γονεῦσι δεῖν μάλις' ἐπαρκεῖν, ὡς ὀφεί-
„λοντας, καὶ τοῖς αἰτίοις τοῦ εἶναι κάλλιον ἢ ἑαυ-
„τοῖς εἰς ταῦτ' ἐπαρκεῖν.„ (*Videtur ſane, parentibus alimenta in primis ſuppeditanda eſſe, utpote quum debeamus, quumque honeſtius ſit, illis, quibus cauſa ſunt, ut ſimus, quam nobis ipſis, in talibus ſubvenire.*) — „Et præclare Hiero-
„cles, in *Comment. ad Aur. Carm.* [p. 46. *edit.*
„*Cantabr.*] Oportet (inquit) liberos πάντα
„πρὸς τὴν ἐκείνων [τῶν γονέων] χρείαν ἑτοίμως
„παρέχεσθαι, — τὸ γὰρ εὐχαρίστως ταῦτα
„ποιεῖν, καὶ τὸν τῆς ἀρετῆς διασώζει νόμον, καὶ
„τὸν τῆς Φύσεως ἀποδίδωσιν ἔρανον.„ (*omnia parentibus neceſſaria alacriter ſuppeditare. Namque hoc facere grato animo, id quidem eſt, tum virtutis præcepta obſervare, tum naturæ beneficium rependere.*) — „Egregie Demoſthenes,
„*Philipp.* 3. Δεῖ τοῖς γονεῦσι τὸν ὡρισμένον ἐξ
„ἀμφοτέρων ἔρανον, καὶ παρὰ τῆς Φύσεως, καὶ
„παρὰ τοῦ νόμου, δικαίως φέρειν, καὶ ἑκόντα ὑπο-
„τελεῖν.„ (*Oportet parentibus juſtè retribuere & ſponte*

ſponte ſolvere, quodcunque & natura & lex præſcribunt.) (†) —— „Eleganter deſcribit „hanc ἀντιπελαργίαν Oppianus, *Halieut.* „5. 84.

„Ὡς δὲ παῖς γενετῆρα παλαίτερον ἀμφαγαπάζει,
„Φροντίσι γηροκόμοισιν ἀπὸ θρεπτήρια τίνων.
„Τὸν δ' ἤδη μελέεσσι καὶ ὄμμασιν ἀδρανέοντα
„Ἐνδυκέως μεθέπων προσπτύσσεται, ἔν τε κελεύθοις
„Χεῖρ' ὀρέγων, καὶ πᾶσιν ἐν ἔργμασιν αὐτὸς ἀμύνων.

(Ut vero filius patrem ſeniorem diligit,
Curis ſenem foventibus educationis præmia ei perſolvens.
Hunc autem, jam membris & oculis imbecillem,
Adſidue comitans, ei *adhæret, inque viis*
Manum ei *præbens, & omnibus in rebus ipſe opem ferens.)*

Hæc maxime debemus *Duporto.* Alia ipſi etiam proferamus. Et primo quidem ejusdem *Oppiani* geminum locum, e Cyneg. II. vſ. 345. ſeqq.

βροτοὶ

(†) Venuſte utroque in loco vocabulum ἔρανος adhibetur, quod proprie innuit ſtipem, quam amico adflicto ea lege erogabat amicus, ut, ſi meliora aliquando fata experiretur, ipſi illam redderet. Vide *Lucianum*, in Timon., Tom. I. p. 159., & ad h. l. *Tanaq. Fabrum* & *Barlæum* in notis, nec non ad *Theophraſti* Charact. *Caſaubonum*, p. 121. ſeq., ac *Dupontum*, p. 191. ſeq., iterumque *Lucianum*, in Dial. Meretr., Tom. III. p. 296., & in Demoſth. Encom., p. 524. ab init.

—— βροτοὶ γενέτην πεπεδημένον ἀργαλέοισι
Γήρεος ἐν δεσμοῖσι, πόδας βαρὺν, ἄψεα ῥιγὸν,
Ἀβληχρὸν παλάμας, τρομερὸν δέμας, ὄψιν ἀμαυρὸν,
Ἀμφαγαπαζόμενοι περὶ δὴ πάμπαν ἔχθσι,
Τιννύμενοι κομιδὴν παιδοτροφίης ἀλεγεινῆς.

—— *homines patrem, præpeditum moleſtis*
Senectutis vinculis, pedibus gravem, artubus curvum,
Debilem manibus, tremulum corpore, viſu caligantem,
Omni pietate proſequentes ſumma cum diligentia fovent,
Penſantes curam puerilis nutricationis moleſtæ.

Hinc θρεπτηρίων ſumma gentibus erat exiſtimatio. Scilicet educationis præmia, parentibus debita, hoc nomine, Poëtis maxime, venire ſolent. Mox laudatus *Oppianus*, priori in loco eorum diſertam mentionem facit, in poſteriori autem diſerte ad illa adludit. *Heſiodus* etiam eorundem neglectionem inter graviſſima ferrei ſeculi vitia refert, Opp. & Dier. Lib. I. vſ. 185. ſeqq.

—— —— Οὐδὲ μὲν οἵγε
Γηράντεσσι τοκεῦσιν ἀπὸ θρεπτήρια δοῖεν
Χειροδίκαι. —— ——

—— —— *Neque hi ſane*
Senibus parentibus educationis præmia reddent
Violenti. —— ——

Itidem huc respicit illud Chæremonis, apud *Stobæum*, Serm. 77.

Γένοιτό μοι τὰς χάριτας ἀποδῦναι πατρί.

Utinam mihi contingat, gratias patri referre!

Haud multum abludit D. *Pauli* phrasis, 1 Tim. V. 4. ἀμοιβὰς ἀποδιδόναι τοῖς προγόνοις. *Cicero*, Lib. II. de Offic. cap. 13. *Prima commendatio proficiscitur à modestia, tum pietate in parentes.* Et Lib. III. cap. 23. *Ipsi patriæ conducit, pios cives habere in parentes.* Optime *Isocrates*, ad Dæmonic. p. m. 6. Τοιοῦτος γίνου περὶ τοὺς γονεῖς, οἵους ἂν εὔξαιο περὶ σεαυτὸν γενέσθαι τοὺς σαυτοῦ παῖδας. *Talem erga parentes te geras, quales optares liberos tuos erga te se gerere.* Alia nonnulla adhuc suppeditabunt *Feithius*, Antiq. Homeric. Lib. II. cap. 19. p. m. 189. seq. *Cælius Rhodiginus*, Lect. Antiq. Lib. XI. cap. 17. p. 586. *Schlichterus*, in Decim. Sacr. p. 141., quosque hic p. 142. nota * laudavit.

Matth. XVI. 19.

ὃ ἐὰν λύσης ἐπὶ τῆς γῆς κ. τ. λ.

Τὸ λύειν hic procul dubio *peccatorum remissionem* denotat. Ex collatione loci *Johannei*, cap. XX. 23. id satis adparet, nec non e *Matth.* XVIII. 18., ubi præcedentia hunc sensum sponte lectori insinuant. Erat illa quidem phrasis maxime familiaris recutitorum genti. Sed nec Græcis incognita.

cognita. *Ariſtophanes* ſane, in Ran. vſ. 703. eandem vocem de *peccatis* adhibet, λῦσαι, aiens, τὰς πρότερον ἁμαρτίας. Plura iſtiusmodi reperies apud *Kypkium* & *Raphelium*, in *Matth.* XVIII. 18., qui ultimus etiam ad noſtr. locum conferatur. Nec omitte *Cameronem*, in Myrothec., ad utrumque locum.

Matth. XIX. 26.

Παρὰ ἀνθρώποις τῦτο ἀδύνατόν ἐστι, παρὰ δὲ Θεῳ πάντα δυνατά ἐστι.

Quam miſere fallantur, qui ſummam Dei potentiam ad infirmiſſimas homuncionum vires exigere ſuſtinent, iterum ipſis gentibus fuit animadverſum. Præclara ſunt, quæ princeps philoſophorum, Socrates, hac de re diſputat apud *Lucianum*, in Halcyon., Tom. I. p. 179. ſeqq., cujus tamen verba, quum prolixiora ſint, chartæ redimendæ gratia, ex parte tantum & ex Lat. verſione potiſſimum, adpingam. Chærephonti nimirum maxime ἀδύνατον videbatur, homines aliquando, deorum virtute, in aves, mira utique μεταμορφώσει, eſſe mutatos. Cui ille: *O cave Chærephon*, ἐοίκαμεν ἡμεῖς τῶν δυνατῶν τε καὶ ἀδυνάτων ἀμβλυωποί τινες εἶναι κριταὶ παντελῶς, *videmur equidem nos eorum, quæ fieri poſſunt, quæque non, hebeti prorſus acie inſtructi judices eſſe. Exigimus enim ea ſecundum facultatem humanam,*

quæ

quæ illa nec noſſe, nec credere, nec cernere valet. Multa proinde adparent nobis, & factu facilium difficilia, & eorum, ad quæ pertingere datur, ardua: hæc quidem pleraque propter imperitiam, alia etiam non pauca ob infantiam mentis. — Quid autem, o bone, qui vires deorum geniorumque ignorant, dicere habeant, utrum talium fieri aliquid poſſit, nec ne? — Deo enimvero magnam habenti virtutis præſtantiam, neque omnino comparandam ad noſtras agendi vires, ad manum eſſe credere par eſt omnia iſtiusmodi atque in facili poſita. — Et, poſt multa, ſic denique concludit, p. 183. *Quum ergo vires* deorum *immortalium ſint ingentes, nos mortales & puſilli plane, qui neque magna poſſumus perſpicere, & ne parva quidem, in plerisque etiam, quæ circa nos accidunt, hæſitantes, non valemus utique explorate quidquam ſtatuere* &c. Sic etiam *Homerus*, Odyſſ. κ. vſ. 305. de radice herbæ, μῶλυ dictæ:

—— —— χαλεπὸν δὲ τ' ὀρύσσειν
Ἀνδράσι γε θνητοῖσι, θεοὶ δὲ τε πάντα δύνανται.

—— —— *difficilis effoſſu eſt*
Viris quidem mortalibus: dii autem omnia poſſunt.

Quæ diis ſuis fictitiis homines ethnici, ea multo majori cum jure tu Deo, vere immortali, unico παντοκράτορι, tribues.

Matth.

Matth. XXI. 33.

ὠκοδόμησε πύργον.

Catachreſtica loquutio, quum οἰκοδομεῖν, ex vocis etymo, οἶκος, h. e. *domibus*, proprium ſit. Sed & aliis quibuscunque ſtructuris paſſim adplicatur; *ſepulcris Matth.* XXIII. 29., *urbi Luc.* IV. 29., *ſynagogæ cap.* VII. 5., *monumentis cap.* XI. 47. 48. *turri* denique *cap.* XIV. 28. 30., uti etiam hic & in parallelo *Marci* loco. Ne vero hinc inelegantiæ labem quis Scriptoribus Sacris adfricet. Eadem enim ratione & exteri amant loqui. Exemplorum ea potiſſimum dabo, quæ *turrim* ſpectant. *Lucianus*, de Conſcrib. Hiſt., Tom. II. p. 68. οἰκοδομήσας τὸν ἐπὶ τῇ Φάρῳ πύργον, *quum ædificaſſet illam in Pharo turrim*; & in Timon., Tom. I. p. 154., πυργίον οἰκοδομησάμενος, *turrim ædificans*, i. e. *exſtruens*. Sic & *Alexandrini Interpretes*, *Jeſ.* V. 2. (qui locus maxime cum noſtro meretur conferri,) ᾠκοδόμησα πύργον, *Gen.* XI. 4. οἰκοδομησωμεν ἑαυτοῖς πόλιν καὶ πύργον, quæ eadem phraſis repetitur vſ. 5. κατέβη Κύριος ἰδεῖν τὴν πόλιν καὶ τὸν πύργον, ὃν ᾠκοδόμησαν οἱ υἱοὶ τῶν ἀνθρώπων. Sic iidem Interpretes οἰκοδομεῖν θυσιαστήριον de extractione *altaris* dixerunt *Gen.* XII. 7. 8. & XIII. 18., de quo magis proprie τὸ ποιεῖν ipſis uſurpatur cap. XIII. 4. Nec Latini ejusmodi loquutiones reſpuunt. *Jul. Cæſar*, de

de Bell. Gall., Lib. III. cap. 9. *NAVES longas AEDIFICARI jussit.* *Cicero* in Orat. pro Lege Manil. cap. 4. de Mithridate: *posteaquam maximas AEDIFICASSET CLASSES.* *Plautus*, Mercat., Act. I. Scen. I. vs. 86. *AEDIFICAT NAVIM.* Denique *Virgilius*, Aeneid. Lib. II. vs. 15. seq.

Instar montis EQUUM divina Palladis arte
AEDIFICANT, sectaque intexunt abiete costas.

Adde *Scottum*, in nostr. locum.

Matth. XXI. 41.

Κακοὺς κακῶς ἀπολέσει.

Venustatem hujus dictionis alii jam observarunt. Proferamus & nos pauca similia exempla. *Aristophanes*, in Equit. vs. 2. seq.

Κακῶς Παφλαγόνα, τὸν νεώνητον κακὸν,
Ἀνταῖσι βυλαῖς ἀπολέσειαν οἱ θεοί.

Idem, in Plut. vs. 65.

Εἰ μὴ φράσεις γὰρ, ἀπό σ' ὀλῶ κακὸν κακῶς.

Nec non vs. 418.

Ἐγὼ γὰρ ὑμᾶς ἐξολῶ κακοὺς κακῶς.

Et iterum vs. 880. Ὁ θεὸς

Τοὺς συκοφάντας ἐξολεῖ κακοὺς κακῶς.

Sophocles etiam, in Aiace, vs. 1248.

Κακὸς κακῶς ἄθαπτος ἐκπέσοι χθόνος.

Ne vero existimes, Poëtis privam esse hanc elegantiam, en quoque e *Luciano* nonnulla. In Icaromen. Tom. II. p. 789. fin. *κακοὶ κακῶς ἀπολοῦνται.* In Piscat., Tom. I. p. 611.

p. 611. *Præſtigiatores* — κακὸς κακῶς ἐπιτρίψομεν. In Jov. Trag., Tom. II. p. 685. ab init. κακὸν κακῶς ἐπιτρίψαντες. In Philopſ., Tom. III. p. 49. init. κακὸς κακῶς ἀπέθανε. In Paraſ., Tom. II. p. 879. extr. Φιλοσόφως μὲν γὰρ ἴσμεν, ἅπαντας, ἢ τὰς πλείστας, κακὸς κακῶς ἀποθανόντας. In Dial. Mort., Tom. I. p. *Illi autem in ipſa media ſpe, relictis divitiis illis, quas per ſomnium poſſidebant, huc jam veniant,* κακοὶ κακῶς ἀποθανόντες. Eodem modo Latini. *Plautus*, Aulular. Act. I. Scen. I. vſ. 3. ſeq.

ST. *Nam cur me miſeram verberas?* EU. *Ut miſera ſis,*
Atque ut te dignam MALA MALAM ætatem exigas.

Confer adhuc, præter laudatos *Wolfio*, in Curis, *Palairetum* & *Scottum*.

Matth. XXII. 40.

Ἐν ταύταις ταῖς δυσὶν ἐντολαῖς ὅλος ὁ νόμος καὶ οἱ προφῆται κρέμανται.

Similem *Plutarchi* locum, quem Rev. *Wolfius* huic noſtro adſcripſit, indicavit jam olim *L. Bos.* Plura dedere, quos idem Curarum auctor Doctiſſimus laudavit, quibus vero poſtea ſeſe junxit Cel. *Albertius*. Sic ſatis *Græcitatem* dictionis hujus Viri DD. adſeruere. Nos igitur huic geminam *Maimonidis* phraſin adnotemus, quo pareat,

Ju-

Judæos etiam ita loqui. Sic ille, in Lib. de Fundam. Legis, cap. I. §. 3. *Quicunque sibi imaginatur, quod alius sit Deus præter hunc, — abnegat maximum fundamentum,* שהכל תלוי בו, *A QUO OMNIA PENDENT.* Alium ejusdem locum ante nos jam occupavit *Capellus*, *Wolfio* adductus.

Matth. XXIII. 23.

—— ἀποδεκατοῦτε —— τὸ ἄνηθον καὶ τὸ κύμινον.

Utraque vox in N. F. Tabulis ἅπαξ λεγομένη. Ἄνηθον occurrit apud *Aristophanem*, in Nub. vs. 978.

Οὐδ' ἂν ἐλέσθαι δειπνεῖν' ἐξὸν κεφάλαιον τῆς ῥαφανίδος,
Οὐδ' ἂν ἄνηθον τῶν πρεσβυτέρων ἁρπάζειν, ἔδὲ σέλινον.

H. e. interprete *Frischlino*:

Nulli raphano vesci licitum in cœna: nulli,
vel ANETHUM
Vel apium, HERBAS SENIORUM, fas
præripere.

Ad quem locum Ill. *Spanhemius* in not. similem *Eubuli* apud *Athenæum*, Lib. VIII. p. 347., profert:

Ἀμύλων παρόντων ἐσθίεσ' ἑκάστοτε
Ἄνηθα, καὶ σέλινα, καὶ φλυαρίας,
Καὶ κάρδαμ' ἐσκευασμένα.

H. e. *Quamvis adsint placentæ, comedunt semper ANETHUM & apium & VILIA quæque, vel præparatum Nasturtium*; pergitque V. C. *Nempe consue-*

conſuetum illum, — ſed tum exoletum ac VILEM veterum Athenienſium cibum. Rurſus eadem voce *Ariſtophanes* utitur, in Theſmophor. vſ. 493., ubi inter *medicamina*, quod & *Scholiaſtes* confirmat, *anethum* relatum legimus. Neque minus κύμινον veteribus pro *viliſſimo* reputabatur. Oſtenderunt hoc alii bene multi, quos *Wolfius* excitavit, quibus autem jungatur Cel. *Albertius*, in h. l. p. 133. & in Addend. p. 504. *Scholiaſtes* Ariſtophanis, ad Veſp. vſ. 1348. in vocem κυμινοπρισοκαρδαμόγλυφον ſic commentatur: Παίζει ἐνταῦθα, σμικρολόγον αὐτὸν καὶ ὀξύθυμον λέγων. Κυμινοπρίσας γὰρ τὰς φειδωλὰς καὶ σμικρολόγους ἐκάλεν. Vides, *cumini* nimiam curam in proverbium abiiſſe, & pro indicio hominis *illiberalis* fuiſſe habitam. Hinc eſt, quod *Theophraſtus*, Charact. Eth. cap. X. p. L., hominem *ſordide parcum* pingens, ejus eſſe, aiat, *uxori edicere*, μήτε ἅλας χρωννύειν, μήτε ἐλλύχνιον, μήτε κύμινον, κ. τ. λ., *ne ſalem cui commodet, aut ellychnium, aut CUMINUM, aut origanum, aut farris quidquam, aut corollas, aut liba; adſeverare vero, quod PARVA hæc per annum magna ſint.* Conf. ad illum l. *Duportus*, p. 363. ſeq. Summo igitur cum jure Dominus ὑπόκρισιν Phariſaicam perſtringit. In minimis illi magni volebant videri, qui in magnis revera minimi erant. Anethum, cuminum, cætera,

res nauci, anxie nimis decimabant, ac si Legis divinæ accuratissima observatio ipsis cordi esset: quum tamen gravissima Legis præcepta, Deum elato animo, injuria & fastu proximum lædentes, susque deque haberent.

Matth. XXVI. 23.

ὁ ἐμβάψας μετ' ἐμοῦ ἐν τῷ τρυβλίῳ τὴν χεῖρα.

Τρυβλίς hoc tantum in loco & in parallelo *Marci* fit mentio. Meminerunt vero ejusdem *Interpretes Alexandrini*, *Exod.* XXV. 29. *Num.* IV. 7. VII. 19. 25. 37. & sæpius eodem in capite, pro Hebr. קערה, nec non *Syracides*, cap. XXXI. 14. (aliis 16.) qui ultimus locus huc præcipue spectat. Meminerunt præterea *Aelianus*, Var. Hist. Lib. IX. cap. 37., *Lucianus*, in Timon., Tom. I. p. 171., in Jov. Trag., Tom. II. p. 690., ubi in *Scholiis* explicatur per πινάκιον, in Somn., p. 723. ubi (p. 722.) vid. *Brodæus*, nec non p. 724. init., *Aristophanes* item, in Ran. vs. 1016., in Equit. vs. 901. & 647., ad quem postremum locum *Scholiastes*: τρύβλια, τὰ ὀξύβαφα, in Acharn. vs. 277., in Avib. vs. 77. & 360., in Eccles. vs. 252., ubi iterum *Scholiastes*: εἶδος ὀξυβάφου τὸ τρύβλιον, & denique vs. 842. Hæc aliaque veterum loca inspicienti liquido constabit, optime magnum *Casaubonum*, in Aristoph.

Ariſtoph. Equit. vſ. 647., ſcripſiſſe: *Late patet hujus vocis notio, & ſignificat omne vas, quo hauritur aliquid, ut ad eſum adponatur.* Promiſcue enim de *patina*, *lance*, *cochleari*, & ſimilibus uſurpatur. Inprimis vero notandum, τὰ τρύβλια inter vaſa ἘΜΒΑΦΙΑ diſerte referri a *Jul. Polluce*, Onomaſt. Lib. VI. cap. 12. & Lib. X. cap. 23. Hinc noſtro in loco Servator: ὁ ἐΜΒΑΨΑΣ, ait, ἐν τῷ τρυβλίῳ. Cæterum iis, quos *Wolfius* de hac voce conſulendos juſſit, adde Cel. *Albertium*, & *Scottum*, ad h. l., nec omitte *Lakemacherum*, in Obſ. Philol. P. V. pag. 248. ſeq.

Matth. XXVII. 20.

Ἔπεισαν τὰς ὄχλους, ἵνα αἰτήσωνται τὸν Βαραββᾶν, κ. τ. λ.

Beza: perſuaſerunt turbæ. Mallem: *hortati ſunt*, *incitarunt*, ſive *permoverunt*, *turbam.* Sic *Palæphatus*, Incredibil. cap. VII. ἡ ΣΦΙΓΞ — πείσασα τὰς πολλὰς τῶν πολιτῶν συναπαίρειν αὐτῇ, *Sphinx — hortata civium plurimos, ut ſecum una commigrarent.* Sic & *hortandi* ſignificatione vocabulo πείθειν utitur *Herodianus*, Hiſtor. Lib. III. cap. 5. ſect. 4., Lib. VII. cap. 11. ſect. 13., Lib. VIII. cap. 3. ſect. 16., *incitandi* autem Lib. II. cap. 4. ſect. 4. & Lib. VIII. cap. 8. ſect. 9., qui etiam Lib. VI. cap. 8. ſect. 22. χρήμασι, inquit, μάλιστα Γερμανοὶ πείθονται, φιλάργυροι ὄντες κ. τ. λ. &

τὸν δῆμον πεισθέντα, *plebem inductam, instigatam, permotam*, memorat Lib. VII. cap. 11. sect. 11. Eadem compositæ vocis ἀναπείθειν est ratio. Idem *Herodianus*, Lib. III. cap. 15. segm. 10. ὅπως ἀναπείσειαν τὸν στρατὸν, ἀποδείξαι μόνον αὐτοκράτορα, *ut incitarent, hortarentur, permoverent, exercitum, ut se solum Imperatorem designet.* Et *Palæphatus*, cap. XL. ἀναπείθει τὰς βουκόλους, καὶ τὸν κύνα καθειργνύουσιν κ. τ. λ. *instigat, permovétque pastores, qui etiam canem concludunt* &c. Jungatur *Lucianus*, in Deor. Dial., Tom. I. p. 233., ubi Venus: *O fili Cupido, vide, qualia facis: non ea, quæ in terra* agis, *dico*, ὅσσα τὰς ἀνθρώπους ἀναπείθεις, *quæcunque homines inducis, ut in semet ipsos aut alii in alios admittant*, &c. & p. 266. ἅπαντες αὐτὴν ἀναπείσομεν, *cuncti eam permovebimus.* Similiter *Aristophanes*, in Avib. vs. 460.

Ἀλλ' ἐφ' ὅτῳ ποτ' ἂν ἥκεις τὴν σὴν πράγματι γνώμην ἀναπείσας,
Λέγε θαῤῥήσας. —— ——

Sed cujus rei caussa huc venire animum induxisti, sive *permovisti*,
Dic confidenter. —— ——

Matth. XXVII. 22.

Τί οὖν ποιήσω Ἰησοῦν, τὸν λεγόμενον Χριστόν;

Eandem τὸ ποιεῖν constructionem alibi etiam in scriptis N. T. offendimus. Sed neque

neque profanis auctoribus illa eſt inuſitata. Quod ut liqueat, dabo nonnulla eorum, quæ paſſim obſervavi. *Lucianus*, in Piſcat., Tom. I. p. 617. Τί φὴς, ὦ Πλάτων; τί ποιῶμεν αὐτόν; *quid ais, Plato? quid illi faciemus?* Apud *Ariſtophanem*, in Nub. vſ. 257. ſeq. Socrates:

—— πάντα ταῦτα τὰς τελουμένους
Ἡμεῖς ποιοῦμεν. —— ——

—— *hæc omnia illis, quos initiamus,*
Nos facimus. —— ——

Ibid. vſ. 581. & 583. Chorus: τὸν Παφλαγόνα —— ἐποιοῦμεν δεινά, *Paphlagoni peſſima fecimus.* In Equit. vſ. 731. Agoracritus:

Ἐρῶν πάλαι σε, βουλόμενος τέ σ' εὖ ποιεῖν,

Dudum te amans, volensque tibi bene facere.

Et mox vſ. 738. Cleo.

Εὖ γὰρ ποιῶ τὸν δῆμον. —— ——

Populo enim bene facio. —— ——

Add. Veſp. vſ. 694. &c. *Lucianus* iterum, in Dial. Marin., Tom. I. p. 308., τὰς ἀνθρώπους εὖ ποιοῦμεν, *hominibus bene facimus*; & in Harmonid. p. 856. πόλιν εὖ ποιεῖν, *urbi bene facere.* Aeque ac D. *Marcus*, cap. XIV. 7. πτωχὰς εὖ ποιησαι, & *Mathaeus*, cap. V. 44. καλῶς ποιεῖτε τοὺς μισοῦντας ὑμᾶς. Adde *Scot-*

tum, in Exam. Var. Lect. Millianar. ad postremum *Mathaei* locum, & *Vorstium*, quem Diligentissimus *Wolfius* ad eund. l. iam excitavit, nec non *Palairetum*, in nostr. locum.

Matth. XXVII.] 23.

ὁ δὲ ἡγεμὼν ἔφη· Τί γὰρ κακὸν ἐποίησε;

Τὸ γαρ apud Graecos saepiuscule *interrogationibus* inservire, docuit, *Wolfio* indice, *Raphelius*, docuerunt item *Palairetus*, *Kypkius*, & *Hutchinsonus* (in *Xenoph.* Κυρπαιδ. p. 318.), laudatus *Scotto*, in Adnotatt. ad nostr. locum. Eodem prorsus modo in parallelo *Marci* loco, nec non apud Nostrum, cap. IX. 5., adhibetur. Addo *Aristophanem*, in Plut. vs. 124. seq.

ὅτει γὰρ εἶναι τὴν Διὸς τυραννίδα
Καὶ τὰς κεραυνὰς ἀξίας τριωβόλου;

Censen'tu illud Jovis imperium
Et fulmina vel teruncio digna?

Vs. 273. seq.

Πάντως γὰρ ἄνθρωπον φύσει τοιοῦτον εἰς τὰ πάντα
Ἡγεῖθέ μ' εἶναι, κἀδὲν ἂν νομίζεθ' ὑγιὲς εἰπεῖν;

Num vos ita me ad omnia naturâ esse procreatum
Putatis, ut nihil sani à me dici judicetis?

Vs.

Vſ. 403.

Τυφλὸς γὰρ ὄντως ἐσί; —— ——

An re vera coecus eſt? —— ——

In Nub. vſ. 1181.

Ἔνη γάρ ἐσι καὴ νέα τίς ἡμέρα;

An igitur dies aliqua vetus eſt & nova?

In Acharn. vſ. 594. bis:

ΔΙ. Ἐγὼ γάρ εἰμι πτωχός; ΛΑ. Ἀλλὰ τίς γὰρ ἦι;

DI. *Num pauper ego ſum?* LA. *Quisnam verò es?*

In Eccleſ. vſ. 781.

ὄντως γαὴ ὄισεις; —— ——

An re vera haec feres? —— ——

Mitto plura. Sed addo etiam *Lucianum* in Timon., Tom. I. p. 137., ubi Plutus Mercurio interroganti, *quî tu* (coecus) *dijudicas, ad quos te miſerit Jupiter, divitiis illos eſſe dignos deputans?* alia interrogatione reſpondet: ὅιει γὰρ ἑυρίσκειν με ὅι τινές εἰσι; *credisne, invenire me, quinam illi ſint?* Et in Deor. Dial., p. 210., ubi exemplorum triada reperire eſt. Nimirum Jupiter ad Ganymedem: ἔτι γὰρ μέλει σοι τῶν προβάτων; *anne adhuc ovium tibi cura eſt?* &c. cui Ganymedes: τί λέγεις; ὦ γὰρ κατάξεις με ἤδη κ. τ. λ. *quid ais? nonne devehes me iam in Idam hodie?*

&, poſt pauca, Jupiter rurſum: πῆ γὰρ ἐκεῖνος ὄψεταί σε; *Ubinam ille te videbit?* Ex omnibus autem his reliquisque exemplis patet, potiſſimùm id in eiusmodi interrogationibus locum habere, quae cum mox ab alio dictis arctiſſimè cohaerent, rectéque idèo γὰρ iſtud reddi per *igitur*. Ita prorſus noſtro in loco. Inde enim à comm. 21. relatum legimus colloquium, Pilatum inter & plebem Judaicam ultro citroque inſtitutum. Poſt varias quaeſtiones, populique pertinacis reſponſiones, Procurator tandem: τί γὰρ κακὸν ἐποίησε, *quidnam IGITUR mali fecit?* ut nempe dignus ſit, qui cruci ſuffigatur.

TANTUM!

III.

IOHANNIS NICOLAI RICHTERI DISSERTATIO AD 1 Pet. III. 18-22. (*)

§. 1.

Explicatu difficiliorem esse, quam, annuente Deo, ex sacris Petri Epistolis exponere animus est, pericopen, dudum confessi sunt, quibus curæ fuit curatior Sacri Codicis intelligentia: atque etiam-

(*) Dissertationem hanc pl. Reverendi & Doctissimi RICHTERI jam annuntiavimus *Fasc. I. p.* 90. ut huic fasciculo inserendam, eoque salivam Lectoribus movimus. Vocatus abhinc fuit Pastor Ecclesiæ *Rhebornensis* prope *Meissenheimium* in *Ducatu Bipontino*, & nuper admodum ibidem muneris sacri auspicia cepit. Gratulamur tota Illi mente hoc munus, largamque benedictionem apprecamur. Nec minus gratulamur Eidem de hac Dissertatione, qua, si quid ego video, tantam difficillimo huic loco affudit lucem, quanta, ne amplius in caligine versaremur, opus erat, palmamque imprimis ad v. 2. Interpretibus omnibus se antecedentibus præripuisse videtur. N. B.

etiamnum, credo, confitebuntur, qui adhibito ad eam animo Interpretum commentationes conferunt. Quanquam enim non pauci, quorum ceteroquin elucubrationes ab Exegeſeos ſacræ peritis magni fiunt, eum quoad unum alterumve comma diligentius explanare ſtuduerunt (a) attamen non ita arbitror ſingula in aprico atque extra omnem dubitationis aleam collocata ſunt, ut nihil dubii remaneat, neque quicquam ſuperſit, quod altius indagari & queat & debeat. Quod imprimis de commate *viceſimo primo* dicendum eſſe exiſtimo. Nam multum quidem diſputatum eſt de diluvio typo baptiſmi, multum de adſtipulatione, ut plerique επερωτημα illud vertunt, bonæ conſcientiæ in Deum, multum de vi ſalvifica baptiſmi per reſurrectionem Jeſu

(a) Eorum, quos præter WOLFFIUM & BIBLIA CRITICA conſulere licuit, perexiguus eſt numerus. Adhibui autem tum demum in conſilium, poſtquam eam de his verbis ideam, quam hic eruditorum examini ſubjicio, mihi jam formaveram: ſcilicet, ne ſententiarum multitudine obrutus, aliorum non, mea, exhiberem cogitata. Unum modo novi, qui his temporibus totam hanc pericopen dedita opera explanare ſtuduit, ſumme Rev. JOH. JAC. SCHEPPIUM, Paſtorem apud Hornbacenſes meritiſſimum in eleganti *commentatione Theologico Philologica* in *vexatiſſimam, quæ legitur priori Epiſtola Petri c. III. v.* 18-22. *pericopen.*

Jeſu Chriſti, multum de nexu atque ſcopo verborum, ſed non ita, ut amplius de his rebus diſputari, & de explicationibus in medium prolatis jure dubitari nequeat. Quare hoc ſolum comma, cum hunc qualemcunque laborem ſuſcepi, pro virium exiguarum modulo explicare conſtitueram. Intellexi autem perſpicuitati me conſulturum, ſi antecedentia & conſequentia adderem. Qua de cauſa in totam, quam indicavi, pericopen commentari decrevi, hoc libentius, quod nexus & relatio verborum ad ſcopum, quem ſibi fixit Apoſtolus in clariori lumine collocari merentur. In ceteris brevior, in hoc vero, quod difficilius eſt, commate prolixior aliquantum futurus ſum. In illis parum aut nihil forte, quod novi ſpeciem gerat, proferre potero: quam autem hujus explicationem daturus ſum, eam equidem, cum quærenti nusquam deprehendere licuerit, quoad potiora ejus capita novam eſſe credo. Num vero firmiori nitatur fulero, de eo penes Te, benevole Lector, eſto judicium.

§. 2.

Hortatus erat Petrus Chriſtianos, ad quos ſcribit, (b) ut vitia & pravos mores' ſecu-

(b) Quinam hi fuerint, optime, credo, diſcas ex doctiſ.

ſeculi vitantes virtutibus Chriſtiano nomine dignis ſtuderent v. 8-14. ut nonniſi propter juſtitiam paterentur, paſſionesque atque afflictiones, Evangelii cauſa ſuſtinendas, tanquam innocentes patienti perferrent animo v. 14-17. Huic adhortationi rationem addit: *Melius enim eſt, bene agentes, ſi Voluntas Dei velit, pati, quam male agentes.* v. 17. Quo vero magis ad calamitates illas intrepido animo tolerandas permoveantur fideles, argumenta adducit (c) tria

ctiſſima ſumme Ven. NIC. NONNENII Diſputatione a. 1758. Bremæ edita, ſiſtente paraphraſin hujus Epiſtolæ. Ad eos enim datam eſſe hanc Epiſtolam argumentis ſat firmis probat, qui maximam partem Judæorum ex decem tribubus in captivitatem Aſſyriacam deportatorum fuerunt poſteri. V. §. 7-11.

(c) Diſcedendum mihi hic eſt a plerisque horum Verborum Interpretibus. Exiſtimant enim *unicum* tantummodo argumentum proponi a Servatoris exemplo ductum. Ita modo laud. SCHEPPIUS in comment. cit. p. 9. *cui adhortationi*, inquit, *ut aurem præbeant, moremque gerant fideles, adducit Servatoris exemplum, quod imitandum ſit, qui graviſſima quæque perpeſſus fuerit ac mortuus, ſed quoque ad altiſſimum poſt gloriæ gradum evectus, potentiamque nactus ſuos tutandi, atque e periculis, quibus hoſtibus ſint ſubjecti, eripiendi.* Verum non video, quare incredulorum diluvio olim delectorum, quare conſervatarum octo animarum, quare baptiſmi mentionem faciat Apoſtolus, niſi ra-

tria gravissima, quorum primum ab exemplo Servatoris, justi pro injustas semel passi, & mortui quidem, sed resuscitati: alterum ab infelicissima sorte incredulorum, Noachi tempore deletorum, quorum vestigia persecutores fidelium persequebantur, qui adeoque eodem modo aquis judiciorum Divinorum delendi erant: tertium denique a servatione octo animarum ex aquis diluvii, quarum erant credentes antitypus, qui idcirco eadem ratione ex calamitatum fluctibus servandi erant, desumtum est. Non est itaque, si contenta considerentur, quod de scopo hujus sectionis diu laboremus. Est enim is, exhortari fideles, ut persecutiones, propter Evangelii confessionem illis imminentes, nullorum conscii scelerum, patienti sustineant ferantque animo (d).

§. 3.

rationes ipsum inde petere censeamus, quibus patientiam in afflictionibus ulterius confirmat. Vide, quæ infra notavi, in not (i).

(d) Scopus hic totius Sectionis specialissimus in eo continetur, quem Cel. NONNENIUS totius Epistolæ specialissimum esse probat in Disput. cit. Hunc enim esse asserit §. XIII. *monere confessores, quo vita sancta & devitatis gentis atque seculi vitiis, instantia persecutionum discrimina, vel a capitibus suis averruncarent, vel vim eorum minuerent, datis in pudorem delatoribus, vel si ex voluntate Dei pa-*

§. 3.

Itaque prima ratio, qua Apoſtolus fideles ad patientiam in afflictionibus hortatur a Servatoris ducta eſt exemplo. *Quandoquidem*, ait, *& Chriſtus ſemel pro peccatis paſſus eſt, juſtus pro injuſtis, ut nos adduceret ad Deum, necatus quidem carne, vivificatus autem Spiritu.* Pleraque hujus commatis plana ſunt & perſpicua. Quare id præcipue agam, ut vis probandi in lucem proferatur. Complectitur autem illuſtre hoc argumentum quinque iterum rationes.

1) *Chriſtus etiam paſſus eſt* & quidem *pro peccatis noſtris, quo nos adduceret ad Deum.* Provocat igitur Apoſtolus ad maximum beneficium, quod Servator nobis praeſtitit, quodque graviſſimum perſequutionum ob Nomen ejus patienter ſuſtentandarum debet eſſe motivum. Si tantus, inquit, Soſpitatoris noſtri in nos amor fuit, ut innumeros

patiendum eſſet, mala ad exemplum Chriſti, & intuitu boni inde redundaturi, patienter perferrent, argumento ducto ex beneficiis gratiæ, quibus erant redditi participes per fidem in Jeſum, patresque ſuos excellebant, poſſidentes ſolum in typo, quæ ipſis revera exhibebantur, quæque illorum animos confirmare & erigere debebant, ſi forte in triſtitiam ſolverentur, quod ex Palæſtina extorres, in exteris regionibus inter gentes duriorem ſortem experirentur, quam contribules in Palæſtina.

ros cruciatus, quin ipsam cruentam mortem incredibili patientia sustinuerit, idque eum in finem, quo nos a poena peccatorum nostrorum liberaret, atque ad glorioriſſimam cum Deo communionem perduceret: (e) quid aequius est, quid gratitudini pro tanto ipsi beneficio debitae convenientius, quam ut mala propter confessionem Evangelii imminentia, quin ipsam mortem, si ea glo-

(e) Peccata, quibus commaculati sumus, a Deo nostro nos separant: Hinc *passus* dicitur Christus *pro peccatis*, i. e. pœnam iis meritam loco nostrum tulisse: eoque expiatio nostra cum irato Numine facta est. Iisdem passionibus cum perfectissima divinæ legis observatione conjunctis jus ad communionem Dei in cœlo seu ad vitam æternam nobis promeruit. Hanc ob causam Servator *passus* dicitur, *ut nos ad Deum adduceret*. Hac enim locutione significatur aditus, quem ad Deum, nunc reconciliatum & clementissimum in Christo Patrem, in cœlo imprimis habent fideles. Idem fere phrasin σωζειν εις Θεον notare, ad explicationem v. 21. probabitur. Fallitur itaque GROTIUS, quando προσαγειν idem esse, quod Rom. V, 10. καταλλαττειν asserit. Hæc enim reconciliatio indicatur verbis: *passus est pro peccatis*. Sed verba: *ut nos ad Deum adduceret*, respondent iis, quæ allato commate insequuntur: πολλω μαλλον καταλλαγεντες σωθησομεθα εν τη ζωη αυτου, *multo magis reconciliati salvabimur*, i. e. incolumes in communionem Dei perducemur, *in vita ejus* i. e. cum & vita ejus nobis imputetur.

glorificari velit, pari modo non recuſemus!

2) Paſſus eſt *Juſtus pro iniuſtis.* His verbis innuitur, magnum intercedere diſcrimen, Servatorem inter & nos. Illum fuiſſe juſtum, in cujus, ne ore quidem dolus ullus repertus eſſet, & paſſum tamen atque mortuum eſſe pro injuſtis & impiis. Quanto igitur aequius eſſet, ut nos pariter qui ſimus ex injuſtorum illorum numero, propter maximum noſtrum eundemque juſtum Benefactorem pateremur? Eodem modo Paulus immenſum Soſpitatoris amorem deprædicat: *cum adhuc imbecilles eſſemus*, inquit, *conſtituto tempore pro impiis mortuus eſt: vix enim quisquam pro juſto moritur, pro bono forſitan audeat quis mori; itaque amorem Suum erga nos commendat Deus, quod Chriſtus pro nobis mortuus eſt, cum adhuc impii fuimus. Rom. V. 6, 7, 8.*

3) Paſſus autem eſt tantummodo ἅπαξ *ſemel* (f). Neque enim adderetur haec vox,

(f) Hæc vox ceterorum verborum obſcurior eſt, quamquam multi nullam hic difficultatem quærant. Intactam ſumme reverendi NONNENIUS & SCHEPPIUS eam relinquunt, GROTIUS ſignificare *aliquando* ſtatuit; quonam autem fundamento, me fugit. Απαξ opponitur τω πολλακις, vel τω ετι, vel etiam τω παλιν, uti Hebr. VI, 4. 6. Eorum autem, qui concedunt, Apoſtolum indicare, Chriſtum paſſum eſſe tantum ſemel, quidam putant dictum

vox, niſi afflictionum patienter toleranda-rum ea ipſa proponeretur ratio. Quid vero velit Apoſtolus, diſcere licet ex Pauli verbis: *Scimus*, inquit, *Chriſtum reſuſcitatum ex mortuis non amplius mori; mors Ei non amplius dominatur: quod enim mortuus eſt, peccato mortuus eſt ſemel, quod vero vivit, vivit Deo.* Rom. VI, 9. 10. Explicatur igitur hoc loco ἐφάπαξ *Semel* per οὐκέτι *non amplius.* Quod ſi hoc

dictum eſſe ad differentiam eorum, qui e mortuis reſuscitati denuo ac ſecundo mortui ſunt. Conf. JAC. LAURENTII commentarium in hanc epiſtolam. Non moror hanc hypotheſin, quam Sacræ litteræ ignorant. Alii, quos inter imprimis Wolfius nominandus eſt, ad ſacrificia veteris Teſtamenti reſpici exiſtimant, quæ non ſemel, ſed repetitis vicibus, quoties res ferebat, offerri debebant. Quænam autem, quæſo, ſit cauſſa hujus reſpectus? Ea profecto neque ex nexu, neque ex ſcopo elucet. Ejusdem farinæ eſt explicatio WOLLII a WOLFIO allata, qui hanc vocem *perfecte* donotare arbitratur. Confunditur enim conſectarium aliquod cum proprio ſignificatu vocis. Nam verum quidem eſt, ſacrificium Chriſti, cum ſemel tantum offerri debuerit, perfectum eſſe oportere. Sed ex eo argumentari non licet, *ſemel* idem eſſe ac *perfecte.* Accedit, vocem hanc v. 20. recurrere, ubi aliam notionem non admittit, niſi ſolitam, quam applicui. Quod cum ita ſit, hoc tantum quæritur, quam ob cauſam Apoſtolus dixerit, paſſum eſſe Chriſtum tantum ſemel? Ex ſcopo hoc clarum eſt, ſicut oſtendiſſe mihi videor.

hoc ad locum noſtrum applicemus, intelligimus ſignificari, Servatorem, poſtquam ſemel calicem paſſionum ſibi deſtinatum exhauſerat, nullis amplius ærumnis preſſum, ſed in perrennem gloriam evectum eſſe. Idem fidelibus lætior eventus promittitur. Quando ſemel portionem calamitatum divino ipſis conſilio addictam, eo quo debent animo pertulerunt, liberi ſunt & immunes a crudelitate ſuorum hoſtium. Cancelli enim his poſiti ſunt, quos minime tranſcendant. Hinc ulterius in affligendis piis procedere nequeunt, quam æterno Numinis conſilio ipſis permiſſum eſt. O quam egregia, quam excellens patientiæ in afflictionibus ratio?

4) Verbis, *necatus quidem carne*, nova ejusdem patientiæ ratio adducitur. Non diffiteor, *carnis* nomine integram ſæpius humanam naturam in SSra exprimi: heic tamen, uti ſæpius, ſolum corpus intelligendum eſt, quemadmodum ex qualitate prædicati liquet. Neque enim ſecundum animam morte affectus eſt Servator (g) Innuit

(g) Argumenta, quibus utuntur, qui totam exiſtimant indicari humanam naturam videbis apud WOLFIUM & SCHEPPIUM in commentat. cit. §. VI. Sed pleraque, quin omnia loca, quæ de Chriſto agunt, pro adducta potius militant ſententia. Quid

Innuit igitur Apoſtolus, corpus quidem Chriſti a Judæis occiſum eſſe; animam vero, quam in manibus Patris depoſuit, non potuiſſe eos delere. Ita etiam hoſtes fidelium ad ſummum vita corporis ipſos poſſe privare; animam vero, partem nobiliorem, extra necis periculum eſſe conſtitutam. Idem ſignificat Servator, diſcipulos adhortans: *Illos ne timete, qui corpus occidunt, animam vero occidere nequeunt.* Matth. X, 28.

5) De-

Quid enim, quando *verbum* dicitur *factum eſſe caro* Joh. I, 14. ſignificatur proprie, niſi quod verbum illud ſeu divina natura, in corpore humano manifeſtata, viſibilem quaſi ſe præſtiterit? Nonne corpus intelligendum eſt, quando *ex patribus, quoad carnem oriundus* dicitur Rom. IX, 5. Neque enim animam Patres ipſi dederunt. Quando Paulus dicit, *Deum manifeſtatum eſſe in carne* 1 Tim. III, 16. idem innuitur, quod verbis Johannis modo allatis; neque enim in anima manifeſtatus ſeu viſibilis redditus eſt hominibus. Adducta igitur loca non repugnant ſententiæ, quam eligendam arbitror. Accedit, ſemper in hac epiſtola ſolum corpus carnis nomine venire, cf. v. 21. c. IV, 1. 2. 6. At objicient, qui aliter ſentiunt, oppoſita juxta ſe poſita clarius elucefcere: jam carnem opponi Ejus ſpiritui hoc eſt, divinæ naturæ. Poſſem reſpondere, corpus etiam oppoſitum eſſe. Sed vide omnino notam ſequentem. Pari modo c. IV, 6. σαρξ & πνευμα opponuntur: *idcirco*, inquit Apoſtolus, *etiam mortuis Evangelium annunciatum eſt, ut judicarentur quidem quoad carnem apud homines,*

5) Denique additur: *Vivificatus autem ſpiritu.* Reſurrectionem Chriſti ex mortuis ſignificari, luce clarius eſt. Tribuitur ea tanquam cauſſæ efficienti, *Spiritui* h. e. omnipotenti ipſius Divinitati (h) Quare Apoſtolus ita argumen-

vivant autem ſecundum ſpiritum apud Deum. Num hic totam hominis naturam deſignat caro? Neſcio, quid ad hunc locum reſpondeatur, niſi quod hic de homine ſermo ſit, illic vero de Chriſto. Sed qua ducti ratione carnem Chriſti aliter explicemus, quam carnem hominis? Cur hanc ſtrictiori, illam latiori ſignificatione ſumamus? Præſertim cum ſolum corpus occidi queat. Licet enim anima a corpore ſeparata fuerit, non tamen ideo ſecundum eam morte affectus dici poteſt Servator. Video, in ſimili fuiſſe ſententia ERASMUM, VATABLUM, GROTIUM. Illi enim, *mortuus*, inquiunt, *Chriſtus juxta corporis imbecillitatem*; hic: *quod attinet ad vitam hanc fragilem & caducam, & plane idem eſt, quod* 2 *Cor.* XIII, 4. *dicitur*, ἐσταυρώθη ἐξ ἀσθενείας.

(h) Vid. argumenta apud modo laudatt. WOLFIUM & SCHEPPIUM. Ex ea, quam carnis notionem eſſe probavi, argumentaretur quis, animam Servatoris eſſe intelligendam; hanc enim proprie oppoſitum eſſe corporis, quemadmodum etiam loco allato c. IV, 6. hæc duo ſibi opponuntur. Sed reſpondeo MOSHEMII verbis, quæ apud WOLFIUM adducta leguntur: *Petrus vocabulo* πνεύματι *cauſam indicat efficientem reſurrectionis Jeſu Chriſti. Quæ cauſa cum anima non ſit Chriſti, ſed divina Ejus natura illis accedere haud dubito, qui,* πνεῦμα *divinitatem Chriſti hic indicare, arbitrantur*

Recte

mentatur: quemadmodum omnipotentis ipsius Divinitatis virtute corpus a Judæis occisum in vitam revocatum sit; ita eandem non

Recte hæc dicuntur, at tum demum, si probari potest, Spiritum hunc, cui resuscitatio Servatoris nostri tribuitur, non opponi; uti vulgo creditur, ejus carni. Neminem novi hoc observasse; cum tamen non obscurum in ipsis Apostoli verbis indicium lateat, nulla hic quærenda esse opposita. Quare enim voci πνευματι articulus τω præponitur, ad vocem σαρκι omissus? Quare idem apud utramque hanc vocem omittitur, c. IV, 6. ubi reapse σαρξ & πνευμα opponuntur? Nonne indicio id est, hoc nostro loco easdem voces tanquam opposita non esse considerandas, sed, quando dicitur, Servator vivificatus esse τω πνευματι, causam resuscitationis efficientem indicari? Suppleas præterea ellipsin, & perspicuum erit, quod dixi: θανατωθεις μεν σαρκι, ζωοποιηθεις δε ΑΥΤΗ τω πνευματι *necatus quidem quoad carnem, sed*, quoad eandem *vitæ redditus per Spiritum.* Quod ad scopum attinet, quapropter hæc resuscitatio Domini nostri allata est, eum supra ex mente Petri indicasse mihi videor. Scilicet in animum fidelibus revocaturus erat, eodem modo, quo corpus Servatoris, quod Judæi occidissent, vitæ redditum sit, ipsorum etiam corpora, etiamsi ab hostibus suis necata essent, per eundem Spiritum aliquando resuscitatum iri. Eandem veritatem Paulus proponit Rom. VIII, 11. *quodsi vero Spiritus Illius, qui Jesum ex mortuis resuscitavit, in vobis habitat: idem, qui Christum ex mortuis resuscitavit, vestra etiam corpora vivificabit per eundem Spiritum in vobis habitantem.*

non minus fidelium corpora, licet ab hostibus occisa, olim resuscitaturam esse, animabus tum indissolubili vinculo socianda.

§. 4.

Alterum argumentum (i) mala illa, quibus impii pios ob Evangelii confessionem pre-

(i) Illi, qui *unicum* modo persecutionum tolerandarum argumentum proponi existimant, alium statuant nexum oportet. Cel. NONNENIUS hæc commata cum priori ita connectit, disp. cit. p. 42. *qui Spiritus olim jam documenta edidit suæ potentiæ ad revincendos & reducendos obstinatos per media convictionis.* Sed non possum adduci, ut credam, probare voluisse Apostolum, potentem esse hunc Spiritum ad reducendos obstinatos. Atque unde probetur, eos, qui præconio Noachi fidem non habebant, postea tamen convictos & reductos esse? Postea de hac hypothesi plura. Rev. SCHEPPIUS existimat, iunuere voluisse Petrum, se eum intelligere Spiritum, in quo Christus profectus sit atque prædicaverit olim, hoc est, divinitatem Servatoris. Sed cui fini? Patebat jam ex priori commate, non alium intelligendum esse quam Christi Spiritum. Quæ vero addit Vir doctus sceleroſos homines ante diluvium figuram sustinuisse hostium ecclesiæ primitivæ, diluvium vero extitisse typum calamitatum tum temporis a Christianis sustinendarum; & quemadmodum antediluviani undis essent deleti, Noacho cum familia sua in arca servato; ita eandem quoque sortem futuram esse ecclesiæ hostibus, qui divinis certissime perituri sint judiciis,

premebant, patienti animo toleranda eſſe, a triſtiſſima ſorte incredulorum, aquis diluvii olim deletorum, quorum veſtigiis perſecutores Chriſtianorum inſiſtebant, quibus idcirco ſimile inſtabat judicium, de ſumtum, his verbis proponitur: *εν ω και τοις εν φυλακη πνευμασι πορυθεις εκηρυξεν απειθησασι ποτε, ὁτε ἁπαξ εξεδεχετω ἡ του Θεου μακροθυμια εν ἡμεραις Νωε, κατασκευαζομενης κιβωτου, in quo ſpiritu etiam olim ſpiritibus, in carcere, quoniam increduli fuerint, nunc exiſtentibus, profectus prædicavit; cum longanimitas Dei ſemel exſpectaret in diebus Noe, cum arca conſtrueretur* (k). Tria maxime his verbis occur-

diciis, Chriſtianos vero per calamitatum fluctus ſervatum iri; hæc ipſa, inquam, indicio ſunt, duo alia proponi argumenta.

(k) Diverſas de ſenſu hujus loci, qui in obſcuriſſimis a quibusdam numeratus eſt, ſententias afferre ſupersedeo. Confer, ſi eas noſſe cupis, WOLFIUM, & quos adduxit, quibus poſtea recentiores nonnullas addam. Multos deſcenſum Chriſti ad inferos in hoc loco quæſiviſſe, ad vulgus notum eſt. Quo vero fundamento hæc hypotheſis nitatur, ego quidem hic non diſcutiam; actum enim agerem, & crambem ſæpius coctam apponerem. Sunt præterea pauci, credo, hodiedum, qui huic hypotheſi litant, neque facile, quod tamen ſine offenſione alicujus dictum volo, niſi ab iis illa defenditur, qui religioni ſibi ducunt, non propugnare omnia ſtrenue, quæ ſemel, licet problematica, in Theologiam introdu-

occurrunt distinctius considerandа. Edocemur enim

I) quid Christus egerit, antequam orbem diluvio exstirpavit. Nam

α) Spi-

cta sunt. Mirot rationem, qua ductus WOLFIUS in hac sententia acquievit. *Movet me*, inquit, *inter cetera id, quod Apostolus sectione illa, quæ v.* 18-22. *continetur, omnia, quæ Dominus noster in hominum salutem procurandam & testandam hinc passus est, hinc fecit, ordine suo commemorat. Habes heic passionem, mortem, vivificationem, descensum ad inferos, ascensum in cælos & sessionem ad dextram Dei.* Nonne enim hic committitur petitio principii? Probetur primum, descendisse Christum ad damnatorum sedes. Et quamvis hoc posset probari, quod tamen non arbitror, qua pulsus causa, diluvii, servationis octo animarum, baptismi, iterum resurrectionis Christi, mentionem faciat Apostolus? Lucis causa hæc interjici opinatur WOLFIUS Sed quid illustrent? Quam lucem afferant? Quid iis obscuri inest, quæ de Servatore narrantur? Et quis nexus inter ea, quæ interjici dicuntur, & descensum Christi ad inferos? Neque video, quid ex hoc descensu solatii consequatur, quod fidelium animos in afflictionibus erigere queat. Quamvis autem hæc hypothesis satis superque, ut arbitror, a plurimis confutata sit; prodierunt tamen a. MDCCLIV. bina scripta, quibus vexatissimus hic locus denuo ad abitum Servatoris in sedes animarum damnatarum trahitur. Alterum est HENR. *von der* HUDE disputatio *de descensu Christi ad inferos*, præside cel. JO. BEN. CARPZOVIO Helmstadii habita. Alterum JO. CAR.

α) *Spiritu suo olim profectus prædicavit hominibus, qui diebus Noachi, cum arca fabricaretur, vivebant.* Moneo primum particulam ποτε non ad vocem απειθησασι, sed ad verba πορευθεις εκηρυξεν pertinere. Quæ observatio non est plane nullius momenti. Nam si

CAR. RAUSCHENBUSCHII libellus, qui inscribitur kurze schriftmäßige Einleitung in die Lehre von der Höllenfahrt Christi Buckenburgi in lucem editus. Sed cum mihi ad manus non fuerint nec esse possint, ignorare cogor argumenta nova, si nova sunt, quibus sententiam suam confirmare studuerunt. Iis saltem non convictus est, qui illos nominat, rev. FRID. WITTINGIUS, Pastor ad D. Mich. Hildesiensis, quippe qui missa ista sententia aliam protulit in *Conjectura in locum difficilem* 1. Pet. III, 19. quæ legitur in summe ven. JO. DIET. WINCKLERI *anecdotis historico-ecclesiasticis nov-antiquis* P. V. p. 666. Recte putat Vir doctus, omnem difficultatem tolli, recte intellectis verbis τοις εν φυλακη πνευμασι §. II. Ad faciliorem igitur eorum explicationem provocat ad locum parallelum 2 Pet. II, 5. ubi duo observanda esse dicit momenta. Primum: Noachum appellari justitiæ præconem; alterum, eum dici a Deo servatum esse §. III. Neque solum Noachum, pergit, fuisse κηρυκα δικαιοσυνης, sed & ejus filios, Spiritu Dei pariter impulsos. Hinc recte appellari Noachum & filios πνευματα §. VI. Quando vero dicuntur fuisse εν φυλακη, hoc indicari, Deum hos justitiæ præcones tempore diluvii sartos tectosque præstitisse, tum adversus impiorum injurias, tum adversus horrendas eorum pœnas, §. VII. Hæc potiora

si hoc verum est, quam, quæso, ob causam descensum Christi ad inferos indicari existimemus? Neque enim dicit Apostolus, post mortem aut resurrectionem suam Christum prædicasse, sed *olim*, *in diebus Noe*, *cum arca fabricaretur*. Recte vero a me hoc statui, ex v. 21. videre est, quo collaro

sunt capita sententiæ Viri admodum reverendi, quam hac paraphrasi complectitur: *per quem Spiritum*, *nempe per illos justitiæ præcones*, *a Deo servatos*, *ubique locorum prædicavit iis*, *qui increduli erant aliquando*, §. XI. Sed sunt non pauca, quæ huic sententiæ contrariari arbitror. Primum enim non opus fuisset, Noachum v. 20. expresse nominare, si ex iis fuisset spiritibus, quorum mentionem facit Apostolus. Discernitur clarissime pius hic Patriarcha ab illis Spiritibus. Atque unde probetur, filios Noachi extraordinariis donis Spiritus Sancti pari modo instructos fuisse? Posito, ipsos Patrem in arduo hoc negotio adjuvisse, inde tamen minime consequitur, ipsis non minus atque patri immediate, seu peculiari revelatione, imminens illud judicium patefactum esse. Sufficiebat, Noacho revelatum fuisse. Ex hoc illud cognoscebant, eique monenti opem ferre poterant, si verum est, ipsos opitulatos esse. Quod tamen ne veri quidem est simile. Quis enim credat, eos patre & familia relictis in orbem terrarum dispersos alterum huc, alterum illuc præconii causa abiisse? Itaque non video, quam ob causam πνευματα possint appellari. Præterea secundum scopum Apostoli satis dictum erat, cum dictum fuit, Christum prædicasse. Utrum mediate, an immediate, perinde erat,

lato hæc ſibi opponuntur tempora; εν ὡ (πνευματι) και ΠΟΤΕ, ὡ (πνευματι) και ΝΥΝ. Quis ergo non videt, ſi animum præjudicatis opinionibus non occupatum adhibeamus, voculam ΠΟΤΕ, ad voces εν ὡ & ad verbum, quod cum his conjungitur, referendam eſſe? Olim itaque, ante dilu-

erat. Per ſe quoque patebat, mediatum fuiſſe Servatoris præconium, quemadmodum ſemper in œconomia veteri. Denique, quod ad ſervationem Noachi Noachidarumque attinet, quam vocibus εν φυλακη indicari exiſtimat WITTINGIUS, ea omnino v. 20. expreſſis verbis ſignificatur: διεσωθησαν δι ὑδατος. Quis autem adducetur, ut credat bis unam eandemque rem, neceſſitate non cogente, indicari. Accedit, loco parallelo Apoſtolum non ſolum probare, Deum pios ſervare, ſed etiam, Ipſum impios punire. At quibus verbis pœna incredulorum indicatur, niſi his: εν φυλακη? Poſſem plura argumenta offerre, ſed allata arbitror ſufficere ad convellendam WITTINGII ſententiam, quæ ceteroquin ingenioſa dici meretur, & quæ omnino illam de deſcenſu Chriſti ad inferos longo poſt ſe relinquit intervallo. Ab hac abit, quam doctiſſ. NONNENIUS in paraphraſi ſæpius cit. protulit: *in quo ſcilicet Spiritu*, ait, *etiam ſpiritibus, qui erant in carcere malarum conſuetudinum conſtricti, prædicatum ivit, per miniſterium Noachi, præconis juſtitiæ.* Elliſis hæc, quod pace Viri eruditiſſimi dixerim, non ita facili negotio, ut mea fert opinio, probari poterit. Et quamvis probari poſſet, adverſatur tamen locus parallelus 2 Pet. II, 9.: οιδε κυριος ευσεβεις εκ πειρασμου ρυεσθαι, αδικους δε εις ἡμεραν

diluvium, cum arca conſtruenda erat, prædicatum ivit Dominus noſter, idem Dominus, qui a Judæis quoad carnem morte affectus, per Spiritum autem vivificatus

ἡμέραν κρίσεως κολαζομένους τηρεῖν. De liberatione piorum ex miſeriis, & de pœna incredulorum hic agitur. Jam ſervatio illa & liberatio piorum v. 20. & 21. indicatur. Ubi vero pœna improborum, niſi, ut antea jam dixi, verbis ἐν φυλακῇ? Occurrit præterea hoc loco parallelo deſcriptio hujus carceris. Eſt locus ſeu ſtatus, quo injuſti τηροῦνται, *cuſtodiuntur* uſque ad diem judicii, ubi ad graviora ſupplicia condemnabuntur. Sed neceſſe habuit Vir ſumme reverendus, metaphorice exponere carcerem. Eſt enim cum aliis, præſertim Patribus quibusdam, in opinione, incredulos illos ſalvatos eſſe quoad animam, quamquam corpora ipſorum undis perierunt. Dum enim C. IV, 6. παραφράζει: *Nam illis*, inquit, *olim mortuis in diluvio annunciatum eſt, ut quidem judicarentur ſecundum hominem carne, ſed ſecundum Spiritum Deo viverent.* Sed nullum in Sacris litteris hujus hypotheſeos veſtigium. Saltem hic locus nullo modo ad eam ſtabiliendam adhiberi poteſt. Neque enim increduli, qui diluvii aquis perierunt, judicati ſeu ad mortem damnati ſunt quoad carnem κατα ἀνθρώπους ab hominibus. Sunt potius intelligendi martyres religionis Chriſtianæ, qui tum jam quoad corpus ab hominibus incredulis morte affecti fuerunt, ſed quoad ſpiritum in communione Dei vivebant. Eccur, ſi hi ad ſalutem æternam per aquas ducti eſſent, Sodoma & Gomorrha pari modo per ignem ſalvatæ non ſunt? At προκειντας δειγμα, πυρος αιωνιου δικην ὑπεχουσας! Jud. v. 7.

ficatus eſt. Illi, quibus prædicatum eſt, fuerunt homines antediluviani. Qua vero de re hi *ſpirituum* nomine inſigniantur, ex eo clarum eſt, quod de iis prædicatur. Neque enim quoad corpora, ſed quoad animam *jam ſunt in carcere*. Quid vero eſt, quod iis annunciatum fuit? Uno verbo, *juſtitia*, hoc eſt, moniti ſunt, ut juſtitiam Dei apud animum ſuum reputantes ſcelera ſua agnoſcerent, de iis ſerio dolerent, ea ſubmiſſe deprecarentur, & veniam peccatorum flagitantes aliud vitæ genus inſtituerent: quod niſi conſequeretur, iram divini Numinis, juſtiſſimi flagitiorum Vindicis, ipſos exſtirpaturam eſſe. (1) Sed mediatum erat hoc Servatoris præconium. Fiebat enim per miniſterium Noachi, præconis juſtitiæ 2 Pet. II, 5. Ad hunc *profectus eſt* Chriſtus, in hunc veluti deſcendit *in* ſeu *cum ſpiritu ſuo*, & poſtquam hoc modo deſcenderat, per eum orbi prædicavit. Neque hoc per breve tempus.

β) Etenim *longanimitas ipſius exſpectavit*, h. e. tempus ſceleroſis illis hominibus conceſſit ad reſipiſcentiam, neque eos, niſi antea admonitos punivit. At

γ) *ſemel*

(1) Vide hæc uberius narrata apud rev. SCHEPPIUM, in commentat. ſæpius cit. §. XI-XV.

γ) *semel* tantum exſpectavit, h. e. certum definitumque tempus conceſſit, quo elapſo, ſi præconium Noachi, aut potius ipſius Chriſti, cujus Spiritus per eum loquebatur, nil efficeret, irrupturum eſſet graviſſimum, quod minatus erat, judicium. Limites enim ponit longanimitas divina, quos ſi ſemel transgreſſus eſt peccator, diutius non fertur.

II) Cauſſa judicii divini affertur, quæ dicitur fuiſſe incredulitas: fuerunt απειθησαντες, *dicto non audientes, increduli.* Neque enim perſuaderi ſibi patiebantur; falſum fictumque eſſe vaticinium Noachi autumantes, neque quicquam minus opinantes, quam orbem, niſi meliori ſe dicarent vitæ, impietatique nuncium mitterent, deletum iri. Quum itaque fruſtraneum fuiſſet Noachi præconium, atque e contrario ſcelera ad majorem uſque gradum adſcenderent, conſecutum eſt tandem

III) horrendum judicium, triſtiſſimus impietatis atque incredulitatis fructus. Id vero duplex fuit. Alterum, quod præcedebat, per ſe notum, omittitur, ſcilicet diluvium, quo incredulorum corpora ſubmerſa occubuerunt. Alterum, quod ſubſecutum & gravius eſt, indicatur: ſunt enim jam quoad animas εν φυλακη *in carcere.* Per quem intelligendum eſſe orcum ſeu infer-

infernum, nolo operoſius probare: probarunt enim alii. Confer, quem infra jam adduxi, locum parallelum 2 Pet. II, 9. Quæ igitur in ſecuritate atque incredulitate perſeverabant animæ, quæque cum ſceleribus iram Dei coacervabant, corporibus ſuis aqua deletis in ſedem infelicium animarum migrarunt, ubi tanquam malefici in carcere cuſtodiuntur, uſque ad diem magni illius judicii, quod unicuique ſecundum opera ſua rependet. Ex hac incredulorum ſorte triſtiſſima tanquam ſpeculo & typo conſpiciendum præbet conſiderandumque Apoſtolus, quæ omnium impiorum, adeoque imprimis incredulorum, qui Chriſtianos perſequebantur, conditio tandem futura ſit. Sed de hac ad incredulos tum temporis applicatione mox plura.

§. 5.

Tertia denique ratio, quæ patientem fidelium in tribulationibus animum excitet & confirmet, ducta eſt a ſervatione octo animarum ex aquis diluvii. Quæ ſervatio cum typus ſit, hujus ad antitypum v. 21. inſtituitur applicatio. Proponitur autem his verbis: εις ἣν ολιγαι (τουτεστιν οκτω) ψυχαι διεσωθησαν δι ὑδατος. Qui εις ἣν idem eſſe atque εν ᾗ arbitrantur, a notiſſima

tissima illa regula discedunt, quæ nos a proprio particularum significatu, necessitate minus cogente, abire vetat. Neque enim quidquam obstat, quo minus proprium illum significatum hic retineamus. Accedit, aliquam, si retineatur, sequenti commate lucem inde accendi, uti postea ostendam. Διασωζεσθαι εις τινα τοπον est *recipere se* seu *confugere in locum aliquem*, ubi nullum amplius est periculum. Hinc particula εις locum hic designat, in quem Noachus & familia, arcam ingressi, se receperunt, & ubi collocati salvi evaserunt. Itaque hæc verba sic vertenda esse arbitror: *in quam arcam paucæ, hoc est, octo animæ se receperunt & salvæ evaserunt per aquam.* (m) Per-

(m) Itaque hæc phrasis duplicem conceptum in anima nostra excitet necesse est, primum, quod octo illi in arcam *confugerunt*, deinde, quod ejus ope periculum irruentium aquarum *effugerunt*. Simile aliquid habet ERASMUS SCHMIDIUS, a WOLFIO adductus: *in quam ingressæ paucæ, nempe octo animæ, servatæ sunt in aqua.* Sed primus hic conceptus, *ingressæ*, non satis nervose, credo, emphaticeque Apostoli mentem exprimit. Actio illorum erat confugium, non nuda ingressio. Locus ex *Diodoro Siculo* ab ELSNERO allatus, atque ibidem adductus, posteriorem tantummodo ideam hac phrasi complexam in luce ponit. Aliud enim, διασωθηναι εις νησον, aliud διασωθηναι εις κιβωτον. Prior locutio significat; salvum & incolumen perve-

Perſpicua hæc ſunt, neque luce indigent. Antitypi tamen cauſa pedem hic pauliſper ſiſtam, & quæ diſcernenda ſunt, diſcernam.

I) Ex tanto hominum, quibus tum orbis terrarum incolebatur, numero pauciſſimi tantum fuerunt, qui impietatis veſtigia non ſequebantur, Noachus cum ſua familia. Et quamvis Chamus a pio patris animo degeneraſſet, ob eundem tamen conſervabatur. Quod vero Petrus tam expreſſe *paucarum animarum* addito etiam numero mentionem habeat, hoc ipſo docere voluit Chriſtianos, mirandum ſibi non eſſe, quod nunc tot homines contemto Evangelii præconio in incredulitate permaneant.

II) Locus, in quem ii ſe receperunt, & cujus beneficio ex aquis ſalvi evaſerunt, *arca* erat ſeu navis, quam juſſu Dei Noachus fabricaverat. Quis ejus ſit antitypus, docebitur poſtea.

III) Quid igitur agebant, cum a Deo juberentur arcam ingredi? Convicti erant, atque oculis ſuis poſtea videbant, unicum eam eſſe a Deo miſericorde ordinatum medium, quo ex undis mox irrupturis ſervari

pervenire in inſulam; poſterior: confugere in arcam. Quodſi autem utrumque phraſeos ſignificatum conjunxeris, ejus completam habebis ideam.

vari poſſent. Relicta igitur impiorum, penes quos ad hortationes atque monita Noachi nil efficiebant, quique adeo Spiritu divino ſe coargui non patiebantur, ſocietate, in arcam *confugiebant*, ubi tuti eſſent, nec participes redderentur triſtiſſimi improborum exitus. Quid hæc piorum actio adumbraverit, haud obſcurum eſt, poſteaque indicabitur.

IV) Non poterat non lætior eſſe exitus & fructus hujus in arcam confugii. Nam *ſervati ſunt* ſeu ſalvi & incolumes evaſerunt per aquam (n). Fluctus igitur, licet propinqui

(n) Varie voces δι ὑδατος explicari, ex WOLFIO diſcimus. Interpretes abeunt in duas partes. Alii enim aquam tanquam medium conſervationis conſiderant, alii minus. Priorem viam ingreditur WOLFIUS: *hanc*, inquit, *Apoſtoli mentem fuiſſe, ut aquam illam, qua arca ferebatur, tanquam medium ſalutis conciliandæ indicaret, ex eo imprimis colligo, quod baptiſmum, aquæ illius antitypum, ait, nunc* σωζειν ἡμας, *ſicut antea dixerat, olim illos* διασωθηναι δι ὑδατος. *Quemadmodum igitur negari nequit, baptiſmum efficax ſalutis medium eſſe,* εσωσεν ἡμας δια λουτρου παλιγγενεσιας, *Tit. III, 5. ita, vi factæ h. l. comparationis, aquæ illæ diluvianæ reſpectu credentium, pro medio conciliatæ vitæ naturalis haberi debent.* Varia hic dicuntur, quæ examen merentur. Primum enim, ſi rem ipſam conſideremus, non veriſimile videtur, aquam fuiſſe medium conſervationis. Neque enim aquæ ſed *arcæ* beneficio hæc effecta eſt. Quamvis enim arca

pinqui, non poterant eos demergere & delere.

arca aquis ſublevata fuiſſet, illi tamen proprie hoc beneficium tribuendum erat. Nihilominus hoc lubrico fundamento, ſcilicet aquam fuiſſe medium conſervationis, plerumque comparatio baptiſmi & diluvii fundari ſolet. Verum enim vero, ut ingenue dicam, quid de hac comparatione ſentiam, nonne abſurdum eſt, dicere: aquam, *ex* qua ſervati ſeu *per* quam incolumes ducti ſunt, medium fuiſſe conſervationis & quidem efficax medium? Annon id, quod interitum minatur, diverſum eſt ab eo, quod ex hoc periculo eripit? Quis dicet, irruentibus rupto aggere fluctibus, quibus multi pereunt, quidam vero aſſeribus vitæ ſuæ conſulunt, hos ope aquæ ereptos eſſe; neque enim aſseres ſublevari potuiſſe, niſi aqua adfuiſſet? Et tamen ex eadem Logica argumentantur, qui aquam tanquam medium ſervationis conſiderant. Falſum quoque eſt, quemadmodum poſtea probabo, baptiſmum figuram ſuſtinere diluvii. Ut tandem & de loco a WOLFIO adducto Tit. III, 5. aliquid dicam, cum aliis credo, per λουτρον παλιγγενεσιας neutiquam baptiſmum intelligi poſſe, ſed ad ſummum ad hunc alludi. Quid enim impedit, quo minus verba Pauli ita interpreteris: *ſalvavit nos per regenerationem, quæ lavacrum, & per Spiritum Sanctum, qui renovatio eſt.* Regeneratio *lavacrum* dicitur, quia nos lavat ſeu mundos reddit a labe & dominio peccatorum. Spiritus autem Sanctus *renovatio* nuncupatur, quia nos renovat, ſeu imaginem Dei in nobis reſtituit. Quum igitur aqua diluvii medium conſervationis non ſit; vocibus δι' ὑδατος nihil aliud indicatur, niſi octo illos per fluctus ductos eſſe & pervenisſe incolumes.

delere. Erant enim in communione arcæ, qua in altum vecta per medias vehebantur aquas, ita ut incolumes, poſteaquam terræ ſiccata erat ſuperficies, egrederentur.

§. 6.

Hæc jam applicat Apoſtolus v. 21. de quo loco paulo prolixius mihi agendum eſt, quod ejus exponendi cauſa hanc opellam ſuſcepi. Agam de eo generatim, antequam ad ſpecialia progrediar. Obſervo primum, applicationem incredulorum antediluvianorum ad incredulos Apoſtolorum tempore viventes omitti. Aderant ſilentii hujus rationes. Primo enim, cum ſortem felicem eorum, qui diebus Noachi viventes credebant, ad pios ſui temporis Chriſtianos applicuiſſet Apoſtolus, oppoſita applicatio per ſe patebat. Deinde Scopus Apoſtoli nihil poſtulabat, niſi ut fideles ad conſtantem paſſionum afflictionumque ob nomen Chriſti ſuſtinendarum tolerantiam moveret. Obtineri hoc poterat, etiamſi ſortem infidelium taceret. Accedit, fortaſſis prudentiæ fuiſſe, hanc tacere, ne incredulis Chriſtianos eo gravius accuſandi daretur occaſio. Quo vero applicatio ad credentes hoc dilucidius poſtea eluceat, etiam oppoſitam breviter attingam & declarabo. Confert nimirum Apo-

Apoſtolus ſtatum orbis, qui diluvium præcedebat, cum eo, qui poſt adſcenſionem Chriſti obtinebat (o).

I) Impietas enim & flagitia, quæ contemta religione ſecure & impune committebantur, ad ſummum tunc faſtigium ubique locorum, imprimis apud Judæos adſcenderant.

II) Inſtabant hanc ob cauſam, ſicut olim, magna Dei judicia, quibus puniendus erat orbis incredulus, adumbrata diluvio.

III) Quemadmodum igitur olim cum Spiritu ſuo profectus erat Chriſtus & prædicaverat, per Noachum omnes ad reſipiſcentiam adhortatus; ita nunc quoque per Apoſtolos ſuos eodem Spiritu actos, qui hac de re figuram pii hujus Patriarchæ aliquatenus ſuſtinuerunt, & Judæos & Gen-

(o) Eodem modo ipſe Servator adventum ſuum ad judicium in Judæos ferendum cum adventu ad diluvium comparat: *quemadmodum vero dies Noachi erant; ita & adventus filii hominis futurus eſt. Sicut enim erant diebus diluvii præcedentibus edentes & bibentes, matrimonium ineuntes, & in matrimonium collocantes, usque ad diem, quo Noachus in arcam ingreſſus eſt; neque noverant, uſque dum diluvium venit, quod omnes ſuſtulit; ita etiam adventus filii hominis futurus eſt.* Matth. XXIV, 37-40.

Gentiles admonebat, ut ad meliorem redirent frugem.

IV) Exſpectabat quoque, ſicut olim, longanimitas divina. Neque enim illico, poſtquam in cœlum adſcenderat Servator, invaleſcebant judicia, ſed, tempus concedebatur, quod tum, quum Apoſtolus hæc ſcriberet, nondum penitus elapſum erat.

V) Sed ſicut olim longanimitas divina tantum ſemel exſpectaverat; ita & nunc ipſa ſuos dicitur habere limites, quos ſimul atque increduli transgreſſi eſſent, nulla amplius daretur avertendi pœnas graviſſimas copia.

VI) Porro, quemadmodum olim cauſa horrendi illius judicii primaria fuerat incredulitas & ſecura in ſceleribus perſeverantia; ita ob eandem judicia, quæ jam imminebant, proficiſcebantur.

VII) Docetur denique, duplicem jam quoque incredulis inſtare pœnam, tum corporis, virgam ſcilicet Domini, integras terras regionesque ferientem, bella, famem, peſtilentiam & ſimilia; tum graviorem animæ, ſcilicet carcerem, in quem increduli ipſorum ſpiritus abituri ſint. Cernimus hujus vaticinii implementum, ſicut notum eſt, in everſione reipublicæ Judaicæ, vaſtatione Hieroſolymorum & templi, tot Judæorum partim interitu

partim

partim abductione in captivitatem miserrimam, durissimisque Paganorum fatis, quæ historia enarrat. Hæc incredulorum sors Christianis solatio quidem esse non poterat, sed incitamento tamen, ut eam effugere studiosius anniterentur, neque suam ipsorum conditionem admirarentur etiamsi duriorem.

§. 7.

Jam ad applicationem, quæ expressis verbis significatur, felicissimæ sortis eorum, qui diebus Noachi credebant, ad Christianos, qui, Apostoli tempore Evangelio fidem habebant, progrediar. Generatim docet Petrus, quod olim octo illis animabus acciderit, quæ fide ductæ in arcam confugerant, & salvæ per diluvii aquas pervenerant, id & ipsis omnipotente Servatoris Spiritu eventurum esse; exantlatis enim hujus vitæ miseriis, in beatissimam ipsos communionem Dei, ubi nulla tribulatio, nullus clamor, nulla amplius querimonia, perductum iri; hoc vero beneficium certo certius exspectari posse; id enim docere baptismum, modo non esset mera depositio sordium corporis, sed bonæ conscientiæ responsio, quæ spes ex baptismo hausta resurrectione Domini nostri nitatur, docere etiam adscensionem

ejus in cœlum & ſeſſionem ad dextram Patris.

§. 8.

Quo vero dilucidius pateat, hanc eſſe veram Apoſtoli mentem; adſcribam primum verba, adjectis ſignis diſtinctionis, quemadmodum ego quidem ponenda eſſe exiſtimo: ὡ και ἡμας, αντιτυπον, νυν σωζει βαπτισμα (ου σαρκος αποθεσις ρυπου, αλλα συνειδησεως αγαθης επερωτημα) εις Θεον δι ανασασεως Ιησου χριστου. Pono igitur primum ante & poſt vocem αντιτυπον comma, ſcilicet ut indicetur, hanc vocem non ad βαπτισμα, ſed ad ἡμας referendam eſſe; quod quo clarius reddatur, ſuppleo vocem οντας, quæ ſemper omitti ſolet: ὡ και ἡμας, αντιτυπον οντας, νυν σωζει. Deinde poſt vocem επερωτημα claudo parentheſin, quoniam voces εις Θεον non ad επερωτημα, ſed ad σωζει pertinere exiſtimo. Quod ſi hæc recte, ut arbitror, ſtatuuntur, omnis difficultas faciliori modo diſſolvi poterit. Ut prius ſtatuam, naturali verborum ordine adducor. Quid enim rationi conſtructionis convenientius eſt, vocem αντιτυπον conjungere cum voce ἡμας, cui immediate addita eſt, vel cum voce βαπτισμα, a qua duabus vocibus ſeparata cernitur? Ecquæ ſubeſt cauſa, quod Apoſtolus non dicat:

dicat: ὡ και ἡμας νυν σωζει αντιτυπον βαπτισμα, sive, ὡ αντιτυπον βαπτισμα και ἡμας νυν σωζει? Saltem hoc mihi persuadeo, ipsum addito articulo TO αντιτυπον νυν σωζει βαπτισμα dixisse, si utramque hanc vocem conjungere voluisset. Accedit, eodem jure, quo alii αντιτυπον, & βαπτισμα conjungunt, pariter priorem cum voce ἡμας connecti posse: tantumque abest, ut incommodus hac ratione nascatur sensus, ut potius non opus sit, diluvium nuncupare baptismi typum. Nihil fortasse objici potest, quam hoc casu dicendum fuisse αντιτυπους. Sed respondeo: quemadmodum τυπος substantivum est, ita etiam αντιτυπος substantive adhibetur; saltem nihil obstat, quo minus ita adhiberi possit. Est quoque, quod post vocem επερωτημα parenthesin claudam, & voces εις Θεον ad verbum σωζει referam (p). Quid enim in-

(p) Incideram in hanc sententiam, antequam ex WOLFIO didici, eandem invenisse & propugnasse ELSNERUM. Opponit autem aliquid WOLFIUS, quod hic mihi examinandum est. *Non crediderim*, inquit, *voces* εις Θεον *cum verbo* σωζειν *conjungi posse, ut idem sint, quod, salutem apud Deum impetrare. Quos enim vir doctus ex 2 Timoth. IV, 18. cet. attulit, illi omnes non personas, sed rem, u. c.* βασιλειαν, χωραν, οικιαν, *inquam aliquis salvus perductus sit, commemorant. Ex quo non conse-*

 quitur,

interrogatio, adſtipulatio, foedus, ſeu quocunque modo vertas, in Deum? Et poſito etiam, quod explicari queat, ita ut non incommodus naſcatur ſenſus, vix tamen ac ne vix quidem crediderim, connectendas eſſe voces επερωτημα & εις Θεον. Commate enim antecedente, ex quo verbis hiſce lux accendenda eſt, Apoſtolus dixerat ΕΙΣ ἡν ολιγαι ψυχαι διεσωθησαν. Itaque verbum διασωζεσθαι conſtruitur cum particula εις. Quum igitur hic iterum εις &

quitur, eandem phraſin adhiberi poſſe, ubi de Deo, tanquam perſona, ſeu objecto perſonali ſermo eſt. Huc usque WOLFIUS. Sed ſi verum eſt, quod opponit; idem illis quoque eodem jure opponi poteſt, qui, quemadmodum etiam WOLFIUS επερωτημα & εις Θεον conjungunt. Quod enim κληρονομια τετηρημενη, χαρις, παθηματα, aliæque voces cum εις combinentur, ex hoc nondum conſequitur, dici etiam poſſe επερωτημα ΕΙΣ Θεον. Adducatur locus, ubi has voces conjunctas cernimus. Ubi igitur maximus gradus probabilitatis? Semper probabiliorem eſſe credo ſententiam, quam attuli. Hic enim σωζειν εις invenitur, ſed επερωτημα εις nusquam deprehenditur. Num igitur ea ſola ratio, ſi ratio eſt, quam WOLFIUS objicit, ab hac ſententia nos avocet? Et quid? ſi dicerem, vocem Θεος non ſtricte perſonam ſeu objectum perſonale, ſed communionem Dei, adeoque *rem* hic denotare. Quando enim dicimus: perducere aliquem ad Deum, idem hoc eſt, ac ſi diceremus: perducere aliquem in communionem Dei, in regnum cœleſte, in vitam æternam. Sed poſtea de hoc plura.

& σωζειν conjungantur, clarum est, voces εις Θεον non pertinere ad επερωτημα, sed ad σωζει, & designare locum, in quem salvi perducuntur fideles. Quæ explicatio hoc majore veritatis specie se commendat, quod eadem phrasis in simili materia occurrit 2 Tim. IV, 18. και ΣΩΣΕΙ με ὁ Κυριος ΕΙΣ την βασιλειαν αυτου την επουρανιον, *& salvum me perducet Dominus in regnum suum cœleste.*

§. 9.

Jam verba ipsa considerabo. Dicit primum Apostolus: Ω και ἡμας σωζει. Inquirendum est, ad quodnam nomen articulus ὡ referendus sit. Interpretum multi ad vocem ὑδατος proxime præcedentem pertinere existimant, atque ita construunt: ὡ αντιτυπον βαπτισμα και ἡμας σωζει, *cujus aquæ antitypus, baptisma, nos servat.* Quod vero consistere nequit, quoniam baptismus non est diluvii antitypus, quemadmodum postea probabo: neque aqua, sed arca octo illas servavit animas. Repetenda igitur est vox πνευματι ex v. 18, *per quem* Spiritum *etiam nos nunc servat.* Patet hoc 1) ex eadem loquendi formula. Dicit enim Apostolus v. 19. εν Ω KAI τοις, & nostro Commate: Ω KAI ἡμας. Quis vel hinc non conjiceret, idem hic subintelligendum esse nomen? Patet 2) ex oppositis ποτε & νυν. Quum enim

enim Apoſtolus, dixerit: in quo etiam Spiritu *olim* profectus prædicavit, cum arca conſtrueretur, per quam paucas animas ſervavit, & cum mox ſubjungat: in quo etiam *nunc* nos ſervat, quid clarius eſſe poteſt, quam idem nomen repetendum eſſe? Quod ſi hoc verum eſt, ut verum eſſe arbitror, commata hæc duo tali fere modo cohærent: quo etiam Spiritu, quo olim profectus prædicavit per Noachum, nunc quoque prædicat per Apoſtolos, venturus ad judicium, & per quem Spiritum nos quoque ſervabit ex aquis judiciorum, quemadmodum olim paucas animas ex diluvio ſervavit. Cernimus ergo hic *cauſſam efficientem* beneficii, de quo Petrus hoc commate loquitur, ſcilicet omnipotentem Chriſti divinitatem. Hinc Paulus loco allato 2 Timoth. IV, 18. DOMINUS, inquit, *ſalvum me perducet in regnum ſuum cœleſte.* Cernimus quoque hic, niſi me omnia fallunt, verum *arcæ* illius antitypum. Intercedunt certe evidentiſſimæ inter Chriſtum & arcam illam convenientiæ. α) Quemadmodum arca propter eos, qui in eam confugerant, in aquas immerſa fuit; ita etiam Servator noſter, noſtra bajulans peccata, aquis paſſionum atque mortis ſubmerſus eſt. β) Quemadmodum octo animæ, quæ ſe in eam ſalutis cauſa

rece-

receperant, ſervatæ ſunt, ita etiam omnes, qui ad Chriſtum confugiunt, in eo unice ſalutem quærunt, cumque eo fide & amore conjuncti ſunt, ſervantur. γ) Octo illi ſubmerſi quidem ſunt cum arcâ, ſed propter eandem undis non hauſti. Qui cum Chriſto uniti ſunt, immerguntur quidem nonnunquam aquis miſeriarum, perſecutionum, tribulationum, ſed propter mortem Servatoris emergunt, & in portum æternæ requiei tandem appellunt. Nolo in detegendis hujusmodi convenientiis ulterius progredi, ne in minutias cum aliis prolabar. Quas vero attuli, eas ſub oculos cadere arbitror. Itaque non video, quare arcam ex typorum numero excludamus. Quum enim Apoſtolus hoc noſtro loco unius antitypi expreſſe mentionem injiciat, cur non & ceteras res magni momenti, in diluvio obvias, qualis omnino præ reliquis arca eſt, ad typum referamus?

§. 10.

Subjecta, quæ omnipotentia ſua ſervaturus erat Chriſtus, indicantur voce ἡμας. Sed quo Apoſtolus ſervationis ipſorum ſpem eo majorem faciat, addit, ἀντιτυπον; quæ vox ſuo, quo debet, loco collocata ſenſum clariorem fundit. Eam ad vocem βαπτισμα referri non poſſe, naturalem verborum ordinem dixi manifeſtum reddere

dere aut ſaltem veriſimile. Neque damnabit hanc ſententiam, qui conſiderat, quam difficile ſit, quin plane αδυνατον, oſtendere, diluvium fuiſſe typum baptiſmi (q). Quis ſibi perſuadere poteſt tantam vim

(q) Plurimi, quemadmodum antea jam dixi, convenientiam aquæ diluvianæ & baptiſmi in eo quærunt & ponunt, quod per utramque hinc facta ſit hinc fiat ſervatio. Ita MOSHEMIUS: *olim*, inquit, *cum diluvium tempore Noachi omnes perderet, octo tamen animæ Noachi, arca vectæ, miniſterio aquæ ſervabantur, ita ut incolumes aquas pertranſirent ad ſalutem. Hujus conſervationis veſtigia legere videmus baptiſmum, qui in aqua juxta ſimilitudinem illam nos uſque etiam ſalvat ſalute ſpirituali.* Oſtendi jam, quam elumbis hæc comparatio videatur; hinc eam non amplius moror. cf. rev. SCHEPPII commentat. §. XXV, qui & illos confutat, qui diluvium æque ac baptiſma ejusdem rei, nimirum ſalutis beneficiorumque gratiæ, eſſe ſigna, typos ac ſigilla exiſtimant §. XXVI. Quum igitur intelligeret Vir doctus, baptiſmum aquæ antitypum diluvii appellari non poſſe, de baptiſmo *ſanguinis* heic agi ſtatuit, idque & phraſes textus, & orationis συναφειαν, ac Apoſtoli ſcopum evincere arbitratur. Nam α) baptiſmum ait, vocari αντιτυπον diluvii, Fuiſſe vero diluvium typum calamitatum ac judiciorum divinorum, quibus ſub initia N. T. eccleſia caſtigari, orbis vero Judaicus atque Ethnicus perimi debuerit. β) Apoſtolum exſertis innuere verbis, heic non de baptiſmo aquæ, ſermonem eſſe, cum dicat: *non depoſitio ſordium carnis.* γ) Clarum etiam hoc eſſe ex eo, quod affirmative de

vim aquarum, quæ totum orbem delerunt, & ex quibus paucæ tantum animæ evaserunt,

de baptismo pronuncietur, dum dicatur *interrogatio bonæ conscientiæ ad Deum*, quippe quod in aquæ baptisma non quadret. δ) Contextum etiam atque scopum Apostoli exigere, ut de sanguinis baptismate accipiamus. Verum enimvero suo loco demonstraturus sum, nullum ex his argumentis obstare, quo minus baptismum aquæ intelligamus: quid? quod iisdem fere argumentis probaturus sum, hunc, neque alium, intelligendum esse. Prius certe argumentum non adversatur. Fuit omnino diluvium typus judiciorum divinorum, quibus orbis incredulus puniri debuit. Sed ex hoc ipso elucet, baptismum non vocari diluvii antitypum. Aliam ingreditur viam celeb. J. D. MICHAELIS in *Theol. typica* p. 30. Liceat mihi ipsa ejus verba adscribere. Zu diesen natürlichen Vorbildern kan es auch gerechnet werden, wenn zwey Sinnbilder oder Beyspiele einer dritten Sache einander deswegen selbst ähnlich sind, weil sie beyde einer dritten ähnlich seyn müssen. So ist das Wasser der christlichen Taufe ein Sinnbild der Straf-Gerichten Gottes über unsere Sünden, die an Christo vollzogen sind, auf daß wir damit verschonet bleiben möchten, oder die Leidens-Taufe Christi; sie bilden ab als würden wir mit eben der Leidens-Taufe getaufet und ersäuffet, allein ohne daß wirklich an uns eine Strafe der Sünden vollzogen wird: die Wasser der Sündfluth aber sind ein ausnehmendes Beyspiel der strafenden Gerechtigkeit Gottes, welche dem Noah und seinen Söhnen nahe kame; ohne sie zu vertilgen.

Es

runt, baptiſmum adumbraſſe? Diluvium fuit evidentiſſimum iræ juſtitiæque divinæ ſignum,

Es iſt daher zwiſchen beyden eine natürliche Gleichheit: und obgleich ſchwer zu glauben iſt, daß die ungeheure Menge Waſſers in der Sündfluth, dadurch Millionen vertilget ſind, eine ſo groſſe und ſchreckliche Geſchichte, eigentlich zum Bilde der Taufe von Gott verordnet ſey, ſo kan ſie doch wegen ihrer natürlichen und nothwendigen Aehnlichkeit von Petro für ein Bild der Taufe ausgegeben werden. Exiſtimat igitur Vir eruditiſſimus, quoniam aqua & baptiſmi & diluvii ſymbola & exempla ſint, judiciorum divinorum juſtitiæque divinæ propter naturalem hanc & neceſſariam ſimilitudinem diluvium baptiſmi typum appellari poſſe. Sed ut ingenue fatear, vim hujus argumenti non video. Hac ratione numerus typorum in infinitum fere augeri poſſet, neque credo, reprehendendi eſſent, qui limites Theologiæ typicæ cumulando tranſiliunt: eſſent enim ſaltem typi naturales. Et, num de ſola aqua in baptiſmo loquitur Apoſtolus? Verum eſt, aquam baptiſmi judicia divina ſeu potius pœnam peccatorum noſtrorum ſignificare, ſed, quod probe attendendum eſt, quatenus eam Servator noſter ſuſtinuit tulitque. Aqua vero diluviana, typus judiciorum divinorum, hanc determinationem, quæ vero eſſentialis quædam baptiſmi pars eſt, non admittit. Præterea integer baptiſmus (neque enim ſolam aquam Apoſtolus ſpectat) ſymbolum & ſigillum imputatæ mortis reſurrectionisque Chriſti exiſtit. Eſt ergo ſignum gratiæ divinæ. Quodſi vero ejus cum diluvio convenientia ſpectaretur, eſſet iræ divinæ ſignum. Paucis: intelligere nequeo, cur

Petrus

ſignum, baptiſmus vero eſt ſymbolum & pignus gratiæ divinæ, cujus per imputationem mortis ac reſurrectionis Chriſti participes reddimur. Num vero ſignum iræ typus eſſe poteſt ſigni gratiæ? Sed quid nodos nectamus, quos diſſecemus, ubi nulli ſunt? Majori jure vox ἀντιτυπον ad ἡμας referri poteſt! *per quem Spiritum nos quoque ſervat, qui ſumus antitypus*: Sed cujus antitypus? octo animarum, quæ fide, verbo, mandatoque Dei habita, adductæ in arcam confugerant, & ejusdem miniſterio ſalvæ atque incolumes ex aquarum periculo evaſerant. Qui enim primis N. T. temporibus vixerunt fideles, illi jure me-

Petrus ſolummodo propter neceſſariam ejusmodi ſimilitudinem baptiſmum diluvii antitypum vocare potuerit: Pace *Viri Doctiſſimi* hæc dicta ſint. Paulo aliter vocem Ἀντίτυπος exponit Venerabilis H. VENEMA in *Diſſ. S.* p. 425. *quæ vox ibi ſpeciali*, inquit, *& peculiari ſenſu paralleliam denotat, qua diluvium & baptiſmum eandem rem ſpiritualem expingere, & in myſtica delineatione ſibi invicem reſpondere, declaratur.* Quo autem fundamento hæc vocis notio & rei ipſius explicatio nitatur, haud docuit Vir Eruditiſſimus. Ego quidem non video, qua ratione omnes difficultates evitari queant, quamdiu hac hypotheſi nitamur, vocem ἀντιτυπον pertinere ad βαπτισμα. At facilis oritur, & naturæ rei verborumque conveniens ſenſus, ſi voces ἡμας ἀντιτυπον conjungimus.

meritoque harum animarum antitypus vocari poterant. α) Jusserat Deus Longanimus, sicut & diebus Noachi factum erat, ubique terrarum resipiscentiam annunciari, remissionemque peccatorum offerri. Quemadmodum octo illi non increduli fuerunt; ita & hi præconio Evangelii fidem habebant, divinam ejus agnoscentes originem. β) Sed exiguus fuit eorum numerus, totius orbis & Judaici & Ethnici ratione habita, quemadmodum & olim pauci servati sunt. γ) Neque solum accipiebant Evangelium, sed & ejus mandata exsequebantur, quemadmodum etiam Noachus cum suis præcepto Dei obtemperavit. Agnoscebant periculum commissorum adhuc scelerum & pœnam iis meritam; ea itaque lugebant: convictique Jesum esse unicam Arcam, in cujus unione iram Dei ob peccata excandescentem & gravissima exspirantem judicia effugere possent, ad Eundem tanquam ad arcem rupemque salutis confugiebant; & cum Eo conjuncti inculpatæque vitæ studiosi in aquas tribulationum se immergi patiebantur, memores, se fluctibus aliquamdiu jactatos siccatam tandem terram in cœlo visuros. δ) Idem quoque his beneficium eundemque eventum atque octo illis animabus obtigisse, verbis σωζει εις Θεον docebimur.

§. 11.

§. 11.

Tempus quoque, quod prætermittendum non est, indicatur servationis divinæ, cum dicitur: ΝΥΝ σωζει. Respicere hanc particulam ad voculam ποτε, supra docui. Voluit igitur significare Apostolus: quemadmodum *olim*, cum diluvii aquæ orbem delerent, arcæ beneficio octo animæ incolumes servatæ sunt; ita *nunc* quoque non minus nos omnipotenti Servatoris nostri auxilio & gratia sarti tectique servabimur.

§. 12.

Jam ipsum beneficium considerandum est, quod a Christo Domino, tanquam Arca, ad pios Christianos, quibus multa ob confessionem ipsius toleranda erant, proficisci dicitur. Indicatur id verbis ΣΩΖΕΙ ΕΙΣ ΘΕΟΝ. Connectendas enim esse has voces, & ex commate antecedente & ex loco quodam parallelo supra demonstravi. Præsens ponitur pro futuro ob certitudinem hujus beneficii. Phrasis autem σωζειν εις τοπον τινα significat: *salvum & incolumem perducere in locum aliquem* (r). Explicanda hæc sunt ex superiori commate, atque

(r) Conf. cel. KYPKE *Observatt.* sacr. ad 2 Tim. IV, 18.

atque imprimis ex verbis: διεσωθησαν δι ὑδατος. Itaque innuit Apoſtolus, inſtare jam quoque, ſicut olim, diluvium, ſcilicet varia eaque gravia judicia, quibus increduli puniendi ſint. Quorum judiciorum fluctus ipſis quoque fidelibus admodum propinquos fore, quemadmodum & aqua diluvii octo illis animabus propinqua fuerit. Eſſe perſecutiones, quibus jam vexentur, hujus judicii, quod a domo Dei incipiat, initium. Sed quoniam in arca collocati ſint, conjuncti per fidem cum Chriſto, eſſe non niſi caſtigationes, quæ non ſint ad ipſorum interitum, ſicut incredulis. Et quamvis undis graviſſimarum perſecutionum jactentur, atque ſæpenumero demergi videantur, impedire tamen Servatorem, ne in æternum pereant. Quin appropinquare tempus, quo liberati ab omnibus ærumnis in ſiccatam veluti terram egreſſuri, hoc eſt, pleniſſima in cœlo communione Dei perfruituri ſint. Duo igitur imprimis his verbis ſignificantur beneficia, liberatio ab omnibus incommodis miſeriisque hujus vitæ, & perductio in plenam communionem Dei, qua in cœlo fruuntur pii. Exprimi primum liberationem ab omni malo, ex propria phraſeos ſignificatione haud difficulter intelligitur. Qui enim ſalvus & incolumis in locum aliquem

quem perductus eſt, is à periculo, in quo verſatus erat, liber eſt & immunis. Liberantur vero pii vel ita, ut quod reliquum eſt temporis, in pace ac tranquillitate tranſigere liceat, vel morte demum liberantur, omnium malorum termino. Prior liberationis ratio paucis primorum Chriſtianorum obtigit. Finitam enim unam miſeriam & perſecutionem altera inſequebatur. Id vero obtigit, ut divina ſuffulti gratia iter hujus vitæ maxime moleſtum ſpinoſumque conficerent, omnes tentationes feliciſſime vincerent, & per mortem in æternam intrarent requiem. Hæc ordinaria eſt via, qua *Deus pios ex tentatione liberare novit* 2 Pet. II, 9. Hæc etiam ſpes fuit beati Pauli, ex faucibus leonis erepti: *ab omni etiam malo me liberaturus eſt Dominus* 2 Tim. IV, 18. Ad poſteriorem hunc modum, quo liberatio morte peragitur, imprimis hic reſpici, ex altero patet beneficio, quod huic priori adjicitur, perductione in plenam communionem Dei. *Plenam* enim ſeu abſolutam in cœlo communionem Dei intelligendam eſſe, ex eo jam patet, quod, qui fide & amore cum Chriſto uniti ſunt, jam in hac vita, cum Deo ambulantes, ejus communione gaudent, quanquam nonnunquam his illisve malis caſtigentur. Cœleſtis hic ad Deum aditus

obedientia Domini noſtri partus eſt. Hinc Apoſtolus dixerat v. 18. paſſum eſſe Chriſtum, *quo nos ad Deum adduceret.* Idem beneficium cum priori conjunctum ſæpenumero ſolo verbo σωθηναι indicatur, & eſt σωτηρια ψυχων c. 1. memorata. Eadem conjungit Paulus, quando loco allato non ſolum liberationem ab omni malo, ſed etiam perductionem in regnum Domini ſui cœleſte exſpectat. Atque graphice a Jacobo poſterius adjungitur: *beatus*, inquit, *vir tentationem ſuſtinens; nam probus factus coronam vitæ accipiet, quam Dominus promiſit Ipſum amantibus.* c. I. v. 12. Taceo alia loca, imprimis in Apoc. glorioſam martyrum felicitatem deprædicantia. Eſt vero duplex hoc beneficium ita comparatum, ut ſervatione, quæ octo illis animabus obtigit, adumbratum eſſe videatur, adeoque novus adſit antitypus. Egreſſio enim ex arca, quacum diu fluctibus jactatæ erant, in ſiccatam terrae ſuperficiem, typus, ni fallor, aut convenientiſſimum ſaltem emblema eſſe poteſt liberationis ex miſeria hujus vitae, & optabilis ad vitam cœleſtem tranſitus (s).

§. 13.

(s) Quum hic ultimo loco de typo hiſtoriæ diluvianæ dicendi occaſio ſit, pauca adhuc monenda eſſe arbitror, ne quis me cancellos regularum typicarum trans-

§. 13.

Hoc vero duplex atque illuſtre beneficium baptiſmo adſcribitur. Dicit enim Apoſtolus: ὡ και ἡμας νυν σωζει ΒΑΠΤΙΣΜΑ ϛις Θεον. Quaeritur, quam ob causam huic

transgreſſum eſſe exiſtimet. Dicent enim, qui Theologiæ typicæ anguſtiores ponunt limites, nondum ſequi, etiamſi apertæ adſint ſimilitudines, idcirco typum ſenſu ſtrictiori hanc eſſe hiſtoriam. Litem ego quidem his non movebo, modo confiteantur, ita eſſe comparatum ſtatum orbis antediluvianum, præconium Noachi, plurimorum incredulitatem ipſum diluvium, arcam, paucorum in hanc confugium, eorundem immerſionem cum arca, & poſtquam cum ea diu fluctibus jactati erant, egreſſionem in ſiccatam terræ ſuperficiem; ita, inquam, hæc eſſe comparata, ut ſaltem typos naturales, quemadmodum a cel. MICHAELIS appellantur, earum rerum, quæ Apoſtoli tempore acciderunt, exhibeant. Verum enimvero mea quidem ſententia plus adeſt. Neque enim video, cur non ad typos ordinatos, hoc eſt, ad eos, qui ſtrictiori ſenſu typi appellantur, hiſtoria diluvii referri queat: Adeſt enim hic, quoad potiora ejus capita, ejusmodi hiſtoria, quam Deus eo quoque fine & fieri & litteris mandari juſſit, ut futuram rem ſimilem adumbraret. Nam etſi non potuit non puniri orbis ante diluvium maxime impius & incredulus, pœna tamen arbitraria fuerat. Deus autem talem elegit, quæ præter alios fines hunc quoque, quemadmodum conjicere licet, voluit conſequi, ut & ſervatio primorum Chriſtianorum & interitus incredulorum adumbraretur.

huic illud tribuat. Equidem, ut doceantur, credo, pii & credentes, hanc liberationem ab omni malo, perductionemque in communionem Dei tam certo ipsis exspectandam esse, quam certo essent baptizati: ita enim comparatum esse baptismum, ut hoc beneficium in ipso adumbretur, promittatur atque obsignetur; adeoque baptismum ejus symbolum esse & sigillum. Videtur quidem, si litteram spectas, baptisma tanquam *causa efficiens* considerari; Sed si rem ipsam perpendas, statim patebit, non urgendam esse litteram. Quis enim existimet, immersionem in aquam & extractionem, quæ baptismum constituunt, scilicet externum, de quo hic sermo est, procurare & efficere beatissimam illam ex miseriis liberationem, & quæ cum hac conjuncta est, perductionem in pleniorem communionem Dei? Ego quidem, qua ratione hi conceptus combinari queant, intelligere nequeo. Et quid opus est probare, baptismum non esse, sicut littera docere videtur, caussam efficientem salutis æternæ, cum ipse nobis dicat Apostolus, quis eam efficiat, scilicet Spiritus Christi, quemadmodum articulo ὡ indicatum esse vidimus? Sed concedes facile, sicut obedientia Servatoris nostri meritoria est, ita Ejus Spiritum efficientem

tem

tem eſſe cauſam; at *efficax medium*, inquies, eſt baptiſmus, quo iſtud beneficium applicatur. Ego vero neque hoc quidem dici poſſe exiſtimo. Proximum enim medium, quo in communionem Dei perducimur, eſt fides in Jeſum Chriſtum: quibus vero hæc fides excitatur, ordinaria media ſunt externe verbum Dei ſeu præconium Evangelii, atque interne operationes Spiritus S. cum uſu verbi conjungi ſolitæ, ſicut facile probari poſſet. Saltem baptiſmi ope neque fides neque gratia ſalvifica donatur ſeu applicatur. In adultis enim fidem adeoque gratiam ſalvificam jam adeſſe oportebat, antequam ab Apoſtolis baptizati ſunt. Elucet hoc ex ipſis Servatoris noſtri verbis: *qui credit & baptizatur, is ſervabitur*, Marc. XVI, 16. Quid enim clarius eſt, quam hoc loco fidem requiri ante baptiſmum, atque medium eſſe unicum ſalutis; baptiſmo vero hanc ſalutem nonniſi ſignificari atque obſignari? Eandem ob cauſam Apoſtoli quærebant, quem baptizaturi erant, utrum credat in Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum. Atque non obſcure fides tanquam unicum medium conſideratur, quando Paulus: *crede*, inquit, *in Dominum Jeſum Chriſtum, & ſervabere tu, domusque tua* Act. XVI. 31. Loca, quæ opponi poſſent, in ipſa baptiſmi explicatio-

ne discutienda occurrent. Quodsi ergo baptismus neque causa efficiens neque medium existit illius beneficii, de quo Petrus loquitur, sequitur, eum esse tantummodo hujus symbolum & sigillum (t). Non desunt nobis rationes, quibus receptam hanc in ecclesia nostra sententiam probare possumus. Sed prætermissis iis, quæ satis notæ sunt, unam tantum afferam, dilucidam, ut arbitror, ex Col. II. 12. desumtam. *Sepulti etiam estis cum Christo in baptismo, in quo* (baptismo) *etiam resuscitati estis cum Eo per fidem.* Utrum fideles, quæso, re ipsa cum Servatore sepulti & in vitam revocati sunt, cum baptizarentur? An tantum symbolice? Videmus igitur ex his verbis, baptismum esse symbolum & sigillum imputationis mortis, sepulturæ & resurrectionis Christi (u). Fides autem hujus imputationis

(t) Optime summe Vener. VENEMA *Relatio*, inquit, *quæ baptismum inter & regenerationem intercedit, non est, ut inter causam & effectum, nec simpliciter ut signum inter & rem significatam, sed ut sigillum ac pignus inter ac rem obsignatam.* Diss. p. 420.

(u) Scilicet à parte Dei. Est enim etiam à parte hominis signum & sigillum. *Quid sibi vult*, verba sunt Incomparabilis VENEMA, *Unio hominis cum aqua, in quam immergitur? Nonne à parte Dei illius*

tionis medium est: nam *per fidem*, inquit Apostolus, cum Christo sepulti resuscitatique estis.

§. 14.

Quæ cum ita sint, jam me oportet ostendere, qua ratione duplex hoc beneficium, verbis σωζει εις Θεον propositum, in baptismo repræsentetur, hoc est, significetur & obsignetur? Quam ob caussam illud de baptismo, quod huc pertinet, explicandum est. Reliqua, quæ præterea ex doctrina baptismi afferri possent, hic vero non attenduntur, præteribo. Occurrit autem in eo tum *aqua*, tum *submersio* & *extractio* consideranda. *Adsperso* enim, apud nos recepta, ejusdem significationis est. *Aqua* plerumque dicunt sanguinem Spiritumque Christi repræsentari, qua de caussa variæ similitudines, longius nonnunquam petitæ, afferri solent. Quodammodo vera esse posset hæc explicatio, quodammodo minus. Quod ut pateat, notandum est, aquam duo posse efficere; neque enim solum delere, verum etiam abluere

illius hominis communio cum Christi obedientia ejusque fructibus, & a parte hominis, ipsius fides, qua Christum complectitur, clare coram oculis depingitur. Diss. cit. p. 414.

luere & purgare poteſt (x). Quodſi eam ſpectamus vim aquæ, qua quod demerſum eſt, delet, tum ſanguis atque Spiritus Servatoris noſtri ea non repræſentantur. Quid enim delent vitaque privant? Si dicas: veterem hominem & peccata; reſpondeo, purgatione effici, ut hæc tollantur, adeoque tum aquam tanquam abluentem conſiderandam eſſe. Quodſi igitur eam reſpiciamus vim aquæ, qua quod immerſum eſt, purgat mundatque; tum paullo majore veri ſpecie prædicari poſſet, ſanguinem & Spiritum Chriſti ſignificari. Verum enimvero cum mihi perſuadere nequeam, aquam in baptiſmo duo, quin tria, plane diverſa, ſignificare; (ſignificaret autem, ſi in communi hac ſententia acquieſcimus), cum præterea effuſio ſanguinis Chriſti immerſione potius denotetur, & purgatio effectus ſit hujus immerſionis; denique cum aqua in baptiſmo Servatoris noſtri, quo cum tamen noſter conſpirat, hunc ſignificatum non admittat: mallem aliam ejus explicandi rationem inſtituere, qua dictis Sacri Codicis, quæ de baptiſmo agunt, melius conſulitur, atque eædem tamen veritates remanent. Notum

(x) Hanc duplicem aquæ vim probe diſcernit Doctiſſ. VENEMA *l. c.* p. 424. 425. atque illam *ſuffocandi* potiſſimum in baptiſmo reſpici contendit.

tum eſt, *aquas* in SSa continuo fere emblema atque ſymbolum eſſe judiciorum pœnarumque divinarum, quas peccatis noſtris promeruimus (y). Itaque & aquam in baptiſmo idem plane ſignificare, hoc minus dubitandum eſt, quod illa etiam aqua, in quam Chriſtus a Johanne immerſus fuit, nihil aliud ſignificaverit (z). Quam ob cauſſam paſſiones ſuas graviſſimas *baptiſma* & *aquam* nuncupat Servator Pſ. LXIX, 2, 3. Matth. XX, 22. Luc. XII, 50. Quid igitur *immerſio* in aquam adumbret, haud obſcurum eſt. Scilicet in animum nobis revocat, Chriſtum tanquam veram Arcam aquas pœnarum divinarum, quas promeruerunt, qui cum eo conjuncti ſunt, ipſorum loco ſua

(y) Conf. EWALDI *emblem. Sacr.* part. II. Exercit VII. §. 2. rev. SCHEPPIUS in *commentat.* cit. §. XXIV. & cel. MICHAELIS *Theol. typ.* p. 30, 147, 148.

(z) Paulo aliter Eruditiſſ. VENEMA *lib.* ſæpius *cit.* p. 425. aquam baptiſmi exponit, *aqua*, inquiens, *ut tum ex Chriſti immerſione, tum ex comparatione cum diluvio & mari rubro liquet*, juſtitiam Dei Vindicativam, *ut dicitur, qua peccator ſine publica Nominis Dei ſanctificatione non dimittitur, quæ ira Dei appellari ſolet, denotat.* Res eodem redit, Pœnæ enim Divinæ juſtitiæ Dei Vindicativæ ſunt effectus. Mallem tamen dicere, hos effectus juſtitiæ Divinæ aqua ſignificari, quod immerſio in pœnas ſeu judicia, quam in juſtitiam concinnius dici poteſt.

ſua ſponte ſubiiſſe, atque iis penitus demerſum ſanguinis effuſione cruentam ſuſtinuiſſe mortem & ſepultum eſſe. Quid *extractio* ſignificet, non minus clarum eſt. Docet nos, Ipſum mortuum quidem & ſepultum, at in vitam tamen revocatum & in perennem gloriam evectum eſſe. Primæ hæ ſunt veritates, quæ baptiſmo ſymbolice repræſentantur. Sed jam oſtendendum eſt, quæ beneficia fidelibus promittantur & obſignentur. Neque enim eum ſolummodo in finem baptiſmus inſtitutus eſt, ut memoriam paſſionum, mortis, ſepulturæ & reſurrectionis Chriſti recolamus, ſed etiam ut ſymbolice edoceamur, quæ nobis inde bona proveniant, ſi fide cum Eo conjuncti ſumus. Applicatur nobis aqua, dum immergimur, ſive, quod perinde eſt, dum ea adſpergimur, id quod nobis imputationem totius meriti Chriſti ſignificat & obſignat. Primum ergo, quando ſubmergimur, ſignum & ſigillum Deus nobis largitur, mortem Servatoris noſtri nobis imputari. Idcirco dicimur *in mortem Ejus baptizati* Rom. VI, 3. Quodſi autem mors Ejus nobis imputatur, liberi ſumus a pœna peccatorum noſtrorum. Ergo etiam remiſſio peccatorum noſtrorum nobis obſignatur, doceturque, mala, quæ ferenda ſunt, non eſſe pœnas ad interitum, ſed

tantum

tantum caſtigationes paternas. Intelligimus inde, cur Johannes prædicaverit *baptiſmum reſipiſcentiæ ad remiſſionem peccatorum* Luc. III, 3; cur Petrus dicat: *Reſipiſcite, & baptizetur unusquisque veſtrum in nomen Jeſu Chriſti, in remiſſionem peccatorum* Act. II, 38. Ananiasque Paulo: *baptizator, & abluitor a peccatis tuis, invocato nomine Domini*, Act. XXII, 16. Quodſi enim aquæ ſpiritualis ejusmodi operatio, atque actio, quæ ſoli Deo competit, tribui non poteſt, ea locutione tantummodo indicatur, immerſionem in aquam ſignificare & obſignare imputationem mortis Chriſti, & fluentem inde remiſſionem peccatorum (aa). Mortem Servatoris inſecuta Ejus eſt ſepultura; & quando aquis ſubmergimur, ſigillum accipimus ex manu benigniſſimi Dei, etiam hanc ſepulturam nobis imputari. Dicimur idcirco *cum Eo ſepulti in baptiſmo* Rom. VI, 4. Col. II, 12. Sed quid inde boni & ſolatii? Magnum

(aa) Ex dictis allatis clarum eſt, aquam, quando remiſſio peccatorum ſignificanda & obſignanda eſt, tanquam *abluentem* conſiderari. Eſt ergo *ablutio* in baptiſmo cum *immerſione* quam arctiſſime conjuncta. Quid hoc ſignificat, niſi immenſis paſſionibus cruentaque morte Servatorem perfectiſſimam nobis promeruiſſe remiſſionem peccatorum, atque eum, cui immerſio ſeu obedientia Chriſti paſſiva imputata eſt, *ablutum* ſeu purgatum eſſe à peccatis jam jam commiſſis eorumque reatu.

Magnum ſane. Docemur enim, ſepulcrum, quo corpora noſtra conduntur, non pœnam, ſed locum eſſe, quo ea, omni labore exantlato, quieſcunt, ſanctum ſepultura Servatoris noſtri redditum. Quando autem extrahimur ſeu ex aqua ſurgimus, pignus divinum nobis traditur, etiam reſurrectionis Domini noſtri, &, quæ hanc inſecuta eſt, vitæ in cœlo glorioſæ nos participes eſſe. Dicimur idcirco *cum Chriſto reſuſcitati in baptiſmo* Rom. VI, 4. Col. II. 12. Quodſi ergo hæc quoque fidelibus imputantur, idem eſt, ac ſi jam per mortem & reſurrectionem in cœlum tranſiiſſent, atque in æternum viverent. Hanc totius meriti Chriſti imputationem in baptiſmo adumbratam obſignatamque reſpiciens Paulus: *quotquot*, inquit, *baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis.* Gal. III, 27. Sufficiant hæc: jam enim in aprico eſſe arbitror, duplex illud beneficium, liberationem ab omni malo, & perductionem in pleniorem communionem Dei, in baptiſmo ſignificari & obſignari (bb). Cui enim mors, ſepultura &

b) Itaque non video, cur baptiſmo *aquæ* relicto de *ſanguinis* baptiſmate ſermonem heic eſſe cum rev. SCHEPPIO ſtatuamus. Nam, ut taceam, afflictiones fidelium nunquam in ſacris Apoſtolorum epiſtolis baptiſmi nomine venire, nequeunt etiam dici

& resurrectio Christi imputata est, hæc ei beneficia tam certo exspectare licet, quam certo baptizatum se esse novit.

§. 15.

dici σωζειν εις Θεον. Num enim afflictiones ex afflictionibus liberant? Num in communionem Dei cœlestem nos ducunt? Licet enim insignem apud pios habeant usum, hic tamen usus ad perductionem in æternam felicitatem non extendendus est. Si hoc prædicarem, quid dicerem, nisi ea obstacula, ea incommoda, quæ viatorem diutius vexarunt, ad eum tandem locum, quem intendebat, perduxisse ipsum incolumem? Tribulationes enim & persecutiones non sunt nisi obstacula, quæ piis opponuntur, ad abducendos eos a veritatis virtutisque tramite. Excitant in iis certas virtutes, atque corruptionem spiritualem magis magisque tollunt: *qui enim carne patitur, peccare cessat.* c. IV. 1. Cel. NONNENIUS ita παραφραζει: *Diluvii illius antitypus nunc adest respectu nostrum, aderitque mox respectu vestrorum adversariorum, sed per judicia divina salvandorum. Adplico hoc primum ad nos. Quo, sive, per quem Spiritum, nunc quoque nos servat baptisma, aquarum diluvii antitypus, (quod non est sordium corporis detractio, sed stipulatio bonæ conscientiæ ad Deum) per resurrectionem Jesu Christi. Purganda sunt omnia & eluenda aquis seu beneficiorum seu judiciorum divinorum, vos estis ex aquis judiciorum servati per Spiritum in baptismate referente imaginem aquarum judicii severissimi in orbem universum, ut Deo vivatis, quamobrem virtutibus studendum & a priscis moribus abstinendum est.* Utrum hæc consistere queant, nec ne, ex iis, quæ hactenus

§. 15.

Sed non tantum Deus in baptiſmo aliquid promittit & obſignat, verum etiam qui baptizatur, & baptiſmus tum demum homini ſigillum tanti eſt beneficii, quando jus jurandum ſuum ſervat, ſeu obligationi ſuæ ſatisfacit. Nequis ergo doctrina baptiſmi ad vitam indecentem abuteretur, exiſtimaretque, ſatis eſſe, modo in aquam immerſus ſit; conditionem indicat Apoſtolus in parentheſi, qua ſola baptiſmus illius beneficii ſignum atque pignus eſſe poterat: ου σαρκος αποθεσις ρυπου, inquit, αλλα συνειδησεως αγαθης επερωτημα, non depoſitio ſordium carnis, *ſed bonæ conſcientiæ reſponſio.* Hæc enim verba vel deſcriptionem baptiſmi continent, vel conditionem tantummodo. Non deſcriptionem: Adeſt enim revera in baptiſmo σαρκος αποθεσις ρυπου. Itaque tantum hoc innuit Apoſtolus: apud quem baptiſmus nihil præſtitit, niſi corporis a ſordibus ſuis purgationem, is ſibi illam ex omni malo liberationem perductionemque in communionem Dei polliceri nequit; ſed tum demum baptiſmus hujus beneficii ſignum eſt & ſigillum, ſi bonæ ſtudeamus conſcientiæ, adeoque actu

dixi, haud obſcurum erit. Ergo iis confutandis ſuperſedere licet.

actu ea præstemus, quæ Deo interroganti in baptismo promisimus. Nuncupat hoc Apostolus αγαθης συνειδησεως επερωτημα; quod quidem primum expositurus, & tum in baptismo promitti demonstraturus sum. *Est vero*, sunt verba rev. SCHEPPII, *conscientia, ut ita dicam, vicarius Dei judex, in anima nostra residens, qui* quid bonum quidve malum, *quid agendum quidve omittendum sit, judicat, atque nos, si malum admiserimus, accusat angitque, vel si bonum, excusat, lætitiaque perfundit. Paulus Rom.* II, 15. *loquitur de conscientia contestante, & de ratiocinationibus se invicem accusantibus, vel etiam defendentibus. Bonam habemus conscientiam, si integro animo omnibusque viribus a malo abstinemus, sive scientes volentesque nihil perpetramus, quod adversus divinam legem pugnat. Hæc alibi audit: conscientia bona, Hebr.* XIII, 18. *pura, 2 Tim.* I, 3. *inoffensa, Act.* XXIV, 16. *Ex ea, si habemus, nascitur nobis lætitia coram Deo, fiducia adversus Deum, certaque de divino in nos favore persuasio. E contrario malam habemus conscientiam, si peccatum scientes volentesque committimus. Quæ in sacris litteris nuncupatur conscientia cauteriata, 1 Tim.* IV, 2. *polluta, Tit.* I, 15. *mala, Hebr.* X, 22. *Ex qua oritur animi angor, metusque de pœnis summi legislatoris & judicis, peccata certissime insequuturis.* His nihil addo. Sed quid bonæ hujus conscientiæ επερωτημα? Constat, varios

huic voci ab oraculorum divinorum interpretibus tribui significatus. Alii *stipulationem*, *adstipulationem*, *fœdus*, alii *arrhabonem*, *demonstrationem*, alii *interrogationem*, *explorationem*, alii aliter vertunt. (cc). Ego vero simplicissime per *responsionem* transferri posse existimo (dd). Neque enim scio, quid huc melius quadret, quam hic conceptus. Tum vero adest bonæ conscientiæ responsio, quando bona hæc conscientia, ex vita oriens ad legem Servatoris composita, continuo respondet, hoc est, actu præstat,

(cc) Longior forem, si omnia, quæ de hac voce minus recte dicta esse existimo, confutaturus essem, vide varias de ea sententias apud WOLFIUM, & quos adducit.

(dd) Vi originis est ἐπερώτημα *aliquid ad interrogationem* h. e. responsio. Quodsi autem hoc longius petitum dicas, alia ratione hunc significatum eruere licet. Esset proprie ἐπερωταν *insuper interrogare*, quod est nonnunquam, interrogantem loco responsionis pariter interrogare. Hinc simpliciter mox significat interrogare, mox respondere. Hoc significatu fortasse sumitur. Luc. II, 46. *post tres dies invenerunt Eum in templo sedentem in medio magistrorum, & audientem illos* και ἐπερωτωντα αυτους *& respondentem illis interrogantibus.* Additur enim v. 47. *Obstupescebant autem omnes audientes Eum, propter intelligentiam &* responsiones *Ejus.* Vox ἐπερωτημα occurrit apud τους LXX. Dan. IV, 14. ubi non *confugium ad Deum & postulationem salutis* indicat, quæ ELSNERI est sententia. Significat enim h. l. שְׁאֵלָא *sententiam*

stat, quæ Deo interroganti in baptismo promissa sunt.

§. 16.

tiam rogatam. *) Hinc recte cel. BüSCHINGIUS in *epit. theol.* e *solis sacris litt.* concinn. p. 29. edit. prim. *vox* ἐπερώτημα inquit, *apud Dan. in vers. Græca, significat decretum judiciale, quod post interrogationem singulorum senatorum prodiit.* Eundem significatum habet GR. NAZIANZENUS a CLARIO adductus in *Bibl. crit. quo fit, ut bona conscientia secure respondeat Deo.* Ita etiam TERTULLIANUS de *resurr. carnis* citatus GROTIO, *anima non lavatione sed responsione sancitur.* Idem GROTIUS, postquam dixerat, ἐπερώτημα esse vocem juris & stipulationem significare; sed per μετωνυμιαν, inquit, ut in Jure sæpe, nomine stipulationis comprehenditur & responsio sive promissio. Huic etiam calculum adjicit Doctiss. VENEMA l. c. p. 404. Id modo monendum esse arbitror ἀγαθῆς συνειδήσεως ἐπερώτημα proprie non esse ipsam adstipulationem s. promissionem in baptismo factam, sed *exsecutionem* hujus adstipulationis. Neque enim promittentibus sed stantibus promisso jus ad promissiones Dei, quarum baptismus ea lege signum & sigillum est,

*) Eodem modo locum Danielis apud τους ὁ explicant BEAUSOBRE & *l'ENFANT* in *Remarques hist. Crit. & Philol. sur le N. T.* & exinde ad determinandam vocis hujus significationem ita concludit l'ENFANTIUS. *Je crois, que la veritable signification de ce mot est une ferme resolution d' une bonne conscience, c'est-à-dire, une repentance sincere.* Non abludunt hæc a Doct. Auctoris sententia. N. B.

§. 16.

Quidnam igitur eſt, quod nos Deus in baptiſmo interrogat? Et quæ ipſi a nobis promittuntur & obſignantur? Non opus eſt, ut interrogationem ore pronunciatam ſtatuamus. Quemadmodum enim Deus ſymbolice tantum promittit; ita etiam Apoſtoli Dei nomine ſymbolice tantum interrogaſſe, & qui baptizati ſunt, pari modo ſymbolice tantum reſpondiſſe videntur. Quum vero interrogatio Dei & promiſſio baptizati conveniant, hanc tantummodo explicemus neceſſe eſt. Quando baptizandus immergitur, confitetur primum, ſe dignum eſſe, qui ob delicta ſua aquis judiciorum, pœnarum æternæque mortis obruatur atque deleatur? Confitetur ergo peccata ſua; juſtam declarans juſtitiam divinam, ſeque ipſum injuſtum condemnatione que dignum. Quod autem quum *pœnitentia* ſeu *reſipiſcentia* audiat, hanc ſolennisſime teſtatur, declaratque, vitam antea actam, ad legem quippe pravarum cupiditatum compoſitam, ſibi maxime diſplicere. Dicitur baptiſmus hanc ob cauſſam *baptiſmus reſipiſcentiæ*; quæ ergo ante illum

eſt, competit. Tota igitur vita quæ baptiſmum inſequitur, ſit promiſſionis in baptiſmo datæ exſecutio, ſeu, quod perinde eſt, bonæ conſcientiæ reſponſio.

illum jam adſit neceſſe eſt. Hinc etiam Petrus loco allato: *reſipiſcite*, ait, *& baptizetur unusquisque.* Aliud præterea confitemur, quando in aquas immergimur. Teſtamur enim, nos nulla ratione a pœna peccatorum noſtrorum liberari nec poſſe nec velle, niſi conjunctione cum Chriſto, loco peccatorum paſſo atque mortuo; nos meritum Ipſius unicam habere & perfectam ſalutis cauſam; nos ardenter illud cupere, & oblatum accipere, nec dubitare, Deum, hoc Servatoris reſpicientem meritum, omnia nobis peccata remittere. Quod cum *fides* dicatur, hanc quoque in baptiſmo teſtamur: quæ ergo ante eum pari modo jam adſit oportet. Confitemur denique, quando immergimur, nos per eam Spiritus S. gratiam, quæ a Chriſto parta, nobiscum jam communicata eſt, & quam deinceps communicatum iri confidimus, dominio peccati nos ſubducere, ſeu *veterem hominem* h. e. propagatam ad nos a parentibus peccandi libidinem tam certo magis magisque exſtincturos eſſe, quam certo, dum immergimur in aquas, mori videmur: eſſe enim peccata, quæ Servatori noſtro mortem crearunt, tam fœda, ut cum maxime dedeceant, qui Chriſti eſſe diſcipulus Eumque ſequi cupit. Monemur idcirco *veterem deponere* ſeu *exuere hominem*

Ephes. IV, 22. *necare membra, quæ in terra sunt*, Col. III, 5. & *crucifigere carnem, affectus & cupiditates* Gal. V, 24. Quod cum *regeneratio* vocetur, in baptismo testamur, regeneratos nos esse; quod ergo non minus eum præcedere debet (ee). Quando autem ex aqua surgimus, confitemur & jurisjurandi loco promittimus, nos, qui jam ob resurrectionem Domini nostri nobis imputatam hæredes simus vitæ cœlestis, non amplius quæsituros esse quæ in terra, sed ea, quæ supra sunt, ubi Christus est, sedens ad dextram Dei, Col. III, 1; nos igitur velle non solum veterem exuere hominem, sed etiam *novum induere*, Ephes. IV, 24. h. e. in nova vita, ad legem Servatoris compositа, tam certo ambulare, quam certo novus homo in baptismo surgere videtur, Rom. VI, 4. Pollicemur denique, nos hæc omnia tanta religione, tanta animi constantia, tantaque cura, & voluptate

(ee) Sed, quod probe notes, apud adultos, ad quales Petrus loquitur. Apud infantes res aliter se habet. Hi enim actu pœnitentiam agere, credere & regenerati esse nequeunt, cum harum rerum nondum capaces sint. Nihilominus baptizandi sunt ob rationes gravissimas, quas, satis quippe notas, heic afferre supersedeo. Quando autem adolescunt, illud quod jam primis vitæ suæ diebus sposponderunt, exsequantur necesse est.

voluptate acturos esse, ut in aquas passionum, persecutionum & ipsius mortis immergi malimus, quam Christo, tot ac tanta pro nobis passo, fidem non servare, turpissimaque Doctrinæ Ipsius abnegatione perjuri esse, memores, nos ex omnibus ærumnis & miseriis suo tempore liberatos, in vitam cœlestem transductum iri. Possem specialiora proferre, quæ in dictis latent: Sed ne brevitatis limites transgrediar, hæc sufficiant. Non est igitur, sicut patet, baptismus Illius beneficii, quod exposuimus, signum & sigillum, nisi ea lege, si hæc omnia, quæ Deo promisimus, pro virium modulo præstare annitimur (ff).

§. 17.

(ff) Etiam hinc videre nunc est, non opus esse, ut cum rev. SCHEPPIO ad *sanguinis* baptisma confugiamus. Existimat quidem vir doctus, phrasi σαρκος αποθεσις ρυπου baptismum aquæ indicari, itaque Apostolum docere nos, de hoc non esse cogitandum, quando hic de baptismo loquatur. Sed corruit hoc argumentum, eam præcipue ob causam, quia hac parenthesi non descriptio baptismi, sed conditio tantum continetur. Quodsi præterea bonæ conscientiæ responsio necessaria est, ut baptismus semper eorum beneficiorum, quæ nobis in eo significantur & promittuntur, symbolum nobis sit & sigillum: id, quod affirmative de baptismo pronunciatur, pariter nos minime cogit, a proprio significatu recedere. Neque orationis συναφειαν

§. 17.

Quæri autem poterat, undenam baptismus tanti beneficii significandi obsignandique vim potissimum habeat. Edocet igitur Apostolus, fundamentum esse resurrectionem Domini nostri. *Baptismus*, inquit, *per eundem Spiritum incolumes nos perducit ad Deum propter resurrectionem* Jesu Christi (gg). Non temere particula διὰ, licet hic secundum casum regat, ita vertitur, ac si quarto præponatur. Nam medium his verbis non indicatur: id enim jam indicatum est voce ᾧ, *perquem Spiritum*. Ceterum ipsum Petri ratiocinium ex iis, quæ de baptismo dixi, non obscurum est. Nam cur baptismus remissionem peccatorum, adeoque libera-

obesse, luculenter demonstravisse mihi videor. Denique si ad scopum adhibeamus animum, quid magis pios Christianos in afflictionibus consolari potuit, quam baptismus aquæ, tam jucundum ipsis exitum promittens?

(gg) Eorum, quos inter imprimis DEYLINGIUS observatt. sacr. P. I. p. 323. sententiam non moror, qui hæc verba cum parenthesi connectentes ita vertunt: fœdus bonæ conscientiæ cum Deo per resurrectionem Jesu Christi pactum. Corruit enim hæc construendi ratio per ea, quæ in antecedentibus probata sunt. Neque etiam intelligi potest, si res ipsa spectetur, qua ratione resuscitatio Servatoris ex mortuis medium esse possit fœderis cum Deo pangendi.

liberationem a pœna, ſignificat & obſignat? Eam ob cauſſam, quod Servator, Caput fidelium, mortuus eſt, ipſorumque loco pœnas peccatorum tulit. Cur igitur idem baptiſmus perductionem in communionem Dei ſeu vitam cœleſtem promittit? Ideo, quod Servator ex mortuis reſuscitatus eſt, atque in æternum vivit. His præſtructis ſenſum Apoſtoli manifeſtum eſſe arbitror: Hæc autem ſpes, inquit, & fiducia ex baptiſmo concepta, quæ in nobis animum patientem excitet, immobili nititur fundamento, ſcilicet reſurrectione & vita Domini noſtri in æternum perduratura; extracti enim, cum baptizaremur, ex aqua, hac ipſa extractione edocti fuimus, non ſolum mortem Ipſius nobis imputari, ſed vitæ etiam Ejus nos eſſe participes: Quam certo igitur Servator ex mortuis reſuscitatus eſt; tam certo nos etiam per aquas afflictionum incolumes ducti beatiſſima cum Deo communione aliquando perfruituri ſumus.

§. 18.

Quæ reſtant, per ſe clara ſunt, adeoque breviorem hic eſſe licet. Dicit Apoſtolus! Ὃς ἐστιν ἐν δεξιᾷ τοῦ Θεοῦ, πορευθεὶς εἰς οὐρανὸν, ὑποταγέντων αὐτῷ ἀγγέλων καὶ ἐξουσιῶν καὶ δυνάμεων. Duas his verbis rationes

tiones proponit Petrus, quibus beneficium illud liberationis ex omni malo perductionisque in communionem Dei, quod a Spiritu Christi exspectandum esse ex baptismo demonstraverat, ulterius clariusque probat. Prior ex adscensione Servatoris in cœlum, altera ex sessione Ejus ad dextram Patris desumta est. Fideles membra sunt Christi: fide enim & amore quam arctissime cum Eo tanquam Capite conjuncti sunt. Quodsi autem Caput in cœlum abiit, sequentur etiam fideles, quippe qui magno die judicii *rapientur nubibus in occursum Domini per aërem, atque ita semper erunt cum Domino* 1 Thess. IV, 17. Itaque clarum est, quid significare voluerit Apostolus. Non solum, ait, ex mortuis resurrexit Servator, sed etiam sublimis in cœlum abiit, ubi vivit in statu glorioſissimo: quum igitur Ejus membra simus, quid dubii est, nos pariter aliquando in cœlum abituros, atque in communione Dei futuros esse?

§. 19.

Quæ ex sessione Servatoris ad dextram Patris desumta est ratio, non minus facit ad convincendos fideles, calamitate pressos, illud beneficium ab ipsis exspectari posse quam certissime. Impropriam hanc locu-

locutionem notare evectionem Christi qua Θεανθρωπου ad summum honoris potestatisque fastigium, tam notum est, quam quod notissimum. Ad potestatem autem hic imprimis respicitur: Ipse enim Apostolus, optimus verborum suorum interpres: *subjecti Ei sunt angeli*, inquit, *& potestates & potentiæ*. Non moror, diversum verba hæc explicandi modum, ab aliis quippe uberius expositum (hh). Per *Angelos* & bonos & malos intelligimus: neque enim video, cur hos excludendos existimemus. Boni Angeli Domino nostro subjecti sunt, quod Eum adorant, eorumque Ipse utitur ministerio ad suos tuendos, Hebr. I, 6. 14. mali angeli, quod morte Ejus serpenti caput contritum. Per *potestates* autem & *potentias* homines intelligimus quoscunque potestate præditos. Hi pari modo imperio Servatoris nostri subjecti sunt. Nam Ei in cœlum proficiscenti omnis potestas non tantum in cœlo, sed etiam in terra est tradita. Corda regum sunt in manu ipsius, dirigitque ea, quocunque vult. Est Jehova exercituum, Rex regum & Dominus dominorum, cujus imperio nihil potest resistere, quique ita omnia gubernat, ut cedant ad nominis ipsius gloriam,

(hh) Cf. imprimis rev. SCHEPPII commentat. sæpius cit. §. XXXII. fin.

am, & fidelium bonum, emolumentumque: iis enim, qui Deum amant, omnia, ipsæ afflictiones & miseriæ, ad bonum serviant oportet. Facit autem omnino exaltatio hæc Servatoris ad convincendos fideles, nihil certius esse illo beneficio, sicut ex paraphrasi patescet.

§. 20.

Jam igitur sequatur uberior totius sectionis, quam adhuc explicuimus, paraphrasis, quo omnia, quæ observavi, in nexu perspiciantur, atque adeo eluceat, qua ratione verba cohæreant.

Non desunt nobis rationes, quibus ducti calamitates omnes, quas nobis improbi propter confessionem Evangelii inferunt, patienti animo feramus. Primam rationem merito a Servatore nostro desumimus. Quanta enim & quam gravia mala Is non perpessus est, quo peccata nostra expiaret, glorioſamque in cœlo communionem cum Deo nobis pararet? Postulat gratitudo, quam Ipsi pro immerito hoc beneficio debemus, ut nos pari modo miserias cujuscunque generis, quibus ob confessionem Ipsius ab incredulis affligimur, patienter feramus. Et considerate, Eum tanquam justum, qui Ipse non peccaverat, pro injustis peccatoribus passum atque mortuum esse. Nos igitur, qui sumus ex his injustis, nonne etiam aliquid lubentissime patiamur propter justum benefactorem, qui pro nobis injustis

mortem

mortem subiit? Considerate porro, Eum semel tantum passum esse. Postquam enim calicem, qui Ipsi infusus erat, semel exhauserat, non erat amplius in potestate suorum hostium. Pari modo & nobis non plus ferendum est, quam voluntas Servatoris nostri permittit. Quando portionem afflictionum nobis destinatam pertulimus, ne minimum quidem malum ulterius nobis accidere poterit. Et quousque Judæi dementiam suam perducere potuerunt? Non ulterius, quam ut Ipsius corpus necarent. Et quousque jam malitiæ persecutores nostri procedere poterunt? Ad summum eo, ut vita corporis nos privent: sed animam, partem nostri nobilissimam, occidere nequeunt. Atque eadem corpora, quæ occisuri essent, omnipotente tamen Servatoris Spiritu aliquando in vitam revocabuntur, quemadmodum Ipse sibi eodem vitam reddidit.

Aliam vobis rationem proponam, quæ vobis partim persecutorum vestrorum tristissimam sortem, partim statum vestrum glorioſissimum, exantlatis miseriis vos manentem, ob oculos ponet. Id scilicet habetote, his temporibus eventum quendam & tristem & lætum, qui olim accidit, denuo accidere. Typum vobis primum narrabo, & tum ejus ad hæc tempora applicationem faciam. Olim, scilicet tempore Noachi, impietas hominum ad summum usque fastigium adscenderat. Vivebant ubique mortales ad solam pravarum cupiditatum amussim. Religione susque deque habita profundissima ubique

dom-

dominabatur ſecuritas. Non potuit igitur non puniri orbis maxime improbus. Sed quid egit Chriſtus, antequam homines diluvio delerentur? Deſcendit, uti ſcriptura loquitur, non humana indutus forma, ſed cum Spiritu ſuo, qui in omnibus Prophetis fuit. Hoc Spiritu inſtructus impulſusque Noachus, fiebat præco juſtitiæ. Per hunc igitur Patriarcham prædicabat Servator: arguebat, adhortabatur, minabatur. Quin longanimitas Divina, quæ in peccatorem non ſtatim animadvertit, ſed tempus concedit ad reſipiſcentiam, centum & viginti annorum ſpatium improbis ad meliorem redeundi frugem largita eſt. Sed fruſtra Noachus prædicabat: illi ſurdi erant. Noachus exſtruebat arcam: illi vero ſibi perſuaderi non patiebantur, ſed ſecuri atque increduli permanebant. Qua de cauſſa longanimitas Divina non ulterius exſpectabat. Poſtquam enim conſtitutum tempus præterlapſum erat, abyſſo magnarum profunditatum & feneſtris cœli apertis, pluebat dies noctesque quadraginta. In his aquis peribant improbi & increduli. Quid? quod non ſolum corpora ipſorum pœnas luerunt, ſed etiam animæ. Hae enim jam in carcere inferni cuſtodiuntur. Ex tanto hominum, quibus tum terrarum orbis inhabitabatur, numero pauciſſimi tantum (erant enim non plures quam octo) reperti ſunt, qui incredulitatis veſtigia non perſequebantur. Hi in arcam confugerunt, ejusque ope ex diluvii aquis ſervati ſunt. Itaque aquæ ipſis quidem propinquæ erant, ſed delere eos non poterant.

Fere-

Ferebantur enim, in arca collocati per medios fluctus, tandemque incolumes in siccatam terræ superficiem egrediebantur.

Jam vobis declarabo, quidnam typico hoc eventu adumbratum sit. Utinam enim jam non obtineret facies orbis tristissima, quæ ante diluvium obtinuit? Sed est, proh dolor! eadem impietas; idem existit religionis contemtus; eadem scelera secure & impune committuntur. Imminent igitur, quemadmodum tunc, magna Dei, justissimi flagitiorum Vindicis, judicia, quibus & Judæi & Gentiles increduli puniendi sunt. Sicut olim profectus erat Christus & per Noachum, Spiritu suo actum, prædicaverat; ita & nunc adest per præcones justitiæ, omnes ad resipiscentiam adhortans. Quin pari modo exspectat longanimitas Divina, sed semel tantum exspectabit ad certum tempus. Quis igitur exitus persecutorum nostrorum, in incredulitate perseverantium? Dicamne, ipsos in aquis judiciorum interituros? Dicamne, spiritibus eorum perversis carcerem inferni paratum esse? Sed taceo hanc, quæ diluvio adumbrata fuit, incredulorum sortem infelicissimam: neque enim quidquam habet, quod nos consoletur. Verum enimvero lætiorem, qui ad nos spectat, typum nobis sistit felicissima illa octo animarum ex aquis diluvii servatio. Idem enim Spiritus, eadem Servatoris nostri omnipotentia, quæ has paucas servavit animas, nos quoque, qui sumus earum antitypus, exiguo pariter existentes numero, his temporibus difficillimis inco-

lumes atque ab omni malo liberatos in pleniſſimam cum Deo communionem perductura eſt. Etiamſi aquæ judiciorum divinorum nos circumdent, minus tamen delebunt. Dum enim cum Chriſto, arcæ illius antitypo, quam arctiſſime fide & amore conjuncti ſumus, ſalvi per medios fluctus navigabimus, ſiccatam quaſi terram in cœlo tandem viſuri, ubi non amplius fluctibus afflictionum miſeriarumque jactabimur. Hanc ſpem Baptiſmus in nobis excitet neceſſe eſt, atque excitabit, quando veram ejus indolem probe intelligimus. Dum immerſi fuimus in aquam, ſigno hoc nobis & ſigillo fuit, paſſiones, mortem & ſepulturam Chriſti nobis imputari. Dum extracti fuimus ex aqua, docti convictique fuimus, etiam reſurrectionem & vitam Ejus in æternum perduraturam nobis imputari. Quodſi autem hæc nobis imputantur, nulla peccatorum noſtrorum pœna nos manet, ſed jam vitæ cœleſtis hæredes ſumus. Quid igitur dubitemus, arcam illam, in quam confugimus, incolumes & ab omnibus ærumnis plane liberos in communionem Dei nos perducturam eſſe?

Sed probe attendite, qua lege Baptiſmus tanti beneficii ſignum ſigillumque nobis eſt. Cui enim ille nihil aliud præſtitit, quam ut corpus a ſordibus ſuis purgatum ſit, is ſibi hanc in communionem Dei perductionem, & quæ cum ea conjuncta eſt, liberationem ex omni malo polliceri nequit. Significavimus, dum immerſi ſumus, nos peccata adhuc commiſſa agnoſcere & dolere, nos ab his nonniſi con-

conjunctione cum Christo liberari posse, & velle, & per Spiritus S. gratiam, nobiscum communicatam, peccandi libidinem magis magisque exstincturos. Promisimus, dum surreximus ex aqua, nos in nova vita, ad legem Servatoris nostri composita, ambulaturos, atque hæc omnia tanti animi constantia acturos esse, ut in aquas persecutionum immergi malimus, quam Domino nostro fidem non servare. Quare bonæ studeamus conscientiæ, actuque præstemus, quæ Deo promisimus, si Baptismum tam egregii beneficii signum sigillumque nobis esse volumus.

Intelligitur ex his, quæ dixi, quonam potissimum fundamento spes illa nostra ex baptismo hausta nitatur. Nititur resurrectione Domini nostri, quæ nobis, imputata est. Quam certo enim Is ex mortuis in vitam æternam revocatus est, tam certo nos quoque illius beneficii participes erimus. Nititur porro hæc nostra fiducia adscensione Ejus in cœlum. Quum enim Ejus membra simus, quid dubii est, nos caput nostrum secuturos, parique modo in cœlum aliquando abituros esse? Nititur denique sessione Ejus ad dextram Patris gloriosissima. Nam tradita est Ei omnis potestas in cœlo & in terra. Subjecti sunt Ejus imperio angeli, potestates & potentiæ. Venerantur Eum tanquam Dominum suum Spiritus illi cœlestes felicissimi, eorumque ad suos tuendos utitur ministerio. Tota Angelorum malorum cohors letalia nobis vulnera infligere nequit; est enim serpenti caput contritum. Neque

etiam est, quod eos timeamus, qui potestatem in alios habent. Nam & horum Dominus est Servator, ergo ulterius in affligendis piis procedere nequeunt, quam voluntate ipsius sapientissima permissum est. Quis igitur coronam illam nobis auferet? Quis impediet, quo minus exantlatis hujus vitæ miseriis in æternam eum Deo communionem perducamur? Feramus igitur afflictiones, feramus persecutiones patienti animo: nam lætissimus est eorum exitus.

§. 21.

Denique sequatur colophonis loco vernacula græci textus translatio: Dann es hat auch Christus (doch nur einmahl) für die Sünden gelitten, ein Gerechter für Ungerechte, damit er uns zu Gott führen mögte: ja er ist nach dem Fleisch zwar getödet, aber durch den Geist wieder lebendig gemacht worden. Mit welchem Geist er auch schon vorzeiten gekommen, und geprediget hat denjenigen Geistern, die, weil sie nicht geglaubt haben, jetzt im Gefängniß sind: als die Langmuth Gottes (doch nur einmal) wartete, in den Tagen Noe, da die Arche gebauet wurde, durch welche wenige, das ist, acht Seelen, die dahin ihre Zuflucht genommen, aus dem Wasser errettet worden sind. Durch welchen Geist auch uns, die wir ein Gegenbild sind, die Taufe (aber nicht das Abthun des Unflats am Fleisch, sondern die Antwort eines guten Gewissens) jetzt unbeschädigt zu Gott überbringt, wegen der Auferstehung Jesu Christi: welcher, nachdem er gen Himmel gefahren, zur Rechten Gottes ist, indem ihm die Engel, und Gewalten und Machten unterwürfig gemacht worden.

IV.

IV.

BREVIS ET SUCCINCTA

p. m.

CELEBERRIMI AC SUMME VENERANDI

JACOBI ELSNERI,

SS. Theol. Doctoris, Directorii Ecclesiastici Evangelico-Reformati, quod Berolini est, Membri, Academiæ Scientiarum Berolinensi adscripti & in eadem Classis Philologicæ Directoris; Directorii, quod pauperum curam agit, Commissarii, & Ecclesiæ Berolin., quæ Parochialis dicitur, Pastoris Primarii Biographia (*).

Celeberrimus, dum in viris esset, *Jacobus Elsnerus*, in Orbe Erudito aeque ac in Ecclesia DEI a quadraginta & quod excurrit annis probe notus atque inclytus, ex Regno

(*) In illam, quæ *Historiæ Academiæ Berol. scientiarum de Ao.* 1751. inserta est, *Cel. Jac. Elsneri Biographiam* nonnulla irrepsere sphalmata historica. Dicitur enim e. g. quod p. m. Clar. noster Elsnerus *Consistorii Membrum* fuerit, cum tamen inclyto huic collegio nunquam fuerit adscriptus. De Templo Berolinensi Parochiali affirmatur, quod sit *l'Eglise Paroissiale du Cloitre*, quum tamen poste-

Regno Pruſſiæ ab honeſtis & probis Parentibus Originem ſuam trahit. Locus nativitatis Ejus, ubi Anno 1692 in lucem editus fuit, *Saalfeldia* dicitur, qui ad hunc uſque diem in Pruſſia Brandenburgica idoneum oppidum eſt.

Parens Ejus, *Georgius Elsnerus* dictus, Lesna Polonorum (a) oriundus fuit. Quamprimum

rius Prædicatum *du Cloitre* omnino omitti debuiſſet, ſiquidem plane diverſum a Templo Parochiali Templum hoc Titulo *du Cloitre* inſigniatur; Lutheranum videlicet, haud procul a Templo noſtro Parochiali Reformato exiſtens, *die Cloſter-Kirche* germanis dictum. Tandem de Proſapia Elsnerorum Leſnenſium prædicatur, *quod ab Illuſtriſſima Leszczynskiorum proſapia nonnullas Terras* (villas) *acceperint pro præſtitis bonis officiis*, cum tamen totum hocce negotium hiſtoricum nullo prorſus nitatur fundamento. Villa, quam Elsneri in Pago *Grune* prope Lesnam jam per longam annorum ſeriem poſſident, acquiſitum & ære proprio emtum Bonum eſt. Unde Clar. Auctor *Elogii*, ut dicitur, *Elsneriani* talia incerta habeat, aſſequi nequeo.

(a) *Lesna Polonorum* Illuſtriſſimorum Leszczynskiorum nativa ſedes fuit, ex qua & modernus STANISLAUS LESZCZYNSKI, REX *Poloniæ & Dux Lotharingiæ*, originem ſuam ducit, imo ubi idem Sereniſſimus Princeps in tenera Juventute ſua etiam Gymnaſium Eccleſiæ Frr. Boh. ſub Rectore celebri tunc temporis *D. E. Jablonskio* frequentavit, & penes Clar. Theol. Doctorem, *Adamum Samuelem Hartmannum*, unitatis ſeniorem, habitavit

mum hic in patria ſua Civitate, quæ ad hoc uſque tempus ſic ſatis floret, & in Majo-

tavit. Locus hicce permultis tam ex Bohemia quam ex Sileſia adventantibus Exulibus egregium nunquam non ſuppeditavit Hoſpitium. Initio elapſi Seculi *Lesna* adhuc *pagus* fuit, & *Elsnerus* quidam eum ſibi locatum habuit. Cum dehinc in Oppidi formam redactus fuiſſet, *Elsneri* in eo conſtanter habitarunt ſeque feliciter propagarunt. Genealogicam Proſapiæ hujus Delineationem eo, quo fieri deberet, ordine concinnare nequeo, ſiquidem multi ad talē quid neceſſarii Libri hiſtorici duplici, quod ab hoſtibus derivandum fuit, Incendio conſumti ſunt. Ut tamen aliquid hac de *Proſapia Elsneriana* paucis adferam, ſciendum eſt, diverſos adhuc nominis hujus Ramos Lesnæ Polonorum ſupereſſe. 1) *Georgius* quidam *Elsnerus*, meo tempore adhuc vivus & opificio *Cereviſiarius*, ex priore Uxore *duas* habuit *Filias*, Aug. conf. ſecundum matrem ſuam addictas, & ex altero matrimonio *duos Filios*. *Filiæ* ejus ambæ, quantum ſcio, in Polonia adhuc vivunt, haud procul a Leſna, altera in oppido Schmigel, altera in oppido Storchneſt. De *Filiis* ejus autem nihil certi habeo, nec adfirmare audeo, num & ubi nunc ſuperſint. Recordor, memoratas Georgii Elsneri Lesnenſis Filias me præſente haud ſimplici vice adfirmaſſe, p. m. Cel. Jacobum Elsnerum Avi ſui ex Fratre nepotem fuiſſe. Quid hic rei ſit, dijudicare nequeo. Senex quidam Leſnenſis, octuagenario major, Ao. 1740. mihi quoque plus ſimplici vice dixit, Elsnerum illum, qui in Pruſſiam demigravit, Georgii Elsneri Cereviſiarii ſtirpi proximum eſſe. 2) *Johannes* quidam *Elsnerus*, provectæ nunc jam ætatis, ſecundam con-

Majoris Poloniæ Palatinatu Posnanienſi ſita eſt, Opificium *Pellionis* addidicerat, exteras

ſtituit Elsnerorum in Polonia ſtirpem. Hic jam a Parentibus ſuis villam illam, quæ modo ſupra dicta in Pago Grune exiſtit, accepit, & Oeconomiam perpetuo tractavit. Quatuor ex legitimo ſuo priore matrimonio habuit Filios & duas Filias. *Primus* ejus Filius, *Johannes* dictus, Paſtor Eccleſiæ Reform. Brandenburgi fuit & jam mortuus eſt. *Secundus* ejus Filius, *Benjaminis* nomine inſignitus, Lesnæ Pol. adhuc ſuperſtes, Senator Civitatis & Presbyter Eccleſiæ Reformatæ eſt. *Tertius* ejus adhuc vivus Filius *Samuel* haud procul a Leſna in Pago *Grune* dicto paternam poſſidet villam. *Quartus* ejus Filius, *Martinus* dictus, ICtus & conſul cujusdam civitatis in ſuperiore Sileſia eſt. Filiarum Joh. Elsneri prior *Vener. Waſmutho*, Paſtori penes Stolpenſes in Pomerania reformato nupſit & adhuc vivit; poſterior autem Leſnæ Zugehoerio cuidam, molitori pulveris nitrati, nupſerat, ſed jam e vita exceſſit. 3) *Chriſtianus* quidam *Elsnerus* jam 1738. defunctus, Leſnæ natus & educatus fuerat, patre Chriſtiano Elsnero, Pellione; poſt autem qua Mercator Varſaviam venerat, & denique Wengroviæ in Podlachia, decem a Varſavia milliaribus, ſedem ſuam fixerat. Ex 12. liberis ipſius quinque adhuc ſuperſunt, & Leſnam deſeruerunt, ubi a teneris educati fuerant. *Primus* ordine & natu maximus ejus Filius, *Johannes Theophilus* dictus, Berolini vivit, & Eccleſiæ Frr. Boh. exulum ab an. 1747. Verbo Dei præit. *Secundus* Filius *Andreas* a duodecim circiter annis in exteris oris degens, ignoto nunc vivit in loco. *Tertius* Filius, *Daniel* nominatus, Berolini qua Chirurgus & penes

exteras cum patrio ſuo ſolo permutavit Oras, perluſtrarisque variis in diverſis Regionibus Civitatibus oppidiſque, tandem in Pruſſiam devenit, ibique *Saalfeldiæ*, ſupremo ſic jubente omnium rerum humanarum Diribitore, ſedem ſuam fixit, opificium ſuum ſupra dictum tractavit, matrimo-

nes Eccleſiam Frr. Boh. Ludi moderator degit. *Quartus* adhuc ſuperſtes Chriſtiani Filius, *Stephanus*, itidem Berolini opificium Textoris tractat. Et ſoror horum Elsnerorum, unica Chriſtiani Elsneri ſuperſtes Filia, Berolini quoque degit & jam ad ſecunda tranſiit in matrimonio Vota. 4) *Samuel* quidam *Elsnerus*, molitor, Lesnæ habitat & ſtirpem ſuam propagat. Præter hoc affinitatis vinculo junctos Elsneros adhuc duo Elsneri Fratres Lesnæ fuerunt, alter Faber Serrarius, alter autem Faber ærarius, quorum prior nullam prolem maſculam, poſterior autem unicum Filium adhuc ſuperſtitem poſt ſe reliquit. Hi tamen cum reliquis Elsneris ſanguine juncti eſſe non videntur, ſed aliunde Lesnam deportati. Elapſo ſeculo *Elsnerus* quidam Lesnenſis ſtudiorum gratia Lesna Franequeram commigraverat, & relictis in Clivia (ubi ſedem fixerat) *duobus Filiis* fatis ceſſit. Ex duobus hiſce Filiis ejus (quorum unum ferme ſeptuagenarium Anno 1740. in oppido Clivienſi (*Xanten*) vidi) magna ad hunc uſque diem in Clivia & Provincia Ultrajectina ſupereſt propago, in qua Cl. *Gisbertus Matthæus Elsnerus*, V. D. M. & Theol. D. ac Prof. Ultrajectinus haud dubie primum occupat locum.

trimonium cum honeſta Virgine iniit, & tandem Magiſtratui civico adſcriptus fuit.

Ex matrimonio ſuo memorato *tres*, quantum ſcimus, ſuſcepit *Filios*, quos ſucceſſu temporis honeſtis admovere Opificiis decreverat. Quoniam autem Filius natu maximus, *Georgius* dictus, magno ſtudiorum flagrabat deſiderio, ceſſit ei denique poſt longam tergiverſationem Pater, & miſit eum Elbingam, in celebre, quod ibi floret, Gymnaſium. Abſoluto hic ſtudiorum ſuorum qua Adoleſcens curriculo, Regiomontum juvenis *Georgius* noſter iter fecit, & ſtudia ſua illuc tranſtulit. Theologiæ ſeſe juvenis hicce Elsnerus dicaverat, eique propterea in Academia Pruſſica diligentem navaverat operam; aſt miro aliquo deinde a Propoſito ſuo abſtractus eſt caſu (b) & Jurisprudentiæ nomen dedit. Re-

(b) Caſus hicce memoratus *Elsnero* dicto pertriſtis fuit. Suſceperat ille ob rem anguſtam domi aliquod penes præſtantem Regiomonti Virum munus Pædagogi. Conjux dicti Viri præciari Potipharеæ in Aegypto haud abſimilis fuit conjugis, ac proinde magna Elsnerus noſter opus habuit Prudentia, ut illecebras halce fœmineas eluderet vel ſaltem evitaret. Fœmina iracunda vindictam meditatur, & exemplo illius Potipharеæ conjugis accuſat Elsnerum penes maritum ſuum tanquam adulterii cupidum. Maritus ejus, re non indagata, vehementer

Regiomonto redux Patris sui, una cum matre & natu minimo Filio peste peremti, domum possedit, & primo tempore Actuarii, dein Judicis Saalfeldiensis munia fideliter obiit. Idem hicce natu maximus Georgii Elsneri Filius ad hunc usque diem duos in vivis habet Filios, quorum alter in Prussia Wilhelmibergæ ab An. 1753. Pastor (c) Ecclesiæ Reformatæ existit, & alter

ter excanduit, & Pædagogum suum carceribus publicis *includi jussit*, & *quidem ita*, ut nullam sese *defendendi*, *vel auxilium quodpiam* imprandi ei superfuerit occasio. Post effluxum integri anni Fœmina voluptatibus dedita miro quodam, ast nunc non adferendo, casu in adulterio deprehenditur, & maritus ejus hac eadem occasione convincitur, Elsnerum inique passum fuisse. Quam ob rem eum quantocyus carcere exclusum pristinæ restituit libertati & optimo modo mitigavit. Quoniam autem Elsnerus noster in carcere suo multam sibi contraxerat Infirmitatem, ideo Juris studium theologico prætulit.

(c) Rev. hicce *David Elsnerus* Ao. 1758. eruditam edidit in 4to (ut loquimur) *Epistolam* germanicam *de justo & gratia pleno Decreto Davidis super Mephibosetho, criminis læsæ majestatis rev.* Quæ Cogitata Ao. 1759. paucis ventilata sunt peculiari in 8vo Dissertatiuncula, qua haud obscure innuitur, *Rev. Elsnerum* Mephibosetho haud dubie magnam feciſe injuriam, siquidem nec verosimile sit, Mephibosethum tale quid intendisse. *Vindicata* hæc *Innocentia & Probitas Mephibosethi* novam nobis quoque

alter Boſtampii in Puellarum orphanotrophio Præceptoris munus gerit.

Jacobus noſter *Elsnerus*, ſecundus ordine patris ſui Georgii Filius, ex voluntate Parentis opificio paterno omnino addicendus erat. Quam ob cauſam quoque cum Patre ſuo haud raro nundinis circumjacentium oppidorum intererat, ut opificio aſſueſceret, & Patri juvenilem ſuam opem ferret. Factum eſt autem aliquando, ut navicula, qua trans Fluvium aliquem cum Patre ſuo ad nundinas ſuetas proficiſcenti vehendus erat, in medio Fluvii inopinato rumperetur, & Jacobus parvus hac occaſione in aquam & ſummum vitæ periculum incideret. Eliberatus præſentiſſimo hocce ſuo periculo *Jacobus Elsnerus*, tantopere ab Opificio paterno abſterritus fuit, ut nullo amplius modo permoveri poſſet, opificium

quoque *apologetici mephiboſethiani*, quod 2 Sam. XIX. 26-28. occurrit, exponendi rationem adfert, imprimis quoad Verba וירגל בעבדך אל אדני, quæ tanquam *argumentum deceptionis Zibæ malevoli* ita vertuntur: „*Et ſiniſtre abiit contra Ser-*„*vum tuum ad Dominum meum.*„ (Vid. p. 31-42. dictæ Diſſert.) Idem *Ven. Elsnerus* promittit nobis quoque in ſupra memor. ſua *Epiſtola* §. 8. *in nota infra adjecta* Faſciculum obſervationum in varia V. T. Loca, qui nobis haud dubie multa noviter reperta exhibebit Cogitata.

ficium paternum amplecti. Cui accedebat, quod Rector Scholæ Saalfeldienſis Parenti multis perſuaderet, Filium ejus *Jacobum* ad proſequenda ſtudia aptiſſimum eſſe, ac proinde optime facturum Patrem, ſi ei nullum hoc in Negotio oppoſuerit impedimentum. Parens noſtri *Jacobi*, etſi apud ſe firmiter conſtituiſſet, Jacobum opificio admovendum eſſe, ceſſit tamen denique invitus deſiderio Filii ſui & Interceſſioni multorum bonorum, & ſivit Jacobum ſuum, ad altiora divinitus vocatum, Elbingam ad promovenda ſtudia migrare; ubi ille brevi ſane tempore tantos in Literis fecit progreſſus, ut citra longam moram Academiam Regiomontanam petere, & in ea curſum ſuum literarium abſolvere potuerit. Penuria *Jacobum* poſt unum alterumve annum Academicum coëgit, officium aliquod Informatoris quærere, quod in Curlandia citra omnem difficultatem reperiit, cuique magna cum laude præfuit.

Brevi poſt tempore mira Dei Providentia *Jacobum* noſtrum *Elsnerum* Regiomontum revocari juſſit. Conrectoris reformatæ Scholæ, quæ Regiomonti eſt, munus ei a Directoribus memoratæ ſcholæ concreditum fuit. Ubi non modo e Cathedra Scholaſtica Juventuti peregregiam ſemper

adtulit

adtulit Utilitatem, verum etiam e ſuggeſtu Eccleſiaſtico ad populum Dei haud raro verba faciens permire placuit, adeo ut peracta Concione publica crebro multis & inſignibus donaretur muneribus, quibus refocillatus tam coëmendis permultis & pulchris Libris par reddebatur, quam ad ſtrenue promovenda ſtudia ſua theologica Literariaque inſigniter incitabatur. Obſervationum ſuarum Sacrarum in N. Teſt. initium hic multa cum diligentia fecit, iisque poſthac & in Belgio, Berolini, qua Rector Joachimici, lætum impoſuit finem.

Poſt paucos in Conrectoratu Regiomontano annos propoſuit ſibi *Jacobus* noſter *Elsnerus*, Belgicas adire oras, ibique ſtudia ſua theologica ac Literaria promovere perpolireque. Impetrata igitur a Scholarchis Regiomontanis ad hocce propoſitum iter ſuum Belgicum venia, citra moram illud ſuſcepit, relicto ex ſuperiorum Juſſu Vicario in Conrectoratu ſuo, & Trajecti ad Rhenum degens non modo *Obſervationum ſuarum ſacrarum in N. T. Tomum priorem* in lucem edidit, verum etiam pro ſummis in Theologia Honoribus diſputavit. Poſthac Lugdunum Batavorum petiit, ibique *Diſſertationem ſuam de Lege Moſis per Angelos lata* promulgavit.

Ex

Ex Oris Belgicis rediens Lingam in Weſtphalia venit. Hic pauliſper ſubſiſtens, ab Eccleſiæ & Gymnaſii Curatoribus impellitur, ut infirmi cujuspiam Paſtoris ac Profeſſoris Theologiæ munia Vicarii loco obeat. Obſecundavit *Jacobus* noſter *Elsnerus*, & Vicarii partes in ſe ſuſcepit. Mortuo autem interea temporis modo dicto ægroto Paſtore & Profeſſore, nulli dubitarunt ſupra laudati Curatores, *Jacobum* noſtrum *Elsnerum* in defuncti locum ſufficere. Nec renuit *Elsnerus* hanc ſibi ſponte oblatam Theologi Lingenſis ſpartam. Aſt diu eam ornare & multa laude obire non potuit. Nam vix biennium heic loci expleverat, cum Berolinum ire juſſus, Muſis Linganis poſtremum dicere Vale cogeretur.

Inſcripſerat videlicet Vir Clariſſimus priorem Obſervationum ſuarum Sacrarum Tomum perilluſtri *Domini de Printzen*, ſupremi aulæ Regis Pruſſorum Friderici Guilielmi Mareſchalli Nomini, eo quod is non modo in ſumma penes Aulam Regiam collocatus erat Dignitate, ſed etiam plane ſingularis eruditorum Mæcenas & Literarum bonarum Amator dici ſolebat. Quum itaque Berolini Anno 1722. *Clar. D. Volkmannus*, Gymnaſii Regi Joachimici Rector & Profeſſor Primarius, mortuus

tuus esset, & Rex Clementissimus Illustrissimo Domino de Printzen id curæ mandasset, ut vacuus hicce Rectoris locus citra omnem omnino moram idoneo rursus & præstanti Viro adimpleretur, nullus dubitavit Dominus de Printzen, suæ Regiæ Majestati *Jacobum* nostrum *Elsnerum* in Rectorem dicti Gymnasii & peridoneum pie defuncti Volkmanni successorem proponere atque suadere. Rex consilio Illustrissimi de Printzen adnuit & eidem injunxit, ut *Jacobus Elsnerus* extemplo Linga Berolinum vocaretur, inque locum defuncti Volkmanni sufficeretur. Perillustris de Printzen Mandato huic Regio morem gerens, *Elsnero* nostro quantocyus scribit, ut Musis Linganis desertis Berolinum veniat, & Joachimico se præficere patiatur. *Elsnerus* Mæcenati suo de Printzen ea, qua par fuit, animi humilitate indicat, se exiguam suam Lingam tantopere deamasse, ut ab ea avelli nullo modo possit; quinimo se hac occasione tantum in semet ipso sentire Animi metum, ut sibi haud quaquam persuadere queat, id negotii ex voluntate Dei agi. Sed frustra id conaminis *Jacobus Elsnerus* suscepit. Rex & altera & tertia vice mandatum suum repetere jubet, tandemque addit, nisi *Elsnerus* Berolinum properet, nec Lingæ manere posse,

posse, qua immorigerus Domini sui subditus. Atque ita factum est, ut Clar. Vir & Gymnasium & Ecclesiam Linganam invitus desereret, & Berolinum peteret, ubi Gymnasio Regio Joachimico qua Rector & Professor primarius præfectus, Juventutem magno cum applausu docuit. Quicunque sub Auspiciis Ejus Musas Joachimicas adierunt, vix satis idonee effari queunt, quanta cum Utilitate ad hujusce Gamalielis sui pedes sederint, & quam perspicue ac solide omnia sua proposuerit, adeo ut quivis ejus Auditor insignes in omni Literarum genere facere potuerit progressus. Disciplina scholastica, quæ tempore Clar. Volkmanni vehementer labefactata fuerat, sub *Cel. Elsnero* nostro mirum in modum efflоruit, & Juventus Joachimica, quæ antehac multum petulantiæ exercuerat, posthac perbelle coërcita & citra omnes peculiares morum Inspectores intra idoneos modestiæ cancellos detenta fuit. Quandocunque *Clar. Elsnerus* noster populum Dei e suggestu ecclesiastico Templi cathedralis docere ansam habuit, maximo id semper cum applausu & Regis & Populi fecit. In Domo *Illustrissimi de Printzen* nunquam non gratissimus fuit hospes; quinimo tanta dicti Viri perillustris erga *Jacobum Elsnerum* nostrum fuit Gratia & di-

lectio, ut eidem circa postremum suum ex caduca hacce mortalitate exitum totam domum suam de meliori commendaret. Quam ob rem etiam factum est, ut Perillustris Vidua de Printzen post obitum Excellentissimi Conjugis sui non modo ambos (d) Filios suos curæ & Dexteritati *Cel. Elsneri* traderet, verum etiam nihil prorsus in Domo sua, quod alicujus momenti erat, inscio Elsnero susciperet. Ex quo malevola nonnullorum hominum mens varia minus honesta exsculpere sategit; ast citra omne perfecto veritatis historicæ fundamentum. Perillustris Vidua de Printzen tanto in *Elsnerum* ferebatur Favore, ut & Concionibus ejus publicis, etsi Augustanæ Confessioni addicta esset, libentissime fere semper interesset, iisque mirum in modum recrearetur. Ob meliorem Filiorum suorum curam eadem Generosissima Fœmina *Cel. nostrum Elsnerum* ferme quotidie mensæ suæ interesse jussit, multisque Benevolentiæ suæ indiciis eum obruit.

Octo circiter Annos Cel. Vir ad gubernacula Regii Gymnasii Joachimici sederat, & eidem perbelle præfuerat; cum

(d) Natu major horum Dnorum de Printzen qua Juvenis Vir fatis cessit; natu minor autem ad hunc usque diem Berolini vivit, & Consiliarii Intimi spartam ornat.

cum ad Templum Berolinenſe, *Parochiale* vulgo dictum, muneri Eccleſiaſtico admoveretur. Vener. *Schmidmannius*, Primarius ad dictum Templum Paſtor, ſupremum ſuum obierat diem. Plur. Rev. Klugius, ſecundarius ad eandem ædem Sacram Paſtor, primarius fiebat, & *Elsnerus* noſter facundiſſimus eidem in ſecundario Paſtoratu ſufficiebatur. Mortuo plur. Rev. Klugio obtinuit *Clar. noſter Elsnerus* primum in Paſtoratu locum, & Vener. Poſtius ei pro ſecundario additus fuit paſtore. Miro ſemper Applauſu munia ſua Sacra *Elsnerus* noſter ab Anno 1730. obiit, ſiquidem præter inſignem plane in Theologicis & philologicis peritiam ſumma pollebat Facundia, & ad ciendos commovendosque animos maxime idoneus erat. Et docti & indocti, & ſummi, & mediocris, & infimi ordinis homines eum ſumma cum voluptate animi audiebant, adeo ut ex permagna auditorum omnis generis & ordinis frequentia quovis die Dominico ſatis colligi potuerit, *Cel. Elsnerum* pro ſuggeſtu verba eſſe facturum. Peregregium imprimis *Vener. Elsnerus* noſter habebat a Deo ſibi datum *Donum Precum*, adeo ut preces ſuas publicas nunquam non ſummo cum Zelo & permira cum ædificatione ac commotione animi Auditorum ſuorum funderet, multisque eo ipſo perutilis eſſet.

Ad hunc usque diem læto animi mei adfectu recordor, quam insignem in Juvenili ætate mea ab Anno 1735-1737. ex Concionibus & præsertim Precibus publicis Cel. Elsneri nostri constanter nactus sim utilitatem. Idem tunc temporis & multi alii mecum adfirmabant lætabundi.

Præter dictum hocce suum munus Ecclesiasticum & alia diversa successu temporis obiit munera publica Cel. Vir noster. In Directorio, quod Berolini paupertatis curam gerit, *Commissarii* locum obtinuit. In Regia Berolinensi scientiarum Academia non modo membrum, verum etiam *Classis Philologicæ Director*, Gymnasii Regii Joachimici Visitator fuit. In Directorio Ecclesiarum Evangelico-Reformatarum, quod Berolini est, sedem & suffragium habuit; variosque insuper in lucem edidit peregregios Libros. Secundum Observationum suarum Sacrarum in N. Test. Tomum, qua Rector Gymnasii Joachimici Ultrajecti procudi jussit. Anno 1729. Fasciculum XII. sermonum sacrorum *de Christianorum Felicitate* in 4to edidit. Duo de *recentiori Græcorum Ecclesia* Volumina in 8vo promulgavit. *Commentarium ad Epistolam Paulinam ad Philippenses* multis cum adnotationibus theologico-philologicis duobus Tomis in 4to emanari jussit. Qui paulo post & in Belgicam linguam versus in lucem prodiit. Anno

1744.

1744. *Schediasma Criticum* in 4to procudi voluit, quo permagnam ſuam in omnimoda Græciæ Literatura peritiam luculenter exſeruit. Poſtremum, quod moliebatur, opus eruditum erant recudendæ ejus ſupra memoratæ *Obſervationes Sacræ in N. Teſt.*, permultis theologico-philologicis adnotationibus locupletatæ, & tribus in 4to voluminibus procudendæ; aſt primum tantummodo earum Volumen *in Matthæum & Marcum* ad umbilicum perductum & pure deſcriptum fuit; reliqua in ſchedis adhuc Elsnerianis deliteſcunt, nec unquam prodire poterunt. Matura Cel. noſtri Viri Mors hæc & multa adhuc alia peregregia opuſcula nobis præripuit.

Ao. 1738. permutavit *Clar.* noſter *Elsnerus* Cælibatum ſuum cum matrimonio, & duxit in Uxorem lectiſſimam viduam defuncti Conſiliarii Aulici, *Senning* dicti, natam ex Generoſa ſtirpe *de Stoſch*, cum qua tamen nullam unquam habuit ſobolem. Eodem hocce Anno omnes ſuas ſuperfuturas poſt mortem opes legavit Inſtrumento publico *quatuor piis Corporibus*, ut loquimur, *Eccleſiæ* videlicet *Parochiali*, *Caſſæ Viduarum*, *Orphanotrophio Magdeburgico*, & *ei*, *quod ex Munificentia cujusdam Kornmeſſeri orphanos ſuos alit*, *Inſtituto*. Hac tamen addita conditione, ut opes ſuæ dictis hæredibus non niſi poſt mortem ſuæ Conjugis traderentur,

tur, & ex iisdem mille Imperiales Filii ambo ex Fratre ſuo acciperent, neptesque ambæ conjugis ſuæ ex Senningiana Filia & facta dehinc conjuge Vener. Poſtii deſcenſæ duo millia ſortirentur. Quod etiam Anno 1759. ex parte, factum eſt, ubi ſimul innotuit, derelictas *Clar. Elsneri* opes in omnibus ſummam 36. Millium Thalerorum efficere.

Anno 1746. & 1747. peregregiam *Clar. Elsnerus* noſter Berolini iis Bohemiæ Exulibus, qui Paſtorem ex Polonica Unitate Fratrum Bohemorum anhelabant, adtulit opem. nam cum pauperculi hi undiquaque preſſi, imo fere oppreſſi fuiſſent, idoneo ipſis *Vener. Elsnerus* noſter ſuccurrit tempore. Ea, qua apud Sereniſſimum Anhaltino-Deſſavienſem Ducem Leopoldum *Elsnerus* pollebat, Gratia tandem effectum eſt, ut magnus hicce Princeps ſuæ Regiæ Majeſtati Pruſſicæ oppreſſiones dictorum Exulum Bohemorum oretenus ediſſereret (e), & totum negotium ſummopere pro-

(e) Mala hoc in negotio fide multa inter Exules Bohemos acta fuerant. Nam aſtuti nonnulli, qui deſiderium Bohemorum Ao. 1746. indagare miſſi erant, perperam indicabant, pauciſſimos eſſe, qui Paſtorem ex Unitate Frr. Boh. habere vellent. Talia & ſimilia a magno quodam Viro Regi referebantur. Quam ob cauſam nec ulla horum paucorum Bohemorum in Aula Regia habebatur ratio: plane aliter

promoveret. Quo permotus Rex, citra omnem omnino moram memoratis Bohemis ſuis Berolinenſibus deſideratum ex Unitate Frr. Boh. Paſtorem, *Joh. Theophilum Elsnerum*, (f) vocari juſſit. Quo appulſo injunxit ſupremum circa res Eccleſiaſticas Collegium *Cel. Elsnero* noſtro, ut facta una cum Plur. Vener. Roloffio circa ſimultaneum, ut dicimus, in Templo Berolinenſi

aliter autem Res evenit, cum Sereniſſimus Leopoldus Regem edocuiſſet, & ſimul rogaſſet, ut totum Negotium præſentibus Viris Excell. Dno de Kalkſtein, & Dno. Comite Chriſtophoro de Dohna indagaretur. Quo facto luculenter conſtitit, inter omnes & ſingulos, qui comparere debebant, Exules Bohemos plurimos fuiſſe, qui toto corde Paſtorem ex Polonica Frr. Boh. unitate anhelabant. His præmiſſis & citra omnem omnino dolum actis nulla amplius ſupererat difficultas, quæ dictis Fratribus Bohemis impedimento eſſet, ac proinde Rex mitiſſimus decrevit, ut omnibus Exulibus plenaria concederetur conſcientiæ Libertas, & ut iis, qui ex Polonia Paſtorem habere optarent, citra ulteriorem tergiverſationem ſatisfieret. Tanta eſt Vis Veritatis. Nam quod antehac nec 50. Libelli ſupplices efficere poterant, quos miſerculi Bohemi, aſtutia inimicorum ſuorum circumventi, fruſtra porrexerant, id unica ſecundum rei Veritatem inſtituta effecit Indagatio.

(f) Præcipuas hujus Viri vitæ circumſtantias vide ſis in *Actis Hiſtorico-Eccleſ. Vinar. Parte XCVIII. Nro. III. not.* cc) & in *Cl. Küſteri Berolino Novantiquo p. 655. 1021.*

nensi Bohemico continuo observandum dispositione, proxime appulsum primum Evangelico - Reformatum (g) Pastorem Bohemicum publice introduceret. Quod *Clar. noster Elsnerus* die 17. Sept. 1747. summa cum voluptate fecit, & dictum Ecclesiæ Psal. 129. v. 1. 2. hac occasione peregregie, ut solebat, enucleavit. Post solennem huncce Introductionis publicæ Actum primus omnium Evangelico - Reformatus ritus baptismalis in dicto Templo Bohemico peractus fuit, quo primus primi Pastoris Evangelico - Reformati Boh. J. T. Elsneri

(g) Non sine idonea ratione post Lydium, Hedericums Carpzovium & alios Viros peregregios adfirmatur, Dogmata genuinorum Fratrum Boh. & Evangelico-Reformatorum Confessorum eodem prorsus niti Sacrarum Literarum fundamento. Id paucis abhinc annis diversimode ventilatum & comprobatum est, Vide sis *Scrinium Antiquarium Cel. Gerdesii Tom. VI. P. I. No. 1, ubi brevis conspectus Doctrinæ Frr. Boh.* sistitur, *Cl. Kœcheri tres postremas Frr. Boh. Confessiones de Ao. 1741.*, ut & *Reformatiz. Fres Bohemos de 1754.* coll. *Actis H. E. Parte CIX. Nro. VIII.* Quam ob rationem ii ex Bohemis exulibus, qui genuina Fratrum Bohemorum Dogmata deamarunt & amplexi sunt, bene faciunt, quod se in Imperio Germanico cum Confessoribus Evangelico - Reformatis conjungant, siquidem in dicto Imperio tres tantummodo tolerantur Confessiones, Romano - catholica, Lutherana & Reformata, ac proinde Fratribus nostris Bohemicis Conjunctio ecclesiastica cum Reformatis Confessoribus tutissima ac convenientissima est.

Elsneri Filius a Cel. noſtro *Jacobo Elsnero* baptizatus & Albo Eccleſiæ Dei Bohemico-Reformatæ inſertus. Teſtem hujus ſacri Ritus ſui habuit *Excell. Comitem Chriſtophorum de Dohna*, præcipuum totius Negotii Eccleſiaſtici Reformato-Bohemici Fautorem promotoremque.

Paucis nunc adhuc indicare reſtat, quis *Cel.* noſtri *Elsneri* ex vita hacce Exitus fuerit, qui in octavum menſis Octobris diem Anni 1750. incidit. Vegetum ſemper & ad labores quosvis ferendos idoneum corpus habuit Clar. Vir, & perbella maxima ex parte, Dei gratia, fruebatur Valetudine. Poſtremis tamen vitæ ejus Annis quivis in eo debilitatem aliquam ſentire poterat, undecunque originem ſuam traxerit. Quod autem circa finem vitæ ipſius Curriculi Eidem maxime obfuit, vehemens aliqua & inopinata ſane mentis & ſanguinis commotio fuit. Paucis ante eam horis vegetum & bene ſanum *Cel. Elsnerum* noſtrum vidi & ad publicam Academiæ Regiæ ſcientiarum ſeſſionem comitatus ſum; vix autem quatuor abhinc effluxere horæ, cum corpus ejus ex ratione allata lethali ſauciaretur affectione. Vulnus hocce internum, ex nimia ortum bile, negligebatur, & neglectum tantopere nocuit, ut ei poſthac nulla amplius adferri potuerit medela. Labores eccleſiaſtici

siastici publici privatique, non neglecti a Cel. Viro infirmo, neglectionem sanitatis creabant, corpusque nimium debilitabant. Quam ob causam Magnus *Elsnerus noster*, alias robustus, tandem decumbere coactus fuit; & quoniam Vires interea temporis jam fractæ erant, ars medica nihil amplius profuit. Corpus indies magis debilitabatur ex suborta insuper infelici Diarrhoea, & singultibus ferme continuis præpeditum tantopere destruebatur, ut præclarus hicce Elsnerus paucis dehinc diebus, summo cum conjugis dilectæ dolore & permultorum Amicorum atque Fautorum animi moerore, Anno ætatis 58. exspiraret. Corpus ejus demortuum die 12. Octobris 1750. vesperi citra omnem omnino, ex mente pie def. Viri, pompam Funebralem, præsentibus solummodo, præter tres affines, Presbyteris Ecclesiæ parochialis, terræ traditum fuit in eo, quod dictum Templum cingit, Cœmeterio. Vidua Ejus Anno 1758. demortua ad latus ejus in pulvere Terræ quiescit.

E.

BIBLIOTHECA
BREMENSIS
NOVA
HISTORICO-PHILOLOGICO-THEOLOGICA

CLASSIS PRIMAE
FASCICVLVS TERTIVS
ET VLTIMVS.

BREMAE & AMSTELODAMI
Sumptibus Bibliopolarum
G. W RVMPII & H. VIEROOT.
MDCCLXI.

VIRO

MAXIME VENERANDO,

CELEBERRIMO

DANIELI GERDESIO

THEOLOGO, OLIM TVISCOBVRGENSI,

IN ALMA

NVNC GRONINGANA,

SENIORI,

ET HISTORIAE ECCLESIASTICAE

PROFESSORI,

HVJVS ET HISTORIAE LITTERARIAE

VERE PROMOCONDO,

CIVI ET COGNATO SVO

MVLTIS NOMINIBVS SVSPICIENDO,

BIBLIOTHECAM

BREMENSEM

NOVAM,

CONSILIO ET AVXILIO SVO

CONDITAM,

QVAM MAXIME COMMENDAT,

VTQVE
EANDEM SVO DIGNETVR FAVORE,
ET
EX SCRINIIS SVIS LITTERARIIS
DOCTISSMIS, VTILISSIMIS
ET COPIOSISSIMIS
IN POSTERVM AVGEAT,
TERTIVM & VLTIMVM HVNC
CLASSIS PRIMAE
FASCICVLVM
CVM OMNI OBSERVANTIA,
HAVDQVE FVCATI AMORIS
ERGA SE FAMILIAMQVE SVAM
TESTIMONIO,
ET VOTO
PROPITII SEMPER
IN CHRISTO NVMINIS,
FIRMIORIS, ACCEDENTE SENECTA,
VALETVDINIS,
ET
AD REVERENDAM VSQVE CANITIEM
FRVCTVVM,
EXANTLATIS LABORIBVS
RESPONDENTIVM, VBERRIMORVM,
INSCRIBIT
EDITOR.

OPVSCVLORVM
FASCICVLI TERTII
CLASSIS PRIMAE
SERIES.

I. HENRICI HEISEN, *Prof. Eloq. ac Poes. Ord. Bibliothecarii & Pædagogiarchæ Bremensis*, Dissertatio *de fonte ex uno eodemque foramine dulcem simul & amaram aquam non emittente ad* JAC. III. 11. 12. pag. 379

II. JACOBI SCHEPPII, *V. D. M. Hornbacensis*, Dissertatio Theologica *de* PRÆROGATIVIS APOSTOLORVM. pag. 416

III. JOHANNIS THEOPHILI ELSNERI, *V. D. M. & Pastoris Ecclesiae Fratrum Bohemorum Berolinensium*, Disquisitio Exegetico Critica, *qua Rev. Joh. Nicolai Richteri Expositio verborum Pauli* COL. II. 17. *paucis expenditur & trutinatur* pag. 441

IV. EJVSDEM Cogitata *de* CRETHI & PLETHI *Regis Davidis*, pag. 464

V. NICOLAI BARKEY Obſervatio Exegetica ad *I.* PET. *III. 15. 16. 21.* pag. 478

VI. ANDREÆ ACOLVTHI *LL. OO. Prof. Vrátislavienſis* Epiſtola huc uſque inedita ad G. W. MOLANVM *Abbatem Loccumenſem*, ex MSto pag. 523

VII. LITTERARIA. pag. 541

I.

HENRICI HEISEN,

PROFESS. ELOQ. AC POES. ORD.
BIBLIOTHECARII ET PAEDAGOGIARCHAE
BREMENSIS

DISSERTATIO
DE FONTE EX UNO EODEMQUE FORAMINE DULCEM SIMUL ET AMARAM AQUAM NON EMITTENTE,

AD JACOBI III. 11. 12.

§. 1.

Synonyma Jacobo Apoſtolo ſunt πικρον, *amarum*, & ἁλυκον, *ſalſum*. Enimvero alteri ſubſtituit alterum, & utrique γλυκυ, *dulce* opponere examuſſim videtur. Ne quis autem cœleſtis verbi obtrectator imperitiæ Græci Sermonis ſanctum virum

inſimulet, quod vocabula affinis quidem, ſed non ejusdem ſignificatus ita conjungat, ut confundat, fragilique hac arrepta anſa infringere divinam epiſtolæ ejus auctoritatem ſuſtineat; luculentiſſimis primum demonſtrabo locis, ipſam hanc ſynonymiam optimis quibusque Græcis ſcriptoribus frequentari: ut aut univerſi illi caſtæ Græcitatis condi promi, quibus ore rotundo Graja dedit Muſa loqui, Grajæ linguæ inſcitia laboraſſe dicendi, (quæ pinguis vox non hominem ſonat) aut Apoſtoli noſtri ſtilus ab eadem pronunciandus ſit immunis.

§. 2.

HIPPOCRATES: (a) *Neque enim fieri poteſt, ut aquæ inter ſe ſimiles ſint;* ἀλλα τα μεν γλυκεα εἰναι, τα δε ἀλυκα, *verum alias dulces eſſe, alias ſalſas.* IDEM: (b) *Colores quoque, ex quibus aut calorem, aut ſalſuginam,* (ἀλμυροτητα) *aut dulcedinem* (γλυκυτητα) *inſpicere datur.* ARISTOTELES (c) *Quomodo e dulci* (ἐκ γλυκεος) *potu ſalſus* (ἀλμυρος) *ſudor proveniat? Utrum abeunte quodam, ceu parte dulciſſima* (τϐ γλυκοτάτϐ) *ſolummodo - - Nam & illud amarum ſalſumque*

(a) De aëre, locis & aquis Sect. III. p. 68. l. 48. ed. Foeſii Fol. Francof. 1595.
(b) Lib. VI. Sect. VII. p. 295.
(c) Meteor. lib. II. cap. III. p. 782. B. Tom. I. edit. Pariſ. 1639. Fol.

ſumque (πικρον και ἁλμυρον) *evadit, cum tamen, qui bibitur, humor, & quem cibus continet, dulcis ſit.* (γλυκεος ὀντος). Et iterum (d) *Quod in corporibus minime concoctum eſt, id ſalſum & amarum* (ἁλμυρον και πικρον). PLVTARCHVS: (e) *Quod ſalſugine & amarore* (εἰς ἁλυκιτα και πικριαν) *reliquum infectum ſubſliterit.* Rurſum: (f) *Cum percontaremur, quod amara* (πικρον) *& potui incommoda, & ſalſa* (ἁλμυρον) *eſſet aqua.* PHILO de Somniis: (g) *Eſt partim ea aqua dulcis,* (γλυκυ), *partim ſalſa,* (ἁλμυρον), *partim fontana, in varias diſcreta proprietates, alia potabilis, alia non.* IDEM *Leg. Alleg.* (h) *Deo, qui ſua gratia dulces latices* (γλυκυναμα) *pro ſalſis* (ἁλμυρος) *animæ infudit.* PHOTIVS: (i) *Thermæ anguſtos habent meatus, non aquæ dulcis,* (γλυκεος) *ſed amaræ & ſalſuginis,* (πικρας ἁλμυρίδος τε) *& fontis talem ſcitiri naturam.* Suppetunt plures Græcorum auctoritates, quibus vero ſubjiciendis a grata Lectoribus brevitate prohibeor. Tantummodo integrum ſit ex ſequacibus

(d) Ibid. p. 783. B. lin. 11.
(e) Opp. Tom. II. p. 897. init. edit. Xylandri. Frf. 1620. Fol.
(f) Ibid. p. 940. D. l. 4.
(g) pag. 442. D. lin. 5. edit. Col. Allobrog. 1613. Fol.
(h) Lib. III. p. 845. G.
(i) Biblioth. p. 1365. lin. 16. edit. Schotti, 1611. Fol.

cibus Latinis oppido paucos in partes vocare.

Doris amara (canit Virgilius) (k) *ſuam non intermiſceat undam.*

Doris amara quid aliud, quam ſalſum mare? PLINIVS Hiſt. Nat. (l) *Juba in Troglodytis* (ait) *lacum inſanum, malefica vi appellatum, ter de die fieri amarum ſalſumque, ac deinde dulcem, totiesque etiam noctu.* CVRTIVS: (m) *Interrogati* (ab Alexandri militibus barbari) *quam procul abeſſent mari? reſponderunt, nullum ipſos mare ne fama quidem accepiſſe: cæterum tertio die perveniri poſſe ad aquam amaram, quæ corrumperet dulcem. Intellectum eſt, mare deſignari ab ignaris naturæ ejus.* Quid quod, ISIDORVM (n) ſi audimus, *mare* per aphæreſin primæ literæ pro *amare* dicitur, quoniam amaræ, id eſt ſalſæ ejus ſunt undæ. Et quem fugit, hodieque fluviales aquas, cum *ſalſis* marinis opponuntur, a naviculatoribus noſtris, & paſſim quoque aliis *dulces* nuncupari? Ad maris enim undas τω ἁλυκος proxime digitum intendi, vel ex eo conjeceris, quod illa vox ab ἁλυκη, quod HESYCHIVS per θαλασσα exponit, ut obſervat

(k) Eclog. X. 5.
(l) Lib. XXXI. cap. II. pag. m. 1335.
(m) lib. IX. cap. IX. num. 6.
(n) Lib. XIII. Orig. cap. 14. Sed vid. Etymol. Voſſii in Amarus.

obſervat doctiſſ. WOLFIVS, (o) proxime deſcendat.

§. 3.

Neque vero ſine gravi ratione loquendi ille uſus a plurimis retro ſeculis obtinuit. Proxime enim ad ſe mutuo accedunt ſalſedo & amarities, a dulcedine vero utraque paſſibus propemodum æquis diſcedit. PLATO apud *Suidam* (p) Ἐγγυς μεν τȣ πικρȣ το ἁλμυρον. *Vicinum amaro eſt ſalſum.* ARISTOTELES: (q) *Omnia dulci aluntur, vel ſimplici vel commixto. - - Calor enim, quod leve eſt, attrahit; quod autem ſalſum amarumque eſt, (ἁλμυρον και πικρον) propter gravitatem relinquit. Unde fit, ut ea dulci ſapore alantur. Cæteri tamen ſapores, perinde ut ſalſus & acutus, pro condimento cibis admiſceri ſolent: at hi ut retrahant, quia, quod dulce eſt & innatat, nimium alit.* Rurſum (r) *Pinguis ſapor ſpecie dulcis eſt; ſalſus autem & amarus (το δε ἁλμυρον και πικρον) idem fere ſunt.* Denuo: (s) *Quemadmodum nigrum in translucido corpore privatio albi eſt, ita ſalſum & amarum privatio dulcis in humore, qui alere poſſit. Unde fit, ut etiam cinis deuſto-*

(o) Curis ad h. l. pag. 53. init.
(p) Pag. m. 1040. med.
(q) de Senſu & Senſili cap. IV. Tom. II. Opp. p. 69. fin.
(r) Ibid. p. 70. B. l. 1.
(s) pag. ead. C.

deuſtorum omnium amarus ſentiatur; utpote a quibus, quod potui idoneum erat, extractum eſt. GALENO perinde ut Platoni, ſicut paulo ante ex Suide percipiebamus, ſalſum & amarum vicina ſunt, graduque tantum, ut minus & majus, differre videntur. Conjicio ex his ejus vocibus: (t) *Unumquodque eorum, quod coquitur paulo diutius ac vehementius, primum quidem ſalſum, dein vero amarum magis efficitur.* Celebre illud medicamen, quo frequentiſſime nunc temporis uti conſuevimus, guſtatu longe magis amarum eſt, quam ſalſum, & ſal tamen Anglicanum vocitatur: cujus appellationis non aliam æque probabilem reddideris rationem, quam quod ex ſale marino in Anglia conficitur. Epſonienſe nominatur idem ſal, quoniam illi loco, in quo prope Londinum in comitatu Surrey ſito, potiſſimum paratur, nomen eſt Epſon, ſicuti virum experientiſſimum mihi narrare memini. Neſcio, an injectum Hierichuntis fonti ſal malis ejus, ſive ſterilitatis & abortus effectricibus aquis lucem fœneret. Omnino videntur aquæ, quas Eliſæus vates ſale ſanavit, ſalſæ ipſæ fuiſſe, & contrarium prorſus adhibitum illis remedium, ut de miraculo indubitate conſtaret (u). Ste-

(t) Tom. I. p. 105. l. 14. ed. Baſil. 1538. Fol.
(u) 2 Reg. II, 19-22.

Sterilitatem invehit ſal, (w) ſed ex adverſo heic, ſuſpenſis inque contrarium verſis naturæ legibus, naturæ Dominus fœcundandi vim ei per legatum ſuum largitur. Salſedinem vero ſuam, credere par eſt, fontem hunc contraxiſſe ex Hierichuntis ſolo, in cujus viſceribus plurimum ſalis deliteſcit, quodque non procul à mari illo diſtat, quod eximie ſalſum & eſt, & in divinis ſcripturis audit.

§. 4.

Hactenus demonſtravi, ſuo Apoſtolum jure, voces πικρον, *amarum*, & ἁλυκον, *ſalſum* pro æquipollentibus habere. Si quis tamen diſtinguere malit, is ſane per me ſuo fruatur judicio, quin facillimum rectiſſimumque diſcriminandi modum ipſe monſtrabo; etſi prævideam, tantum non deriſui me fore, utpote nodos in ſcirpo quærentem, docentemque id, quod nemo, niſi cujus peregrinati nunquam ſunt oculi, ſemper aures peregrinantur, incompertum habet. Dantur amari fontes, dantur & ſalſi. Dulcedini contrarius maxime eſt amaror. Rectiſſime igitur Jacobus aquæ dulci adverſiſſimam oppoſiturus amaræ primum facit mentionem. Deinde ad eas-

dem

(w) Deut. XXIX. 23. Jud. IX. 45.

dem ſaporis penitus diverſi rediens aquas, probeque gnarus, exiſtere fontes quoque ſalſam extrudentes aquam, & huic cum amara unda plurimam maximamque intercedere convenientiam, in varietatis vocum gratiam pro amara ſalſam, non eandem certe, at vicinam tamen admodum ponit. Ecquid in eo abſoni, quæſo, eſt? Ecquid habent ſcioli atque vitilitigatores, quod carpant?

§. 5.

Majoris operæ eſt, tueri generale Apoſtoli noſtri enunciatum adverſus veteres illos, qui non unum fontem nobis obtrudunt, ex uno, ut videtur, foramine dulces ſimul & ſalſas aquas emittentem. ATHENAEVS: (x) Ἡροδοτος ἐν τεταρτη τον Ὑπανιν Φησιν ἀπο μεν των πηγων Φερομενον ἐπι πεντε ἡμερας βραχυν ἐιναι και γλυκυν, μετα δε ἀλλων τεσσαρων ἡμερων πλοον πικρον γινεσθαι, ἐκδιδοσης ἐις ἀυτον κρηνης τινος πικρας. — — Ἀριστόβουλος δ' ὁ Κασανδρευς Φησι, ἐν Μιλητω κρηνην ειναι Ἀχιλλειον καλουμενην, ἡς το μεν ῥευμα ειναι γλυκυτατον, το δ' ἐφεσηκος ἁλμυρον. *Herodotus libro quarto ſcribit, Hypanin e fontibus quinque dierum via exilem profluere ac dulcem, deinde poſt aliorum quatuor dierum iter amarum, amaro*

(x) Lib. II. cap. VI. p. 43. D. ed. Caſauboni Lugd. 1657. Fol. Addatur Ovidius Metam. XV. 285. 286.

amaro quodam fonte accedente. — — Ariſtobulus vero Caſſandræus inquit, Mileti fontem eſſe, Achilleum vocitatum, cujus profluens aqua dulciſſima ſit, quod vero in fundo reſedit, ſalſum.

§. 6.

Succedat πολυθρύλλητος *Himera*, princeps Siciliæ fluvius, eamque inſulam in duas propemodum æquales partes dividens. Hunc POMPON: MELA, (y) & ex veteri poeta VIBIVS SEQVESTER (z) perhibent ex uno ortum fonte, inque duos ſe ſcindentem alveos altero in Libycum mare, in Tuſcum altero decurrere; addunt vero VITRVVIVS (aa) & ANTIGONVS CARYSTIVS, (bb) altero ſalſas, dulces altero volvere aquas. CARYSTII verba JO. CHRISTOPH. WOLFIVS, (cc) omnium vero BOCHARTVS (dd) dedit. Himeræ jungatur Siciliæ pariter fluvius, *Hipparis*, de quo SCHOLIAST. PINDARI: (ee) Ἵππαρις, ποταμὸς οὗτος

(y) p. 45. ſub fin. ed. If. Voſſii Hag. Com. 1658. Quart.
(z) p. 49. ed. Fr. Heſſelii Roterod. 1711.
(aa) p. 159. ed. Amſtelod. 1649. Fol.
(bb) Hiſtor. Mirab. cap. 148. p. 110.
(cc) Curis ad h. loc. p. 52. fin.
(dd) Phaleg & Canaan lib. I. cap. XXIX. col. 552.
(ee) p. 39. col. a. ed. P. Brubacchii Francof. 1542. Quart.

ὁυτος ἐν Καμαρινῃ. Ἐσι δε αὐτε τε ῥευματος το μεν τι γλυκυ, το δε ἁλμυρον. Διοκαι Πινδαρον εἰρηκεναι σεμνας ὀχετας ἀναϛελλοντα. Quæ ad verbum pene reddita ſuo in Pindarum commentario inſeruit ER. SCHMIDIVS; (ff) ut minus neceſſe ſit interpretationem latinam ſubjicere.

§. 7.

Geminas id genus mirabiles aquas propinat nobis Hiſt. Nat. PLINIVS, alteras fontis, lacus alteras. De illis ita: (gg) *In Troglodytis fons Solis appellatur dulcis, circa meridiem maxime frigidus: mox paulatim tepeſcens ad noctis media fervore & amaritudine infeſtatur.* Quæ vero de his refert, ea jam ſupra exſcripſimus. (hh) Finiat ARRIANVS, de fluvio *Phaſide* hæc commemorans; (ii) Και ἠν κατα μεν τε ἐπιῤῥεοντος βαψαντα, γλυκυ το ὑδωρ ἀνιμήσαϑαι. Ἐι δε εἰς βαϑος τις καϑηκεν την καλπιν, ἁλμυρον. *Ejus aquam, ſi quis a ſummo hauriat, dulcem; ſin ab imo, urna aquaria in profundum demiſſa, ſalſam experietur.*

§. 8.

(ff) Olymp. E. p. 147. col. b. init.
(gg) Lib. II. cap. 103. p. 125. ed. Francof. 1608. Octav.
(hh) §. II.
(ii) p. 119. ſub fin. ed. N. Blancardi Amſtelod. 1683. Octav.

§. 8.

Hi igitur potiores veterum ſunt fontes fluviique & lacus, qui univerſale Apoſtoli effatum, quo, ullum fontem ſalſam ſimul & dulcem aquam edere poſſe, negatur, infringere videntur. Dignoſcamus nunc, quantum pote, cauti, quid ſolidum teſtes illi crepent. Equidem ATHENAEI EX HERODOTO *Hypanin* vix dignum judicaſſem, cujus injicerem mentionem, niſi infrunitos quosdam homines ATHENAEI verba exſcribere mutile, ut ſcribere eo magis mira videantur, hocque pacto illis, quibus in proclivi non eſt ipſum adire auctorem, fucum facere poſſe, comperiſſem. Eo nomine notandus eſt NICOL. CAVSSINVS, qui *Polyhiſt. Symbol.* (kk) Athenæum ſic latine exhibet: *Herodotus lib. 4. ſcribit, Hypanim e fontibus quinque dierum via exilem profluere, ac dulcem; deinde poſt aliorum quatuor dierum iter perquam amarum.* Aperte omittit Lojolita verſionem ſtatim ſequentium: Ἐκδιδοσης εἰς αὐτον κρηνης τινος πικρας. *Effundente ſe in eum fonte quodam amaro;* quæ ſane luculentiſſime probant, nihil heic miri ſubeſſe, nihil quod cum Jacobi pugnet enunciato, qui *unum* fontem ex *uno* affirmat foramine dulcem ſimul & amaram prodere aquam nequire; Hypanis vero *duplici* fonti, vel potius

(kk) p. 38. §. 48. ed. Colon. Agripp. 1623. Octav.

potius fontium ordini diverſas adverſasque ſuas debet undas, primum ex *fontibus* dulcibus dulcis ſurgens, talisque integra quinque dierum via decurrens, dein autem novo in eum influente amaro fonte contrahens amaritudinem. Sed quomodo illud ATHENAEI capiam, quod poſt *quinque* dierum viam ſequatur aliorum *quatuor* dierum iter, & hoc finito demum amarus fiat Hypanis? An ergo quatuor horum dierum durante itinere neque amarus eſt, neque ſalſus? Minime vero hoc dicere ATHENAEVS voluit. Μετά adverbialiter ei ſumitur, notatque *poſtea*, *deinceps*; ut voces: μετα δε ἀλλων τεσσαρων ἡμερων πλοον πικρον γινεσθαι, vertere oporteat: *deinceps vero curſum, alios quatuor dies longum, amarum eſſe.* Docet HERODOTVS, ex quo ſua hauſit ATHENAEVS, pro μετα adhibens ἀπο τουτου. Sed ipſas hujus non pigebit adſcribere voces, cum inſuper erroris eos manifeſto coarguant, qui forſan putent, ex iisdem fontibus fluvii hujus & ſalſas & dulces provenire aquas. Ad verbum itaque ſic: (11) Ἐκ ταυτης ὠν ἀνατελλων ὁ Ὑπανις ποταμος ῥεει. Ἐπι μεν πεντε ἡμερεων πλοον βραχυς και γλυκυς ἐστι. Ἀπο δε τουτου, προς θαλασσης τεσσερων ἡμερεων πλοον, πικρος δεινως.

(11) p. 241. Lib. IV. cap. LII. ed. Francof. 1608. Fol. Conf. Solini caput XIV.

νως. Ἐκδίδοι γαρ ἐς αὐτον κρηνη πικρη. Οὐτω δη τι ἐστα πικρη, ἡ μεγαθει σμικρη ἐσσα, κιρνα τον Ὑπανιν, ἐοντα ποταμον ἐν ὀλιγοισι μεγαν. *Ex hac igitur* (palude) *oritur Hypanis fluitque, ac quinque dierum navigatione anguſtus eſt atque dulcis. Sed abhinc quatuor ad mare dierum navigatione amarus admodum. Amarus enim in eum inſtuit fons. Qui ſane tam amarus eſt, ut, quum exiguus ſit magnitudine, tamen inficiat Hypanin, flumen in paucis magnum.*

§. 9.

Conjungimus, qui apud ATHENAEVM ſequitur, *Achilleum* fontem cum fluvio *Phaſide* ARRIANI, quem §. VII. expromſimus, quoniam uterque eodem modo comparatus eſſe dicitur, nimirum quod aqua ſuperior dulcis ſit, quæ vero in imo ſubſidat, ſalſa. An autem exinde concludendum eſt, ex iisdem eos foraminibus amaros ſimul & dulces accipere latices? Secus ſane arbitrabitur, qui meminerit, ſales aquis graviores eſſe, adeoque elevare ſe ἀδυνατες, ſuperioris regionis undas dulces, ſalſas reddere inferiores. Hac potiſſimum cauſa hæ nituntur obſervationes, quas legere eſt in *Actis Philoſophicis Societatis Regiæ Anglicanæ:* (mm) „Effodimus puteos aquæ dul„cis quandoque intra viginti orgyias, vel minus

(mm) Anni 1667. mens. Decemb. pp. 272. & 73.

„ minus a mari, qui cum fluxu & Refluxu „ inſtar maris delabuntur & adſcendunt; „ & idem patiuntur (ut mihi narratum eſt) „ plurimi putei in regione, quanquam a „ mari remotiore. Ubicunque hic fodi- „ unt puteos, fodiunt, donec fere attin- „ gant libellam ſuperficiei maris, & tum „ reperiunt aquam vel dulcem, vel ſalſam. „ *Si fuerit dulcis, foſſoresque duobus tribusve pedi-* „ *bus* (vel minus ſæpe) *profundius fodiant, of-* „ *fendunt aquam ſalſam.* Si fuerit ſolum are- „ noſum, vel ſabuloſus mollis lapis, lente „ aquam transmittens (& ſic quaſi eam „ percolans, atque a ſalibus, particulis „ craſſioribus, repurgans, ſolent reperire „ aquam dulcem; ſi vero fuerint duræ ru- „ pes calceæ, per quas nequeat aqua trans- „ bibi, ſed tranſeat per fiſſuras interme- „ dias (patentiores, una gravem & craſſio- „ rem ſalem transmittentes) ſalſa aqua eſt. „ Ex iisdem orta eſt fontibus aqua, quam iisdem locis ſalſam in profundioribus, & dulcem in ſublimioribus invenerunt puteis; fontesque illi non niſi ſalſi fuerunt. Verum ſal gravitate ſua retardatus non tam alte potuit adſcendere, quam levior aqua: hinc depreſſiores putei ſalſam aquam, dulcem continuerunt celſiores. Pari itaque ratione ſtatuendum eſt, Achillei Phaſidisque ſcatebras unius duntaxat gene-

generis aquas ebullire, videlicet ſalſas, harum vero ſummas partes dulceſcere, quoniam ſal propter gravitatem ſuam eas deſtituit. Qui autem majus ſalis, quam aquæ pondus vocare in dubium ſuſtineret, ex illo ego cauſam quærerem, cur maris unda ſalſa fluviatilem dulcem gravitate multum antecedat: quod experientia tam clare ingerit, ut mercatorem & navigantem fugiat neminem.

§. 10.

Siculi nos ad ſe fluvii, *Himera* & *Hipparis*, vocant. An vero Siculas eſſe gerras ambigis, eorum quæ de amaritie & dulcedine, ex iisdem fontibus originem capientibus, memoriæ prodita ſunt? Accipe ergo hæc de *Himera*. Non unus, ſed duplex hujus nominis eſt fluvius in Sicilia; non ex uno, ſed duplici, eoque diverſiſſimo, quoad loci etiam intercapedinem, fonte manans. Nullus recentiorum eſt chorographorum, ſi quidem alicujus ſit nominis, qui non ei rei teſtimonium perhibeat, veterumque caſtiget errorem. THOMAS FAZELLVS, qui rerum Sicularum ſcriptores, ex recentioribus ſua ætate præcipuos, in unum corpus redegit: „Fluvius, ait, (nn) Hime-

(nn) Lib. IX. prior. Decad. cap. II. p. 179. med ed. Francof. 1579. & Theſaur. Antiq. Sicil. Grævii Vol. IV. col. 224. A.

„ Himera, *Fluvius magnus hodie appella-*
„ *tus, priscorum ſcriptis celebratus vel ob*
„ id, quod mediam Siciliam dividere, &
„ duos ex uno eodemque fonte diſpares
„ gignere alveos (quorum, qui mare Tyr-
„ rhenum, dulces; ſed, qui Libycum in-
„ fluit, ſalſas habeat aquas) ad miraculum
„ creditus ſit. Quorum tamen errorem
„ res ipſa arguit. Is namque ejus alveus,
„ qui in mare Tyrrhenum excurrit, ad ra-
„ dices occiduas Nebrodis montis ex fonte
„ ad dexteram Politii oppidi exoriente, &
„ p. m. fere 20. ab oſtio recedente, caput
„ habet. — — Alter vero ejus alveus,
„ Gela a Virgilio dictus, qui in Libycum
„ fluit mare, ex altera Nebrodis parte, qua
„ meridiem reſpicit, ex fontibus ſupra Pe-
„ traliam oppidum oritur, ut in ejus de-
„ ſcriptione late diximus. Qui decurrens,
„ lapicidinas ſalis paulo poſt interfluens, &
„ ſalſi nomen, & ſalſas usque ad oſtium
„ aquas mutuat „ BOCHARTVS: (oo) Sita
„ eſt urbs ad occaſum Himeræ fluvii, quem
„ veteres per ſummum errorem putave-
„ runt eundem eſſe, & ex eodem oriri
„ fonte cum altero Himera, qui in meridi-
„ em fluit inter Gelam & Agrigentum.
„ — — Quin, licet utriusque fontes ex
„ Nebrode monte ebulliant, diſtant tamen
ab

(oo) Phaleg lib. I. cap. XXVII. col. 514. 5. fin.

„ ab invicem fere quadraginta millibus. „ Prolixior Sicilia Antiqua PHILIPPVS eſt CLVVERIVS, quam quem noſtræ capiant anguſtiæ. Quocirca ejus epitomatore BVNONE nos eſſe contentos oportet, qui: (pp) „ Non uno, inquit, eodemque fonte exo- „ riri prædictos duos amneis Himeras, „ ſed duobus diverſiſſimis, longeque inter „ ſe remotis, lib. I. cap. XVI. oſtenſum eſt. „ CELLARIVS (qq) denique: „ In contraria „ geminum Himeram (nam duo hujus no- „ minis ſunt) certum eſt fluere; ex uno „ fonte oriri, falſum. „

§. 11.

Quin & inter antiquos, qui emunctiorum fuerunt narium, POLYBIVS, (rr) DIODORVS SICVLVS, (ss) STRABO, & LIVIVS (tt) etſi Himeræ urbis amnisque plus ſemel meminerint, commodaque ipſis figmentum hoc attexendi ſuppetierit occaſio,

(pp) Lib. II. cap. III. p. 160.
(qq) Notit. Orb. Ant. Tom. I. Lib. II. cap. XII. p. 987. 5. fin.
(rr) Excerpt. Legat. p. 1089. med. & p. 1091. 5. fin. ed. Jac. Gronov.
(ss) Bibl. Hiſt. lib. XIX. p. p. 401. 402. Tom. II. ed. Weſſeling.
(tt) Lib. XXIV. cap. VI. n. 7. & lib. XXV. cap. XL. n. 8. Tom. III. ed. Drakenb.

caſio, caute tamen eo abſtinuerunt. Sed fac, verum eſſe, cujus abunde falſitatem demonſtravimus, ne ſic quidem ſequeretur, ex uno Himeram eodemque fonte dulces haurire & ſalſas undas. Fons dulces tantummodo ſuppeditat, ſalſedo vero a ſalinis, per quas alter decurrit alveus, provenit. Quod diſerte teſtatur ipſe, qui fabulæ huic patrocinatur, VITRVVIVS, inquiens: (vv) *Flumen Himera a fonte cum eſt progreſſum, dividitur in duas partes. Quæ pars profluit contra Aetnam, quod per terræ dulcem ſuccum percurrit, eſt infinita dulcedine: altera pars, quæ per eam terram currit, unde ſal foditur, ſalſum habet ſaporem.* Atque in poſteriori hoc non falli VITRVVIVM, probant ultima eorum, quæ ſuperiori paragrapho ex FAZELLO dedimus.

§. 12.

Nemo autem ignorantiam æque ſuam heic prodidit, ac SOLINVS, ſi quidem integer ille ac incorruptus ad nos pervenit. *Himeram*, dicit, (ww) *cœleſtes mutant plagæ: amarus denique eſt, dum in Aquilonem fluit; dulcis, ubi ad meridiem flectitur.* Duos enormes errores in pauculis his deprehendere eſt vocibus. Alter in eo verſatur, quod aquilonarem alveum amarum, dulcem perhibet

(vv) Citata pag. 159. med.
(ww) Cap. V. p. 15. B. ed. præmiſſæ Salmaſii Exercit.

bet meridianum; cum plane contrario ſe res habeat modo. Sed vero hunc errorem nominatim jam laudati FAZELLVS & BOCHARTVS, itemque SALMASIVS (xx) perſtrinxerunt. Alter eſt, quod in *cæleſtes plagas* hujus diverſitatis rejiciat cauſam. Quem ita confutare adgreditur THOMAS DE PINEDO ad STEPHANVM *de Urbibus*: (yy) „ Sæpe homines, cum rerum naturalium „ ignoramus cauſam, ad ſympathiam vel „ antipathiam quandam occultam, vel ad „ cœlum & aſtra, tanquam ignorantiæ no„ ſtræ aſylum, recurrimus. „ Sed vereor, ne, qui alium ignorantiæ poſtulat, ipſe ejus peragatur reus. Sunt omnino *cæleſtes plagæ* aquarum dulcedinis atque amaritiei cauſæ naturales. Oceanus eo magis eſt dulcis, quo Polis eſt propior: contra eo magis ſalſus, quo Aequatori vel Zonæ Torridæ magis vicinus exiſtit. Cujus diſcrepantiæ hanc primam & præcipuam tradunt cauſam ſubacti ingenii Geographi, quod Solis fervor in Zona Torrida longe plures vapores ex oceano in nubes attollit, quam in locis ſeptentrionalibus, vapores autem illi

(xx) Exercit. in Solinum p. 80. D. E. edit. Traj. ad Rhen. 1689. Add. Cluverius Sicil. Ant. col. 260. Tom. I. Theſaur. Ant. Sicil.

(yy) pag. 327. num. 71. ed. Amſtelod. 1678. Fol.

illi ſunt aquæ dulcis, quoniam ſalis particulæ propter gravitatem ſuam difficulter admodum, vel, ut volunt alii, plane non elevantur; de quo videatur BERNH. VARENIVS. (zz) Quocirca in hoc potius SOLINI conſiſtit error, quod contrarios effectus plagis cœleſtibus, tanquam cauſis, attribuit. Aquilonaris dulcem, non amaram; meridiana vero non dulcem, ſed amaram efficit undam. Deinde & in eo hallucinatur idem SOLINVS, quod, vicinarum, utpote ejusdem inſulæ, aquarum ſaporem prorſus contrarium a plagis cœleſtibus arceſſit. Neque enim illæ in una inſula tam poſſunt eſſe diverſæ, imo adverſæ, ut alterius alvei edulcent, alterius amaritudine infeſtent aquas. Denique non animadvertit SOLINVS, faciendum diſcrimen inter fluvios & maria eſſe. Ad fluminum aquas tanta copia in vapores a plagis cœleſtibus diſſolvendas atque ſurſum tollendas, ut pene in ſalſilaginem reſiduæ undæ convertantur, amarescantve, longiſſimum temporis ſpatium requiritur, & neceſſe eſt, ut tamdiu iisdem in locis eædem unda ſubſiſtant atque commorentur. At vero nihil minus in fluviis accidit: undam continue unda propellit, ſuccedente ſemper in prioris locum poſteriore, ut nec unum

(zz) Geogr. Gen. Part. Abſol. lib. I. Propoſ. X. p. m. 163.

unum momentum alveus idem eandem ubique teneat aquam, ſed veterem nova actutum expellat, & plerumque tota flumina, quæ paulo ante coarctabant alvei, nunc liberioris aquæ ſuſcepta campo littora pro ripis pulſent. Secus comparata ſtagna ſunt, lacus & maria, Oceanusque ipſe; in quibus eadem aqua, ſi minus perpetuo, at certe perdiu remanet.

§. 13.

Ut color omnis commento abſtergatur, ejus pandamus incunabula. Quemadmodum

pictoribus atque poetis
Quidlibet audendi ſemper fuit æqua poteſtas; (aaa)

ita, qui primus Himeram in hermaphroditum γλυκυπικρον convertit, eſt poeta STESICHORVS, civis Himeræ, cognominis urbis, cujus ipſa mœnia fluvius noſter alluit. Docere VIBIVS SEQVESTER videtur his vocibus: (bbb) *Hoc flumen* (Himeram) *in duas findi partes ait Steſichorus; unam in Tyrrhenum mare, alteram in Libycum decurrere.* Et quo minus hac in parte id miremur, ille ipſe STESICHORVS eſt, qui multa alia confinxit,

(aaa) Horat. Art. Poet. vv. 9. 10.
(bbb) p. 49. init. ed. Heſſelii Roterod. 1711.

finxit, & ex cujus primum ingenio fabula illa de progreſſu armatæ Palladis ex Jovis capite manavit, ut auctor APOLLONII eſt SCHOLIASTES, cujus verba cel. JACOBVS GRONOVIVS ad STESICHORI effigiem in *Theſauro Græc. Ant.* (ccc) exſcripſit. Sed audi, ſis, eundem ibidem GRONOVIVM, ut auctoritate dicentis etiam nonnihil fidei aſſertioni meæ accedat. *Quibus*, ait, (Vibii verbis) *indicatur* (Steſichorus) *primus auctor illius deſcriptionis, quæ tam temere in Geographiam admiſſa fuit, quum ille indulgeret fictioni poeticæ. Sed quo minus in hac parte id miremur, is ipſe Steſichorus eſt, a quo fluxit tota illa fabulatio de armatæ Minervæ progreſſu ex Jovis capite, ut miram quantam oporteat fuiſſe hujus hominis fidem.* Faciunt quoque huc, quae in antecedentibus de cithara & hymnis STESICHORI affert GRONOVIVS, nobis vero per prolixitatem non licet apponere. Quod igitur ille in patriae urbis honorem ſplendide mentitus eſt, luſitque, ut vates, id avide ſequior aetas pro vero arripuit, & temere inſeruit Geographiae, praeſertim cum in errore confirmaretur, quod utrique flumini & unum eſſet nomen, & unus ortum praeberet mons, nimirum Nebrodes, qui, ut SILIVS ITALICVS canit, (ddd) *gemini nutrit divortia fontis.* Quae

SILII

(ccc) Tom. II. p. 38. (ddd) Lib. XIV. 237.

SILII verba, ut hoc obiter moneam, declarant, immerito cum aliis, tum ipsi BOCHARTO (eee) Consularem poetam illis accenseri, qui crediderint, unum dari in Sicilia Himeram fluvium, unumque ejus fontem. Quid enim? Annon *gemini fontis?* annon *divortiorum* meminit? Occurris: *Loquitur tamen unitatis numero de Himera. En ipsas ejus voces proxime antecedentes: Dividuas se scindit in oras, nec minus occasus petit incita, quam petit ortus.* At vero poetae licet duo ejusdem nominis flumina pro uno accipere; diversos autem fontes diversosque cursus dum una illis adsignat, satis declarat, se non pro uno habere. Nisi vero & idcirco eum velis inscitiae Geographicae insimulare, quod occasus & ortus petere Himeram scripserit. Rursum licentia poetica occasus notant septentrionem, meridiem ortus.

§. 14.

Alterum Siciliae fluvium, *Hipparin*, solus, quod sciam, PINDARI SCHOLIASTES inter dulces partim, partimque amaros refert.

(eee) Phaleg col. 552. lin. 13. Cluverius etiam, ut postmodum comperi, Silium defendit his exorsus vocibus: Verum errorem hunc scitissime correxit Silius. Vid. Tom. I. Thesaur. Antiq. Siciliæ p. 259. lin. penult.

fert. Verum ſi vel maxime veritati litaverit, nullis tamen fidiculis ex ejus verbis extorſeris, has contrarii ſaporis aquas unam ſubminiſtrare ſcatebram. Ne quidem neceſſe eſt duos fluvii illius ſtatuere alveos. Uno enim SCHOLIASTES adhibito numero dicit: Αυτȣ τȣ ῥευματος το μεν τι γλυκυ, το δε ἁλμυρον ἐϛι. Quae ſimpliciſſime interpretari convenit: *Ipſius fluvii, vel profluentis aquae una quidem pars dulcis, altera vero ſalſa eſt.* Concinit ERASM. SCHMIDIVS, eundem SCHOLIASTEN, quem negari nequit ante oculos habuiſſe, ita reddens: (fff) *Alvei ejus pars una ſalſas, altera dulces vehit aquas.* Nimirum ex mente hujus SCHOLIASTAE perinde, ac HERODOTI & ATHENAEI Hypanis, de quo ſupra (ggg) egimus, *Hipparis* uno eodemque alveo jucundus primum, dein vero amarulentus decurrit; atque ſuccedentem poſt aliquod intervallum amaritudinem per novum quendam in ſe incurrentem fontem, aut ipſam, quam tum lambere incipit, terram ſibi comparat. Cavernoſa eſt Sicilia, & plena intus, ſubtus ſale, nitro, ſulphure, aliisque mineralibus, quorum circumfluum mare, in ejus ſe cavernas inſinuans, cauſa aut ſolitaria eſt, aut ſocia; hincque fre-

(fff) Olymp. p. 147. col. b. lin. 4.
(ggg) §. VIII.

frequentibus Aetnae incendiis ac terrae motibus eadem Sicilia infamis. Quid ergo mirum, in ejusmodi insula fluvium ab origine labi mitem atque sapidum, praedominantibus vero in illo tractu, quem extentus secat, salsacidis particulis, in acrimoniam se & acerbitatem induere? Camarinam, nunquam satis moveri conceſſam, tametsi accolae propter insalubrem graveolentiam mire concupiscerent, medius Hipparis fertur permeare, exque eo appellationem sortitus BOCHARTO (hhh) videtur. Omnino itaque nauseosus eum lacus vitiat, deturpat, & plurimo insuavi sale quasi perfricat. Quin, ut idem BOCHARTVS (iii) ex PINDARI SCHOLIASTE observat, *accedente maris æstu* format terram Hipparis, ex qua lateres ad aedificiorum structuram formant Camarinenses. Si salsi maris amnem hunc accedit aestus, quomodo a salsedine perstare immunis potest? Sed tamen expendas, velim, quae contra BOCHARTI observationem, PINDARI Scholiastae, ARISTARCHO debitam, alii duo ejusdem PINDARI Scholiastae, DIDYMVS & DEMETRIVS attulerunt, in latinum conversa sermonem ab ERAS. SCHMI-

(hhh) Phaleg. col. 548. lin. 72.
(iii) Ibid. lin. 54. seqq.

SCHMIDIO, (kkk) atque PHIL. CLVVERIO. (lll) Hunc ego CLVVERIVM demiror, opere illo tam vaſto, quam erudito, quo cum cætera omnia Siciliæ antiquæ memorabilia diligentiſſime perſecutus eſt, tum quæcunque ad *Hipparin* illuſtrandum SCHOLIASTAE PINDARICI in literas retulerunt, pleniſſime exſcripſit, ſcholium imprimis notabile, quod Hipparin hunc prædicat & dulcem & ſalſum, omiſiſſe. Utrum editioni vatis Thebani, qua uſus CLVVERIVS eſt, ſcholium hoc defuit, an vero fidem ei non adhibendam, adeoque nec expromendum vir doctus putavit? Lector ipſe arbitretur. Poſtmodum incidenti mihi in ſequentia FAZELLI: (mmm) *Poſt Hipparis oſtium quingentis fere paſſibus lacus eſt alius jactu lapidis a mari refugiens, ſed imbribus auctus, cujus aquæ lapillorum inſtar in ſal inareſcunt;* venit in mentem, num ne hunc vicinum Hippari lacum cum Hippari ipſo confuderit dictus ſæpe SCHOLIASTES, & ſalſedinem illi privam ac propriam cum hoc communicaverit? Quæ ſuſpicio mea ſi vero non abludit, nullo quivis negotio perſpicit, indignum plane eſſe Hipparin, qui amnium, dulcibus ſimul & ſalſis undis

ad

(kkk) Olymp. p. 147 poſt med.
(lll) Tom. I. Theſaur. Ant. Sicil. col. 239.
(mmm) Volum. IV. Theſaur. Ant. Sicil. col. 133. E.

ad miraculum usque insignium, numero locoque habeatur.

§. 15.

Restant PLINII in Troglodytis *Fons Solis* & *Lacus Insanus*. Quod priorem concernit, ATHANASIVS KIRCHERVS in *Mundo Subterraneo*: (nnn) „ Si vera sunt, ait, quæ „ Plinius dicit (de Fonte Solis,) ego ratio„ nem ejus subterraneorum meatuum con„ stitutioni facile adscriberem, quorum „ prior ex aquæ dulcis (ita lego pro *est* „ *aqua dulcis*) perenni fluxu per appropriе„ tatum sibi canalem, ut cæteri fontes dul„ ces, impletur. Alter ex oceano longo „ viarum tractu ductus, & ignibus subter„ raneis calefactus, constituta hora sese in „ eundem fontem exonerat. Quoniam „ vero hujusmodi canalis aqua a fluxu & „ refluxu maris agitatur, fit, ut sex aut „ pluribus horis fonti sese paulatim insinu„ et, detumescente vero mari & ipse sese „ retrahens a fluxu desistat, nec affluxu „ maris iterum urgeatur. Amaror autem „ aquæ ex locis nitrosis, per quæ fluit, re„ sultat, quibus paulatim subsidentibus „ corpusculis nitrosis, aqua limpida præ„ valescente, paulatim pristino suo frigori „ & dulcedini restituitur, quod circa meridiem

(nnn) Tom. I. lib. V. Sect. IV. cap. 1. §. 1. p. 275.

„ diem fieri, narratur. Canali vero æſtu „ maris denuo ſollicitato, fontem jam fri- „ gefactum denuo incaleſcere, & amare- „ ſcere neceſſe eſt. Aeſtum vero maris „ maxime ſole lunæ juncto in meridie fer- „ vere, ſupra oſtenſum fuit. „ Ergo duplex heic canalis eſt, duplexque adeo & foramen ſuperius, quorum alterum perpetim in Fontem ſolis dulcem effundit aquam, & ad meridiem uſque illum conſtituit dulcem; per alterum vero a meridie aqua marina in eundem ſe exonerans reddit eum tamdiu amarum, donec, ſalſa unda regreſſa, & limpida iterum prævalente, priſtinam dulcedinem recuperet. Quæ ſi ita ſunt, Fons Solis a *duplici* alio interiori fonte, ſive foramine aquas ſuas mutuatus, nullum præjudicium Apoſtoli facit enunciato, qui ex uno foramine fontem negat ſalſam ſimul & dulcem aquam ejaculari. Et quo minus dubites, fontem dulcis aquæ perennem, conſociantibus ſe ipſi per alterum foramen maris undis, amareſcere inſigniter atque totum; putat KIRCHERVS, maris illas undas loca nitroſa percurrere, ex iisque amarorem illarum valida capere incrementa. Equidem compertum habeo, KIRCHERVM majorem ſubterranei ignis copiam ſtatuere, majoremque movendi vim illi tribuere, ac multis videtur, &

illo

illo cumprimis nomine CASP. KIRCHMAYERO (ooo) vapulare. At tantum tamen abeſt, ut negari queat, marinas aquas per canales ſubterraneos fontibus, qui jam ſunt, commiſceri, ut confitendum ſit, multos hoc pacto primitus conſtitui ac procreari. Ita ROB. PLOT (ppp) de Origine Fontium probabile exiſtimat, plerosque a pluviis non pendere; ſed ab ipſo illis mari per ſubterraneos meatus aquas ſuppeditari.

§. 16.

Quod vero de *Lacu Inſano* affert PLINIVS, an ſatis ſanum ſit & fide dignum, ambigo. Illo, quo id promit, loco (qqq) talia de fontibus & lacubus cumulat, quæ ipſe propemodum credidit, ſani & ſubacti judicii lectorem non fore crediturum. Hinc, poſtquam aliquot eorum prodigia, omnem pene fidem excedentia, quæ inter & illud *Lacus Inſani* eſt, recenſuit, veritus quaſi, ne labaſcat jam lectitantis fides, eam, hæc interponendo verba, (rrr) ſuffulcire adgreditur: *Quod ſi quis fide carere ex his aliqua arbitratur, diſcat, in nulla parte naturæ majora eſſe miracula.*

§. 17.

(ooo) Append. anni VIII. Decur. II. Ephemer. Nat. Cur.
(ppp) Act. Erud. Lipſ. anni 1685. p. 538.
(qqq) Lib. XXXI. cap. II.
(rrr) p. m. 1335. poſt. med.

§. 17.

Diverſiſſimæ naturæ corpora ſunt ſal & aqua. Conjungi poſſunt, nequaquam vero alterum ejus mutari in alterum. Quapropter nunquam dulcis aqua, vel ad minimam redacta copiam, in ſalſam abit & convertitur, niſi eatenus, quatenus ante jam ſalem habuit admixtum, aut novus ei ſal aliunde acceſſit. Ex quo conſequitur, nec unquam fontis aquam per ſe, vel per ipſum, quod eodem recidit, fontem ita immutari, ut ex una eademque ejus rima modo dulcis promanet, modo ſalſa. Immutabilia in ſe corpora, quæ cæteris corporibus omnibus, eorumque figuris & operationibus ortum præbeant, atque cunctis aut plerisque phænomenis ſufficiant enodandis, *tria*, videlicet *ſal*, *aquam* & *terram*, ponit Idea Actionis Corporum JACOBVS LE MORTIVS. (sss) Conjunctio quidem ſalis cum aqua, quam paulo ante tangebamus, tam eſt univerſalis, ut nec dulciſſima eo deſtituatur, etſi propter exiguam portiunculam nullo ſenſu dignoſci queat: imo tam intime & valide qualicunque inhæret aquæ, ut nulla arte penitus ab ea ſeparari poſſit. *Qualiscunque aqua fontana*, inquit KIRCHERVS, (ttt) *per alembicum diſtillata*,

(sss) Act. Erud. Lipſ. anni 1693. p. 402.
(ttt) Tom. I. Mundi Subterr. p. 162. ſub fin.

lata, semper nonnihil salis in fundo relinquit, ut Chymicis notum est: & PETRVS KOLBIVS, qui in *Itinere suo ad Caput Bonæ Spei* (vvv) epistolas XVIII. XIX. & XX. aquis impendit, testatur, pluviali dulci in vapores resoluta ac dissipata sal itidem in solo remanere. Ut ut igitur actu sal aquæ conjunctissimum experimur, natura tamen disjunctissimum est & manet. Ad eundem modum hominis mens atque corpus, quæ toto genere differunt differentque in æternum, juncta arctissime deprehendimus. Solvi ab immeante aqua salis queunt partes, nequaquam vero, quoad essentiam, mutari aut annihilari. Quapropter habeat mare ex poëtarum commento suum Protea, qui se; nullum ex vero habent fontes, qui ipsorum aquas transformare aptus natus sit. Si qui dantur, qui temporibus diversis adversos imbibunt sapores, quales tamen aut oppido pauci, aut potius omnino nulli sunt, non domi, sed foris hauriunt, nec domestici, sed peregrini, adventitii, imo hostiles pincernæ insueta ipsis miscent pocula. Naturæ abortus, portenta & ludibria ejuscemodi sunt scatebræ, quas nullo tuo jure consultum iveris, ubi cum Apostolo definiendum generali aliquo axiomate venit, quid naturæ legibus consentaneum sit,

(vvv) Norimbergæ 1719. Germaniæ Fol. edito.

ſit, vulgoque ac ordine fiat. Et tralatitium eſt; nullam regulam tam eſſe firmam, quæ non patiatur exceptionem.

§. 18.

Probe diſtingui oportere inter arida & liquida, vix monendum duco. Arida medicamenta vel centum pharmacopola poteſt una concludere & aſſervare ciſta, quorum ſingula ſingularem teneant retineantque ſaporem. At ſi duos modo ſaporis diverſi liquores vaſculo infundat, confunduntur illi momento citius, & alterius ſaporem alter participat. Ea enim natura fluidorum tantum non omnium eſt corporum, ut conjuncta actutum ſe commiſceant, ac mutuo non ſolum ſe ipſa ingrediantur, ſed & heterogeneas, quas vehunt, particulas invehant. Quocirca *dulcamarus*, vel *dulcacidus* eſſe unus idemque fons poteſt, neutiquam vero *dulcis & amarus*, vel *dulcis & acidus*. Nam dulcamarum ſignat dulci amarum, & dulcacidum eidem dulci acidum immixtum; ſed dulce & amarum vel acidum, quod ſeparatim & dulce & amarum vel acidum eſt. Quæ ſaporum, eadem heic colorum eſt ratio. Simul atque albo & nigro aquam tinxeris, non una ejus pars alba, nigra altera redditur, ſed, duobus his coloribus repente in unum tertium coeun-

coeuntibus, tota incaneſcit, ut cum ratione inſaniat, qui affirmet, fontem ex eodem cavo ejectare aquas poſſe, quæ & candore cum lacte aut necdum calcata nive, & nigredine cum pice aut atramento ſe exæquent. Num in diluculo & crepusculo ſejuncta lux a caligine eſt? Num in tepore ſeparatus a frigore calor? Movens ſe terra atque concutiens bellum quaſi inteſtinum gerit, quo in ſua ſævit viſcera, nec ſuperficiem tantum devaſtat. Quod ſi mineralia tum ſalſa & amara, hoſtilium copiarum inſtar, dulces fontes irrumpunt corrumpuntque, pro gratis illi ſapidisque inſipidos nec potabiles projiciunt latices. Quod horridius effluvium acquis æquus rerum arbiter dulci ante hanc ſibi factam vim ſcaturigini dixerit naturale eſſe? Ἀσυ-σατα ſunt dulce & amarum, neque poſſunt ſibi per humida corpora admoveri, quin ſe mutuo confeſtim infeſtent, alterumque vel edulcet alterum, vel amaret, prout alterutrius copia atque vis exſuperant: unde Rhetorum filii ad Oxymorum, quo ad acute contradicendum pugnantia junguntur, referunt CATVLLI hoc: Non eſt dea neſcia noſtri, quæ *dulcem* curis miſcet *amaritiem*. Non, ut neglectis urenda filix innaſcitur agris; non, ut terra, cui Deus maledixit, ultro ſpinas & carduos profert;

ſic dulcis ab origine fons mediis in aquis ſalſa amaraque gignit corpuſcula, nec ſeparat deinceps eadem a potiori undarum ſuarum parte, ac tandem cum exiguo humido vehiculo ſeorſum ejectat. Ubi, quæſo, diſerte dicitur, fontes nominatim ob primum peccatum divino percuſſos anathemate eſſe? Neque vero ſolum civile bellum in regno ſubterraneo fontes habent extimeſcendum, ſed extraneorum quoque hoſtium expoſiti ſunt injuriis. Violenti denſique imbres plurimum impuræ aquae iis infundunt, & pæne totos arena coenoque opplent, ut qui antea limpidiſſimi, nunc turbidi & lutulenti ebulliant. Num vero harum ſordium effectrices cauſae cenſendi ipſi ſunt fontes? Venenatos ſubinde fontes, & ex ſaluberrimis redditos eſſe mortiferos, juxta recentiores atque veteres hiſtoriae loquuntur. Quam immerito tanti ſceleris culpa in ipſos fontes conjicitur, tam perſuaſum habeo, nullos fontes, natura dulces, per ſe aquis ſcatere amaris.

§. 19.

Non ſolum appoſite, ſi ipſius rei habeatur ratio, ſed quoque, ſi verba ſpectentur, uſui claſſicorum auctorum perquam convenienter divus JACOBVS ſimile dulcium

&

& ſalſarum aquarum mollibus atque aſperioribus, de quibus agit, ſermonibus accommodat. Eſt enim familiare admodum optimis Graecis, voces leniores atque auditu jucundas *dulcium*; contra ea moleſtas & acerbas ſalſarum aquarum inſignire appellationibus, PLATONIS, ATHENAEI, HESYCHII, & EVSTATHII huc facientia loca BOCHARTVS (www) jam occupavit. Addo ego PROCOPIVM ſcribentem: (xxx) Ἐπινοησαι μεν τα φαυλα, και ἐπιτελεσαι ὀξυς. Των δε δη ἀγαθων και ἀυτην πϱ τηϛ ἀκοηϛ ἁλμυραν ἐιναι ὁιομενος. *In comminiſcendis facinoribus, iisque in effectum perducendis acutus fuit. Sed vero eorum, quæ honeſta ſunt, vel audire tantum nomina, ſalſum* (hoc eſt *inſuave* ac *moleſtum*) *arbitrabatur.*

§. 20.

Quandoquidem Apoſtolus, poſtquam commate primo hujus tertii capitis eos notavit, qui ex arrogantia *docendi munus* ſibi arrogabant, ſtatim verſu ſecundo de *linguæ abuſu* loqui incipit, idque argumentum ad noſtra uſque verba perſequitur; ſunt, qui putant, *bilingues falſos doctores*, & cumprimis *Anti-*

(www) Phaleg. coll. 552. & 553.
(xxx) Hiſtor. Arcan. cap. VIII. p. 26. D. l. 3. Corp. Byz. edit. Paris. 1663.

Antichriſtum, aut ſaltem *ejus præcurſores* hoc ſimili fontis, dulcem & amaram non emittentis aquam, redargui. Quod *Antichriſtum* ejusve *præcurſores* attinet, nequeo adduci, doctis viris pollicem ut premam. At vero generatim, ut hæreſes amarulentarum aquarum, ita falſos doctores fontium, eas ebullientium, & heic & alibi emblemate pingi, ambabus largior. Obſervatu digniſſimus occurrit locus Apoc. VIII. 10. 11. *Cecidit e cœlo ſtella magna, ardens ut lampas, & cecidit in tertiam partem fluviorum, & in fontes aquarum. Nomen autem illius ſtellæ dicitur Abſinthium. Verſa igitur eſt tertia pars aquarum in abſinthium, & multi homines mortui ſunt ex illis aquis, quoniam amaræ factæ ſunt.* Quis Theologiæ dat operam, qui in Hieroglyphice divini Spiritus tam ſit hoſpes, ut doctores ignoret *Stellis*, eosdemque in errorem prolapſos, & ſedibus idcirco ſuis motos atque excommunicatos *cadentibus e cœlo ſtellis* figurari? *Magna* heic viſitur *ſtella*, quæ ex ſententia celebriorum interpretum, COCCEJI, VITRINGAE, aliorumque eſt hæreſiarcha *Arius*, publico primi Oecumenici Concilii decreto de ſtatione ſua ac dignitate dejectus, & ejectus eccleſiæ gremio. Nomen vero ei eſt *Abſinthio* ob amaritudinem, ut quivis perſpicit, & ἐτυμῶς ſequitur; cadensque in *tertiam partem fluvio-*

rum

rum & in *fontes aquarum* amarore utraque tingit, quia totius propemodum Asiæ minoris, *tertiæ* circiter Romani tum imperii partis, doctrinam pestilentissimo errore suo infecit. Scriptores θεοπνευστος imitantur christiani recentioris ætatis Græci. Sic Imperatoris Constantinopolitani dignissima progenies, ANNA COMNENA: (yyy) *Hæretica late omnia circa Philippopolin erant.* Συνεισεβαλε δε και τουτοις ἑτερος ποταμος, ὁ των Ἀρμενιων ἀλμυρος, και ἀλλος ἀπο των θολερωτατων πηγων Ἰακωβ. *Simul vero se immisit his fluvius ille Armeniorum* (hæreseos) *salsus, insuperque alius ex lutulentissimis Jacobi fontibus.* Denuo EADEM: (zzz) Τους Μανιχαιους της ἀλμυρας μεταγων θρησκειας, και τω γλυκερος ἐμφορων δογματος. *Manichæos a salso transferens cultu, & dulci implens dogmate.*

(yyy) Alexiados lib. XIV. p. 452. C. l. 6. Corp. Byz. Paris. 1651.
(zzz) p. 453. B. l. 12.

II.

JACOBI SCHEPPII

ECCLESIAE HORNBACENSIS PASTORIS

DISSERTATIO THEOLOGICA

DE

PRAEROGATIVIS APOSTOLORVM. (*)

§. 1.

Jesus Christus, quum per passiones consummatus esset, ad dextram Patris considens regnum cœlorum hunc in finem capessivit, ut electos ex omnibus terræ gentibus,

(*) Licet *Prærogativas Apostolorum* egregie & copiose jam expoſuerint Theologi celeberrimi FR. SPANHEMIVS F. *Miscell. Sacræ Antiq. l. III. diss.* 1. quæ exstat, *Opp. T. II p.* 290. FRANC. BVRMANNVS, AVVS, *Exercitat. Acad. P. II. p.* 104 *sqq.* & WITSIVS *Miscell. T. I l.* 1. *c.* 21. 22. non tamen penitus hæc Diss. pl. Rev. & Doctissimi SCHEPPII, cujus *dissertatio ad* 1 *Pet. III.* 18 22. laudatur *Biblioth. hujus Fasc. II. p.* 382. *& seq.* videtur superflua. Summatim enim hic & velut in compendio prærogativæ præcipuæ recensentur, & ex comparatione hujus diss.

tibus, ſanguine proprio redemtos, colligat, regat, tueatur ac denique in gloriam introducat. Quod ut efficiat, duobus præcipue mediis utitur, altero interno inviſibili, altero externo viſibili, ſcilicet Spiritus Sui donis atque Evangelii prædicatione. Hujus præcones non Angelos, ſed homines, quæ ejus eſt ſapientia, eſſe voluit. Itaque partim Apoſtolos, partim Prophetas, partim Evangeliſtas, partim paſtores & doctores dedit, ad compactionem, ad opus miniſterii, ad aedificationem corporis ſui Epheſ. IV. 11. 12. Inter quos cum altius emineant Apoſtoli ab Optimo Soſpitatore ad regnum hoc in toto orbe terrarum plantandum electi, neceſſariisque ad hunc finem conſequendum donis inſtructi: haud inutilem me operam in eorum *prærogativis* exponendis collocaturum eſſe ſpero, hocque magis, quod doctrina hæc nonnullis S. Scripturæ locis aliquam affundat lucem. Equi-

diſſ. cum memoratis VV. DD. laboribus abunde patet, quanquam inter ſe vario modo conveniant neceſſe ſit, Theologos citatos ab autore hujus Diſſ. non fuiſſe conſultos. Inde eſt, quod hic occurrant, quæ apud illos fruſtra quæſiveris, & expoſitio locorum aliquot S. S. differat ab illorum exegeſi. Propriæ meditationis hic conſpiciuntur non contemnendi fructus, quales ut *Vir Doctiſſimus* in Biblioth. hac apponere pergat, ſerio rogamus. N. B.

Equidem haud ignoro, Viros celeberrimos W. CAVEVM in *vitis Apoſtolorum*, & inprimis I. F. BVDDEVM in *eccleſia Apoſtolica*, argumentum hoc pertractandum ſibi ſumſiſſe: veruntamen mihi perſuadeo, nondum ita explanatum eſſe, ut ſpicilegium quoddam mihi non relictum ſit.

§. 2.

Ab etymo ut ordiar, nomen ſuum ab ἀποστέλλειν, *legare*, derivant. Apoſtolus igitur legatum ſeu nuntium deſignat. Chriſti loco functi ſunt legatione. 2 Cor. V. 20. Numero XII. fuerunt, unde οἱ δώδεκα plerumque appellantur Matth. X. 1. 2. aliisque compluribus locis. Nomina eorum l. c. leguntur. Qui numerus *duodenarius* ubi *Judæ Iſcariotæ*, proditoris Domini noſtri, fœdiſſima morte, quam ipſe ſibi conſciverat, diminutus eſſet, *Matthias*, in locum ejus ab ipſo Domino ſuffectus, eum denuo, complevit Act. II. Ad ſacrum hunc *Duodecimviratum Paulus*, antea Saulus dictus, quaſi tunc temporis ſupernumerarius, Chriſto ſic ſapienter volente, acceſſit. Act. IX. Siquidem brevi temporis ſpatio futurum erat, ut Jacobus ſenior morte violenta ab Herode e medio ante tolleretur, quam officio Apoſtolico inter gentes defungi poſſet: Cur *nec plures*, *nec pauciores* Dominus dederit

Apo-

Apoſtolos, hæ adferri poſſunt rationes. *Primum*, quod electi erant teſtes reſurrectionis Chriſti in quatuor mundi partibus, non plures quam duodecim requirebantur. Ternorum in ſingulis partibus teſtimonium, vi juris, ad rei probationem ſufficiebat. *Deinde* idem ratio typica poſtulavit. Quemadmodum enim ex duodecim filiis Jacobi Iſrael ſecundum carnem natus eſt: pari modo voluit Chriſtus Iſraelem ſecundum ſpiritum progigni ex ſemine, id eſt, verbo, duodecim Apoſtolorum, ceu totidem patrum ſpiritualium. Huc Chriſtus alludit, Apoſtolos promittens ſeſſuros ſuper duodecim thronos ac duodecim tribus Iſraelis judicaturos Matth. XIX. 28. *Denique* numero duodenario *Paulum* additum eſſe, hujus rei quoque cauſſam ex eodem typo repetendam eſſe exiſtimo. Namque S. Scriptura tradit, duodecim tribus Iſraelis decimam tertiam ſuperadditam fuiſſe hoc modo, quod ambo Joſephi gnati pro duarum tribuum ſatoribus reputandos eſſe Deus voluit. Geneſ. XLVIII. 5.

§. 3.

Prætermiſſis iis, quæ ad Apoſtolorum patriam, vitæ rationem litterarumque ignorantiam ante Apoſtolatum pertinent, de quibus Caveus l. c. conſulendus eſt: Itemque

quæ ipſis cum miniſtris Evangelii ordinariis communia fuere, inſtitutum propius accedens *primam Apoſtolorum Prærogativam fuiſſe pono, quod ab ipſo Chriſto, nullo homine interveniente, ſeu ut in ſcholis dicunt immediate, ad Apoſtolatum vocati, eruditi, atque adeo teſtes oculati & auriti Ejus doctrinæ, miraculorum, paſſionum cumprimis reſurrectionis atque adſcenſionis in cœlum fuere.* Chriſtus Apoſtolos elegerat Act. I. 2. *Vos*, ita iis Dominus præcipit, *vos teſtabiminor de me, quia ab initio* (prophetici mei muneris) *mecum eſtis* Joh. XV. 28. *Vos eritis mihi teſtes Hieroſolymis, in tota Iudæa & Samaria & uſque ad ultimas terras.* Act. I. 8. Quare quum in *Judæ Iſcariotæ* locum alius eſſet ſufficiendus, contenderunt οἱ ἕνδεκα, oportere unum ex iis viris, qui toto tempore, quo Ieſus verſatus ſit inter eos, rebus interfuerit, fieri cum ipſis teſtem reſurrectionis Chriſti. ibid. v. 21. 22. Hinc ſcribunt Apoſtoli: *quod audivimus, quod vidimus oculis noſtris, quod manus noſtræ contrectarunt, id annuntiamus vobis* 1 Joh. I. 1-3. Hinc exclamant: *Jeſum ſuſcitavit Deus, cujus rei omnes nos ſumus teſtes* Act. II. 32. Quæ cum ita ſint, objiciat forſitan aliquis, qua ergo ratione *Paulus* poſt abitum Chriſti in cœlos doctrinam demum chriſtianam amplexus, in Apoſtolorum numerum referri poſſit? Paucis reſpondeo. Hunc munere Apoſtolico

lico revera functum eſſe alibi fuſius demonſtrabo. Impræſentiarum hæc modo obſervari velim. Ecquis auſit affirmare, Paulum eo tempore, quo Chriſtus inter Judæos verſatus eſt, Hieroſolymi ſtudiorum cauſſa morantem, rerum adeo fuiſſe incurioſum atque ſocordem, ut nunquam ad conſpiciendum Jeſum Nazarenum, celeberrimum illum Doctorem atque miraculorum ſtupendorum editorem, cujus fama Judæorum vicinorumque populorum terras peragraverat, nunquam accurrerit? nunquam docentem audiverit? nullum miraculum ſpectaverit? cruciatibus & neci ejus non adfuerit? Hoc ſaltim ab omni dubio procul eſt remotum, Paulum Dominum noſtrum ex mortuis reſuſcitatum in via prope Damaſcum ſuis vidiſſe oculis, ab Eoque ad miniſterium Evangelii eſſe vocatum. Imo perſuaſiſſimum habeo, principem hanc fuiſſe cauſſam, ob quam ipſe Chriſtus ei apparuit Seque conſpiciendum præbuit, ut *reſurrectionis Ejus* teſtis eſſe poſſet. In qua re, quum Apoſtolatus cardo vertatur, ſuo jure Apoſtolorum numero annumerandum eſſe cenſeo.

§. 4.

Secunda Apoſtolatus *Prærogativa* in hoc conſiſtit: *Conſtituit Chriſtus Apoſtolos miniſtros Evan-*

Evangelii extraordinarios, primarios, θεοπνεύστους *adeoque infallibiles, oeconomiam eccleſiæ antiqui fœderis abolituros novique inſtauraturos, atque ei unicam ac perpetuam cum fidei, tum morum normam præſcripturos, itemque ejus fata ad finem uſque ſeculorum prædicturos.* Dignitatem hanc eis Jeſum pollicitum eſſe legimus I. Matth. XVI. 18. & XVIII. 18. *Dabo tibi* (Petro vobisque omnibus meis Apoſtolis) *claves regni cœlorum. Et quidquid ligaveritis in terra, ligatum erit in cœlis; & quidquid ſolveritis in terra, ſolutum erit in cœlis.* Verborum ſenſum hunc eſſe autumo: *Vobis dabo poteſtatem gentes ad eccleſiam meam admittendi & Judæos incredulos rejiciendi*, conſequenter *antiqui fœderis oeconomiam, qua ſolis Judæis eccleſiæ membris eſſe licuit, abrogandi, novi vero inſtaurandi atque eccleſiæ meæ certiſſimam fidei morumque amuſſim*, qua ſtabunt cadentue homines, *præſcribendi II.* Promittit Servator Matth. XIX. 28. *vos, qui ſequuti eſtis me,* ἐν παλιγγενεσίᾳ, *quando ſederit filius hominis in throno gloriæ ſuæ, ſedebitis vos etiam in thronis duodecim, judicantes duodecim tribus Iſraëlis.* Dictum hunc in modum παραφραζω: *cariſſimi Apoſtoli, qui a me juſſi reliquiſtis domicilia, familiam remque familiarem, & me multa ſuſtinentes mala, eſtis ſecuti, hoc ego veſtrum obſequium benigniſſime remunerabo. In gloriam ingreſſo, oeconomiam eccleſiæ veterem abolituro novamque inſtauraturo mihi vos eritis miniſtri*

ſtri principes, vosque ad eam eveham dignitatem, ut eccleſiæ meæ fidei morumque regulam ad finem uſque mundi obſervandam tradatis. *III.* Marc. XIII. ait Chriſtus: *quum traditos vos duxerint, ne ante ſolliciti eſtote, quid dicturi ſitis, neque meditamini: ſed quidquid datum fuerit vobis illo momento, id loquimini. Non enim eſtis vos, qui loquimini, ſed Spiritus ſanctus.* *IV.* Joh. XIV. 13. *Quando venerit Spiritus veritatis, ducet vos in omnem veritatem, & quæ ventura ſunt, annuntiabit vobis.* *V.* Joh. XX. 22. 23. Jeſus Apoſtolos afflans: *accipite*, inquit, *Spiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata, remittentur eis; quorum retinueritis, retenta erunt.* Senſus eſt: *vobis ſpiritum veritatis tanta largiar menſura, ut vos toti mundo veram viam, peccatorum remiſſionem adeoque ſalutem æternam conſequendi demonſtretis. Cuicunque hanc inſiſtenti vita æterna obveniet: quicunque vero non inſiſtet, hunc triſtiſſimæ peccati ſequelæ in ſempiternum manebunt.*

§. 5.

Quod benedictus Servator pollicitus fuit, ſuo tempore præſtitit. Etenim in cœleſtem ingreſſus gloriam, die pentecoſtes Apoſtolos & ordinariis & extraordinariis Spiritus ſancti donis largiſſime impertivit. Actor. II. 1-12. Ejus illuminatione ſupernaturali ampliſſima certiſſimaque veritatum cœleſtium ſcientia imbuti

Judæos

Judæos æque ac gentes rectam ad ſalutem viam ore & ſcriptis docuerunt, hodienum docent & in reliquum tempus docebunt. Vetere eccleſiæ facie antiquata novam Oeconomiam inchoarunt. Judæi ac gentes in unum corpus, cujus Chriſtus caput, Apoſtolorum opera, coaluerunt. Superſtructa eſt eccleſia ſuper fundamentum, ut propherarum, ita etiam Apoſtolorum, aliis quibuscunque excluſis Epheſ. II. 20. Reipublicæ Chriſtianæ oraculum Apoſtoli fuerunt, nunc ſunt atque ſemper erunt. Quæ doctrina credenda, quæ rejicienda: quid faciendum, quid omittendum, Apoſtoli docent. Si quod dubium, ſi quæ controverſia orta fuit, aut nunc oritur, Apoſtolorum judicio dirimenda eſt. Ipſi eccleſiæ doctores præfecerunt, quorum officium eſt non propriam, non aliorum, ſed Apoſtolicam doctrinam ſequi. Quid, quod ſi Angelus e cœlo evangelizet præter id, quod evangelizarunt Apoſtoli, anathema eſto Gal. I. 8. Denique eccleſiæ fata prædixerunt Apoſtoli & paſſim in epiſtolis, & præcipue Johannes in Apocalypſi. Verum quidem eſt, tres libros, qui novi fœderis canone comprehenduntur, non Apoſtolos, ſed Evangeliſtas, utpote *Marcum* & *Lucam*, habere auctores. Sed quotusquis eſt, quem lateat, illum *Petri*, hunc *Pauli*,

Apoſto-

Apoſtolorum, fuiſſe itineris comites atque famulos? Quas iſti hiſtorias eccleſiæ tradiderunt, vel ab Apoſtolis juſſi, vel ſaltim his adprobantibus, conſignarunt, adeo ut ab ipſis Apoſtolis profectæ haberi poſſint.

§. 6.

Tertiam Apoſtolorum *Prærogativam* hanc eſſe contendo: *Conſtituit eos Chriſtus doctores eccleſiæ univerſales.* His κατ' ἐξοχην dictum eſt: *profecti in mundum univerſum docete omnes gentes.* Cæteri Evangelii miniſtri ſunt doctores particulares, uni quisque cœtui chriſtiano præfecti, ejusque curam gerentes. Aſt Apoſtoli exiverunt, non eccleſiis particularibus, quæ nondum exiſtebant, præfuturi, ſed eas plantaturi. Plantatis paſtores & presbyteros præpoſuerunt atque aliorſum, ut idem efficerent, contenderunt. Ad plantatas, data occaſione, aut neceſſitate urgente, reuerſi eas refecerunt ac perfecerunt. Quod ubi vel ob occupationum multitudinem, vel ob temporum injuriam minus commode fieri potuit, aut Evangeliſtarum opera uſi ſunt, aut epiſtolas ad eas exaravere. Ipſi fixam *nullibi* ſedem habentes ubique locorum ac gentium Chriſti regnum amplificarunt. Hæc cum ita ſint, mirum ſane eſt, papicolas fingere,

Petrum

Petrum Apoſtolum annos XXV. Romæ Epiſcopi munere defunctum, ibidemque crucis ſupplicio fuiſſe affectum. Mei inſtituti ratio non fert, heic loci prolixius diſputare, utrum Petrus unquam Romæ fuerit, aliis negantibus, aliis affirmantibus. At ponamus, *Petrum* pariter ac *Paulum* Romanis Evangelium annuntiaſſe, id tamen in aprico poſitum eſſe arbitror, neutrum horum eccleſiam Romanam fundaſſe, nedum epiſcopatum eo ſenſu, quo pontificii volunt, ibi geſſiſſe. *Epiſcopi* nomen vel latiori vel arctiori ſignificatione ſumitur. *Illa* virum in genere denotat, qui eccleſiæ Chriſti præeſt, Evangelium prædicat, ſacramenta adminiſtrat cet.: *illa* eum, cui cœtus chriſtiani particularis in ſuas parochias diviſi, ſive major ſit, ſive minor, cura ſuprema demandata eſt, ita ut reliqui doctores jurisdictioni eccleſiaſticæ ejus ſubeſſe coacti ſint. *Priori* ſenſu *Petrum* aeque ac ceteros Apoſtolos epiſcopos dici poſſe, nemo infitiabitur, utut nusquam in novi fœderis codice hoc nomen iis tributum legamus, ſi unicum locum Actor. I. 20. quo Judæ proditoris Apoſtolatus ἐπισκοπὴ vocatur, excipias. *Poſteriori* autem ſignificatu Apoſtolis epiſcopatum adſignare velle, nefas utique habendum eſt. Non ut praeeſſent Apoſtoli eccleſiis particularibus, ſed

ut

ut plantent, plantatisque idoneos paſtores præficerent, in mandatis Chriſtus dederat Actor. XIV. 23. Tit. I. 5 Qui ab Apoſtolis, vel eorum nomine, ab Evangeliſtis, cœtibus chriſtianorum præpoſiti fuerunt, *epiſcopi* vel *presbyteri*, nam voces hæ promiſcue ad rem eandem ſignificandam adhibentur vide Act. XX. 17. coll. cum v. 28. Tit. I. 5. coll. v. 7. dicti eſſe leguntur Actor. XX. 20. Philip. I. 1. 1 Timoth. III. 1. 2. Tit. I. 7. Confer. J. F. BVDDEI *Eccleſ. Apoſt. Cap. V.* §. 5.

§. 7.

Ex dictis patet, *Epiſcopos* ſenſu hodierno ſumtos, multo inferioris eſſe conditionis, quam *Apoſtolos*. Hi enim ab ipſo Chriſto conſtituti univerſæ eccleſiæ doctores exiere eccleſias particulares plantatum, plantatisque Epiſcopos præpoſitum, fixam nullibi habentes ſedem: illi contra ab hominibus electi cœtui chriſtiano limitibus ſuis circumſcripto præſunt. Quare cum pontificis aſſeclæ Petro Apoſtolo epiſcopatum Romanum tribuant, injurii ſane in eum exiſtimandi ſunt, quod dignitate, qua ab Chriſto ornatus eſt, ſpoliant. Cauſſam malam male defendunt, aſſerentes, Petrum *Apoſtolico* & *epiſcopali* officio ſimul defunctum *Linum*, *Cletum* atque *Clementem* in hoc ſibi vicarios ſubſtituiſſe. Namque ut

taceam *Apoſtolatum* atque *epiſcopatum* in eodem viro repugnare contradictionemque involvere, ſecundum ipſorum placita nefas eſt, duos epiſcopos eidem epiſcopatui ſimul præeſſe. Hinc ſequitur, vel *Petrum*, vel Linum, Cletum & Clementem non fuiſſe epiſcopos. Quidquid eligant, difficultatibus implicantur, quibus ſe haud facile extricare poterunt. Sic enim ſeries Romanorum aut non a Petro Apoſtolo initium capit, aut Linus, Cletus atque Clemens ex eadem exterminantur. Si dicendum quod res eſt, *nullus* horum omnium *epiſcopatum Romanum*, ſenſu hodierno, tenuit, ſiquidem ævo Apoſtolico plane fuit ignotus, adeoque non inſtituti divini ſed humani eſt. Vidimus ſupra §. 6. *epiſcopum* atque *presbyterum* in S. literis pro ſynonimis haberi. Hinc recte clar. BVDDEVS in *Iſag. Theol. hiſt. in Theol. L. II. §. 3. ſumma*, inquit, *intuitu dignitatis omnium* (doctorum evangelii) *erat æqualitas, multo minus uni imperium aliquod aut poteſtas in alium tribuebatur. Epiſcopos enim ea* (Apoſtolica) *ætate a presbyteris diſtinctos fuiſſe, quod nonnulli ſibi perſuadent, ſine ullo fundamento aſſeritur. Ordinis ſolius cauſſa ævo Apoſtolico presbyterorum natu maximo præſidium inter pares concedebatur, unde pedetentim epiſcopatus originem duxerunt. Epiſcopi olim*, ſunt verba J. H. BOEHMERI *Jur. eccleſ. L. I. Tit. XIII.*

XIII. §. 2. non differebant a presbyteris jure & poteſtate, niſi quam ab eccleſia vel conſuetudine acceperant.

§. 8.

Nihil eſt, quod pontificis Romani adſentatores excipiunt, eccleſiam Romanam caput eccleſiarum ceterarum eſſe, hinc *Petrum*, illius epiſcopum, univerſalem epiſcopatum geſſiſſe atque ſic Hierarchiam papalem inſtituiſſe. Etenim admiſſo hoc figmento, reliqui Apoſtoli omnes dignitate Apoſtolica dejiciuntur. Sed quotus quisque literarum ſacrarum hiſtoriæque eccleſiaſticæ adeo ignarus eſt, quem fugiat, hierarchiam hanc Apoſtolis ignotam, poſteroque tempore ad imperii politici imitationem effictam eſſe atque formatam? Quam ſevere Chriſtus hujusmodi dominatum vetuerit, & quam longe ab eo beatus Petrus abfuerit, teſtatur S. ſcriptura Matth. XVIII. 20-28. & 1 Petr. V. 1-4. Quod ſi qua prærogativa eccleſiæ particulari competit, ea profecto *Hieroſolymitanæ* debetur, quæ certo reſpectu ceterarum omnium conſequenter & Romanæ mater dici poteſt, quoniam Zione prodiit doctrina & verbum Jehovæ Hieroſolymis Mich. IV. 2. Vel ſi præ eminentia inter pares locum haber, hæc utique ad *Paulum* Apoſtolum deferen-

da est, quippe qui *amplius, quam omnes Apostoli, laboravit.* 1 Cor. XV. 10.

§. 9.

Sed revertor in viam atque ad *Quartam* Apostolatus *Prærogativam*, in eo positam, quod *Apostoli soli miraculorum dona ab ipso Christo immediate acceperunt; Actor. II. ceteri autem Evangelii doctores vel oratione & manuum impositione vel etiam evangelii prædicatione Apostolorum.* Hujus rei testimonia in Apostolorum Actis passim obvia sunt, neque ullum exemplum in contrarium sensum adduci posse existimo. Haud ignoro quidem, complures interpretes in ea esse sententia, non in Apostolos solum sed in CXX. discipulos de quibus Actor. I. 15. mentio fit, dona miraculosa die pentecostes effusa esse. Ast liceat mihi, pace tantorum Virorum in medium afferre argumenta, quæ vulgarem hanc interpretationem dubiam mihi reddunt atque persuadent, solis Apostolis ea memorato die obtigisse. Lucas refert Act. I. 2. 8. non nisi Apostolis promissionem de donis Spiritus sancti abundantius impertiendis factam esse atque repetitam, eos solos ἐν τῷ ὑπερῴῳ se tenuisse v. 13. atque ὁμοθυμαδον in precibus perseveravisse v. 14. itemque Mathiam, Apostolum divinitus declaratum, τοῖς ἕνδεκα adnumeratum

tum fuiſſe. Pergit Lucas cap. II. v. 1. die pentecoſtes fuiſſe ὁμοθυμαδὸν ἐπι τὸ αυτὸ, ſcilicet ὑπερῷον; Hos autem Apoſtolos fuiſſe, verſiculo antecedente indicatur, quoniam regulæ hermenuticæ prædicato, quod ſubjecto deſtituitur, ſubjectum proxime antecedens adſciſcendum eſſe docent niſi aliquid obſtet. Hoc autem loco dictæ regulæ nihil, niſi præconceptam opinionem, obſtare mihi quidem evidentiſſimum eſſe videtur. Hos omnes memorat Lucas Spiritu ſancto impletos alienis linguis τὰ μεγαλεία τῦ Θεῦ elocutos fuiſſe v. 4. 11. Quod ſi de CXX. diſcipulis interpreteris, nulla Apoſtolorum præ reliquis prærogativa, nullumque inter utrosque diſcrimen ſupererit. Dicitur, porro, Petrus ſtans cum *Undecim* vocem ſuſtuliſſe v. 14. cum, ſi vulgarem ſequaris interpretationem, dicendum fuiſſet, Petrum cum reliquis diſcipulis ſtantem ſuſtuliſſe vocem. Omnes præterea qui affuere, dixiſſe commemorantur, ſe eſſe reſurrectionis Chriſti teſtes v. 32. Apoſtolos vero ſpeciatim ad teſtimonium hoc edendum vocatos fuiſſe, ſupra §. 3. docui. Adhæc Iudæi Petri ſermone corde compuncti ſolos Apoſtolos adlocuti dicuntur v. 37. cujus rei ratio dari non poſſet, ſi præter eos alii adfuiſſent iisdem donis ornati. Ad fidem etiam in Jeſum Na-

zarenum perductos Judæos in *doctrina Apostolorum* perseveraſſe legimus v. 42. quod dici haud potuiſſet, ſi præter hos alii adfuiſſe ſtatuantur, quorum ſermone eruditi fuerint. Denique relatum legimus v. 43. multa miracula per Apoſtolos facta fuiſſe. Jam vero ſi verum foret, reliquis diſcipulis eadem dona Chriſtum impertiviſſe, eccur & hi miracula perpetraſſe non memorantur? His ego adductus rationibus mihi perſuadeo, ſolos Apoſtolos die pentecoſtes ὁμοθυμαδὸν congregatos edendorum miraculorum poteſtatem ab ipſo Chriſto immediate ſortitos eſſe, adeoque praerogativam eorum ſupra dictam firmam ſtare.

§. 10.

Quod ſi forſan haec ſtatuenti mihi, lector, opponere velis, *Cornelio* tamen ceterisque una cum ipſo congregatis ethnicis, dona miraculorum aeque ac Apoſtolis immediate a Chriſto impertita eſſe Act. X. tibi reſpondeo, tantum abeſſe, ut objectio iſta ſententiam meam collabefaciat, ut potius confirmet. Etenim ſi ſtatuas Dominum ethnicis miraculorum dona, nullo Apoſtolo interveniente, tribuere voluiſſe, cur juſſus eſt Cornelius accerſere Petrum Apoſtolum? cur non alium quemcunque diſcipulum? Si ad impetranda miraculorum

rum dona Apoſtolorum interventu, volente ſic Chriſto, haud opus fuiſſet, ecqua, quæſo, ſubeſt ratio, quod Æthiops Eunuchus a Philippo Evangeliſta Evangelium edoctus atque baptizatus non pari modo donorum horum non particeps factus fuerit?

§. 11.

Quae dicta ſunt, ducunt me ad *Quintam* Apoſtolici muneris *Prærogativam*: *Solis Apoſtolis Chriſtus dona miraculorum cum aliis, ſive oratione & manuum impoſitione, ſive prædicatione evangelii communicandi poteſtatem conceſſit.* Praeter Apoſtolos multos alios quoque Chriſti diſcipulos Evangeliique doctores, miracula edidiſſe, novi fœderis ſcripta paſſim teſtantur. Quae virtus etſi Chriſtum ſolum Auctorem habuit, non tamen eam, niſi intervenientibus Apoſtolis, largitum eſſe conſtat, cujus rei teſtimonia omni exceptione majora ſuppeditant Apoſtolorum Acta. Si ab Apoſtolis receſſeris, *Stephanus* primus commemoratur patraſſe miracula Act. VI. 8. Sed quando edidit? haud prius, quam, ut ibid. v. 8. narratum eſt, Apoſtoli ei manus impoſuerant. Inprimis quod Act. IIX. docet Lucas adtentionem noſtram meretur. *Philippus* Evangeliſta videlicet, etſi in urbe Samariae Evangelii praeconio,

multisque editis miraculis ingentem hominum numerum ad fidem in Chriſtum adduxiſſet: non tamen cuiquam miraculorum dona impertire valuit. Quare Apoſtoli de hoc certiores facti eo miſerunt Petrum atque Johannem, Apoſtolos. Qui quum illuc deveniſſent, fideles, orantibus Apoſtolis manusque eis imponentibus miraculorum dona ſortiti ſunt. Denique non praetermittendum eſt, quod Lucas Act. XIX. memoriae prodidit. Paulus Apoſtolus duodecim Chriſti diſcipulos, quos Epheſi offendit, interrogavit, utrum eo tempore, quo doctrinam chriſtianam amplexi erant, miraculorum participes facti ſint donorum? Cognito, quod ne fama quidem de his ad ipſos perlata ſit, impoſuit ipſis manus, quo facto ſuper eos Spiritus ſanctus cum donis miraculorum venit, qui effecit, ut linguis ante ignotis extemplo loquerentur atque prophetarent. Adducta exempla evincunt, ſolos Apoſtolos gaviſos fuiſſe poteſtate miraculorum dona in alios transferendi. Chryſoſtomus diſertiſſimus eccleſiae Graecae antiſtes Homil. XVIII. concinne rem in hunc modum exponit: Διατί ἐκ ἦσαν ἕτοι (οἱ Σαμαρεῖται) λαβόντες πνεῦμα ἅγιον βαπτισθέντες; ἤτοι τῶ μὴ ἔχειν (Φίλιππον) χάρισμα τοιῦτον. Τῶν γὰρ επτὰ ἦν διὰ καὶ βαπτίζων πνεῦμα τοῖς βαπτι-

βαπτιζομένοις ἂν ἐδίδυ, ἀδὲ γὰρ εἶχεν ἐξυσίαν. Τῦτο γὰρ τὸ δῶρον μόνων τῶν δώδεκα ἦν. Δύναμιν μέν ἔλαβον (οἱ ἑπτὰ) ποιεῖν σημεῖα, ἀχὶ δὲ καὶ πνεῦμα διδόναι ἑτέροις, ἄρα τῦτο ἦν τῶν ἀποςόλων ἐξαίρετον. Ὅθεν καὶ τῆς κορυφαίυς, ἂν ἄλλυς τινὰς, ἐςὶν ἰδεῖν τῦτο ποιῦντας. (†) Hæc cum ita ſint, ſua ſponte fluit, *terminum donorum miraculorum cum morte virorum Apoſtolicorum*, id eſt, ab ipſis Apoſtolis eruditorum, *expiraſſe*. In quotum vero annum horum ultimi vita prorogata fuerit, vix certo definiri poteſt.

§. 12.

Sextam Apoſtolatus *Prærogativam* hanc ſtatuo: *Apoſtoli omnibus Spiritus ſancti donis miraculorum ſimul ſumtis gaviſi ſunt.* Quamvis plurimi, ſi non omnes, Evangelii praecones aliique diſcipuli, aevo Apoſtolico donis miraculorum χειροθεσία Apoſtolorum ornati eſſent: extra dubium tamen poſitum eſt, ſingulos non niſi ſingulis inſtructos fuiſſe. Evidenter hoc appparet ex Apoſtoli verbis 1 Cor. XII. 29. 30. interrogantis: *num omnes Apoſtoli? num omnes Prophetæ? num omnes doctores? num omnes virtutes? num omnes dona ſanationum habent? num omnes linguis loquuntur? num*

(†) Citat hæc verba Caveus in Vitis Apoſtolorum p. 222.

num omnes interpretantur? confer ibid. v. 4-11. Deinde idem patet ex ſcopo totius tractationis, quæ dicto capite continetur. Etenim alii aliis ſe excellentiores exiſtimaſſe videntur ob dona, quibus illi deſtituti fuere. Oſtendit Apoſtolus, varia eſſe donorum genera, ſed per eundem Spiritum Sanctum ſapientiſſime diſtribui. Quam utilis ſit hæc donorum diverſitas, illuſtrat à ſimili cum corpore humano eccleſiam comparans. Inde infert, iniquum eſſe, ſi alius alium flocci habere velit: e contrario cujusque eſſe officium, dono ſuo ad commune totius eccleſiæ commodum uti. Pergit, hoc minus cuiquam criſtas tollendi eſſe cauſſam, quod miraculorum dona minoris ſint habenda, quam dona Spiritus S. ſalvifica, fidem, ſpem atque amorem. Contra ea Apoſtoli non hoc vel illo miraculorum dono, ſed omnibus conjunctim gaudebant. Ipſi fuere Apoſtoli, ipſi prophetarunt, docuerunt, dæmones ejecerunt, morbos depulerunt, linguis locuti ſunt atque interpretati priſci fœderis oracula.

§. 13.

Septimam Apoſtolatus *Praerogativam* in eo colloco, quod *Apoſtolorum ſolorum umbra, ſudariis & ſemicinctiis aegroti ſanati & daemones ejecti, imo per hos ſolos, mortui excitati fuerunt.* Petri umbra

umbra ſanitati reſtitutos legimus aegrotantes Actor. V. 15. Pauli ſudariis atque ſemicinctiis morbos depulſos ac dæmones ejectos eſſe teſtis eſt Lucas Actor. XIX. quod nullibi ab alio quopiam diſcipulorum factum eſſe reperitur. Atque hac in re Chriſti promiſſionem Iohan. XIV. 12. ex parte impletam eſſe videmus. Ipſius etenim Servatoris umbra miraculum perpetratum eſſe nullibi invenimus. Quod ad excitationem mortuorum, ſtupendum illud miraculorum genus, quod omnipotentem Deum ſingulari modo teſtatur, attinet, hiſtoria Apoſtolica docet, *Petrum* & *Paulum*, Apoſtolos, illum *Tabitham*, hunc *Eutychum* ex mortuis ad vitam reduxiſſe Act. IX. & XX. Sed quod Apoſtolus donorum miraculorum genera 1. Cor. XII. recenſens, nullam doni reſuscitandi mortuos facit mentionem, ex eo concludimus, id *nemini exceptis Apoſtolis*, fuiſſe impertitum. Hac in ſententia me confirmat miraculum illud in revificata Tabitha iam iam ex Act. IX. adductum. Veri enim ſimillimum videtur, in eccleſia Joppenſi ut in aliis tunc temporis, miraculorum dona obtinuiſſe. Sed cur accerſu nt Apoſtolum? cur non aliquis Sanctorum Joppenſium in vitam reducit Tabitham? Hanc ſcilicet ob cauſſam, quod dono hoc ſoli Apoſtoli gaviſi ſunt; quae res magnam

magnam ipſis prae reliquis Evangelii praeconibus auctoritatem conciliavit.

§. 14.

Ad *Octavam* eamque *ultimam* Apoſtolatus *Praerogativam* propero: *praediti fuerunt ſoli Apoſtoli poteſtate iis, qui Evangelio offendiculo majori fuere, vel morbum vel mortem etiam infligendi; quae* vulgo *virga Apoſtolica adpellari conſuevit.* Poteſtate hac divinitus ſibi conceſſa uſi ſunt Apoſtoli non ad cujusquam interitum aeternum, ſed potius ad multorum ſalutem promovendam, utpote aut ad emendandos fidelium naevos adeoque ſcandalum ab eccleſia removendum, aut ad excitandos infideles ad reſipiſcentiam ac fidem. Petrus *Ananiam* atque *Sapphiram*, eius uxorem, ob foedam hypocriſin, atque ad avertendum malum ex ea eccleſiae imminens, virga hac cecidit Actor. V. Paulus Apoſtolus deinceps *Elymam*, Sergii Pauli, proconſulis Romani, ad Chriſtianorum caſtra tranſitum malitioſe prohibiturum ad tempus excaevavit Act. XIII. Idem *Corinthiacum illum inceſtum* pariterque *Hymenacum* & *Alexandrum* Satanæ tradidit 1 Cor. V. 5. & 1 Tim. I. 20. Quod ſi animum attendimus ad id, quod de *Jobo.* Cap. II. memoriae traditum legimus, hunc videlicet in manum Satanae a Deo traditum fuiſſe, addita tamen conditione,

vt

vt *vitam* ejus ſervaret; deinde, ſi perpendimus finem, quem Apoſtolus hac re intendit, quemque ipſe innuit eſſe *ad interitum carnis, ut ſpiritus ſalvus ſiet in die Chriſti Jeſu, atque ut caſtigentur ne blasphement*; ſi denique locum his parallelum 1 Cor. XI. 32. conferimus: quum iudicamur, *a Domino caſtigamur, ne una cum mundo condemnemur*: facile intelligimus, Apoſtolum memorata locutione ſignificare velle, ſe permittere diabolo poteſtatem dictorum hominum corpora morbis atque cruciatibus ad tempus afficiendi, eo conſilio, ut errores agnoſcant agnitosque emendent, ne Evangelii propagationi offendiculo futuri ſint. Quum vero eiusmodi poteſtatem, hominibus, nulla vi aliove medio externo interveniente, ſed ſola voluntate, vel morbum vel ipſam quoque mortem infligendi, nulli mortalium, praeter Apoſtolos, in nova foederis œconomia, conceſſam eſſe reperiamus: horum utique praeeminentiam hac etiam in re agnoſcamus neceſſe eſt.

§. 15.

Ex iis, quae hactenus de Apoſtolatus praerogativis dicta ſunt, haec fluunt corollaria. *I. Apoſtoli*, qua tales, *non habent ſucceſſores.* Ergo Pontificii, qui Romano ceterisque ſuis Epiſcopis hanc tribuere dignitatem

tem ſatagunt, a veritatis tramite longiſſime recedunt. *II.* Apoſtolis virisque Apoſtolicis e vita egreſſis, *miraculorum dona ceſſaverunt.* Hinc ecclesiae Romanae aſſeclas de his contra veritatem gloriantes, ut vaticinium Paulinum 2 Theſſ. II. 3 - 12 attenta mente legant relegantque, etiam atque etiam rogo. *III.* Ceſſantibus miraculorum donis, ceſſant *etiam Ceremoniae*, quibus Apoſtoli virique Apoſtolici in miraculis patrandis uti iuſſi ſunt, Marc. VI. 13. & XVI. 18. confer. Jac. V. 14. 15. Ergo *unctio extrema*, quae in eccleſia Romana hodienum obtinet, quamque in Sacramentorum numerum cooptavit concilium Tridentinum, *inanis ceremonia* exiſtimanda eſt. *IV.* Quoniam Spiritus ſancti dona miraculorum *minoris pretii* ſunt, quam *ſalvifica*: non eſt, quod illorum defectum noſtro aevo deploremus, ſiquidem non niſi ex uſu incredulorum fuere; ſed potius omnibus nobis viribus contendendum eſt, ut his, cum quibus ſalus aeterna conjuncta, in dies ſingulos diteſcamus. *V.* Quod Apoſtolos novi foederis oeconomiae conditores voluit eſſe Optimus Servator, eorum *doctrinae* cum reſpectu *credendorum*, tum etiam *faciendorum*, *vnice adhaerendum*, neque ab ea vel latum unguem recedendum eſſe, nemo non videt.

TANTVM.

III.

III.

IOHANNIS THEOPHILI ELSNERI

V. D. M. ET PASTORIS ECCLESIÆ FRATRVM BOHEMORVM BEROLINENSIVM,

DISQVISITIO EXEGETICO-CRITICA

QVA

REV. IOH. NICOLAI RICHTERI EXPOSITIO VERBORVM APOSTOLI PAVLI COL. II. 17. EXTANTIVM, PAVCIS EXPENDITVR ET TRVTINATVR.

Col. II. 17.

Ἅ ἐστι σκιὰ τῶν μελλόντων, τὸ δὲ σῶμα τοῦ χριστοῦ.

---

§. 1.

Bibliotheca Bremenſis Nova, quæ Anno 1760mo ſub Auſpiciis Clar. Nicolai Barkeji, S. Theol. Doctoris in Eccleſia & Schola Bremenſi, in lucem prodire coepit, exhibet nobis in primo Claſſis ſuæ primæ Faſciculo Num. IV. perſpicuam

am aliquam & lectu dignam Expositionem Verborum Pauli, Col. II. 17. extantium, quæ *pl. Rev.* IOH. NICOLAVM RICHTERVM, Vicarium Ministerii Bipontini, Auctorem habet. Legi relegique eam non sine magna animi mei voluptate, & deprehendi, quod jure suo nova memoratorum Verborum Pauli Expositio appellari queat, siquidem nullibi adhuc, quantum scio, prostet. Indubitatum quoque de eruditione ac dexteritate Viri egregii perhibet testimonium; & vix ullum habebit Lectorem, qui non adfirmare cogatur, jure merito a vulgari, quæ hucusque innotuit, recedi debere Verborum Paulinorum Interpretatione, utpote quæ sensui Apostolico haudquaquam satisfaciat. Rationes, ob quas quivis sanæ Hermeneutices Cultor antiquam interpretandi Verba hæcce apostolica methodum deserere cogatur, adfert nobis *Rev. Richterus* § suo 2. sive p. 91 94.

§. 2.

Cum ego rationes hasce prima vice legerem, admodum speciosæ & omni fere exceptione majores mihi esse videbantur. Cum autem easdem relegi & iterum legi, varia mihi in mentem venerunt dubia, quæ plurimis earum multum ademerunt ponderis. Hanc proinde ob rationem adferam hic-

hicce a) memorata *Dubia mea* contra novam *Reverendi Richteri* Expositionem, qua communem effati Paulini Interpretationem impugnat; b) paucis ostendam, quid mihi de utraque, & antiqua & recentiori, sermonis Apostolici expositione videatur, & annon alia adhuc interpretandi ratio hic adhiberi queat?

§. 3.

a) *Dubia mea* contra novam *Reverendi Richteri* Expositionem effati Apostolici, qua communem impugnat Interpretationem, eo adferam ordine, quo antiquam dicti Paulini Interpretationem *Reverendus Richterus* impugnavit.

Nro. 1. adfirmat Rev. Vir, Verba Pauli ἅ ἐστι σκιὰ haud quaquam ad omnia ea referri posse, quæ comma antecedens complectitur: *Ne quis igitur vos judicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei festi, aut Novilunii, aut Sabbathorum.* Ratio dubitandi hæc adfertur, quia Esus carnis & Potio vini, quibus quidam abstinendum esse Christiano homini arbitrabantur, non erant *Umbra futurorum*, sed res ab Essenis recenter inventæ; & quia, si Apostolus ad omnia respexisset, dici debuisset ἅ ἐστι παντα, ut v. 22. expresse dicitur. Falli igitur eos, qui verba illa priora ad omnia, quorum mentio in ante-

cedentibus facta fuerat, ſpectare docent; docere autem id, qui antitypum in verbis poſterioribus deprehendere putant. Hæc ex mente *Reverendi Richteri* allata ſunto. Pace autem Viri Reverendi hic dicere licebit, pronomen relativum Ἅ vix tantummodo ad poſtremam Pauli Apoſtoli vocem σαββατῶν referri poſſe, ſiquidem Apoſtolus Coloſſenſibus ſuis non tantum *a Sabbathis Judæorum*, verum etiam a *reliquis* allatis v. 16. *Inſtitutis Veteris Oeconomiæ* ſeſe abſtinere juſſit, eo quod hæc omnia *Umbra* tantummodo fuerint. Ac proinde nullus dubito, quin vocula ἅ ad omnia anteceſſa (v. 16.) ſpectet. Sin minus, videretur Apoſtolus Auditores ſuos unice a *Sabbathis Judæorum* avocaſſe, quod tamen revera non eſt. Imo avocationis cauſa atque baſis hic nulla alia eſſe videtur, quam ea, quod σκιὰ ſeu *umbra* ſint omnia ea, quorum v. 16. mentio facta fuerat, ac proinde non eſſe Chriſtianos obſtrictos, ea obſervare, ut antehac in Veteri Oeconomia Eccleſiæ factum fuerat. Nec video, cur *Rev. Richterus* aſſerat, *Abſtinentiam a carne & vino originem ſuam ex placitis Eſſenorum traxiſſe*, atque ita novum Inventum fuiſſe (*), cum ex ſ. codice Veteris

(*) Ratio mihi quidem in promptu eſt, & quidem ex nexu & ſcopo hujus capitis. Apoſtolus enim de *Philo-*

teris Oeconomiæ satis constet, antiquis Israelitis haudquaquam licuisse, omnibus sine

Philosophorum Asceticorum inter Judæos & gentes placitis agit, & ab utrisque, qui *legem Mosaicam* vel *Orientalem Philosophiam* cum *doctrina Christiana* infelici connubio jungere satagebant, eoque ipso Colossensium Ecclesiam turbabant, quemadmodum de *Essenis*, *Therapeutis*, *Gnosticis* & *Dositheis* notum est, ut sibi caverent Colossenses, sedulo inculcat. Solide hoc variis argumentis evictum dedit *S. Ven. & Doctissimus* ELARDUS WAGNERUS, Collega conjunctissimus in *Diss. Inaugurali, de Philosophia, quam vitare Paulus jubet Coloss. II. 8. Bremæ* 1747. *edita.* Eidem quoque sententiæ, quoad nexum & scopum patrocinatur Cel. J. D. MICHAELIS in *Paraphrasi hujus Cap. germanica.* Utrique verba v. 21. quæ cum v. 16. convenire videntur, ad dogmata *Gnosticorum*, qui *abstinentiam* tum à *matrimonio* tum a *cibis variis* præcipiebant, referunt, & priorem verbis μὴ ἅψῃ ἁψῃ indigitatam esse censent. Possunt etiam haud incommode, quæ Paulus de *festis, Neomeniis* & *Sabbathis* dicit, ad eorundem placita referri, quia horum omnium apud Essenos, Therapeutas vel Dositheos exactissima erat observatio; saltem *Dositheos* superciliosius *Sabbatha* servasse quam Judæos & præ aliis ab animatis & conjugio abstinuisse probat Venerab. MOSHEMIUS in *Institut. Hist. Christ. majoribus pag.* 387. Ceterum ferri potest & aliquam speciem habet, quod *pl. Rev. & Doctissimus Auctor* legem Veteris Oeconomiæ de puris & impuris animantibus objicit, utpote Ipsi ad explicationem hujus loci visam sufficere, cibum quod attinet. Sed quoad potum vini, objectio ex *interdicto Naziræis vino* petita nul-

ſine diſcrimine veſci, etſi omnia, ipſa in ſe ſpectata, innocua ſint. Lex antiqua Cærimonialis, in Oeconomia novi Fœderis quoque abrogata, *de puris & impuris animantibus* ſatis nota eſt; ut & Prohibitum illud, quo Naziræi Dei *ab omni omnino vino ſeſe abſtinere* juſſi ſunt. Vid. Lev. XI. & Num. VI. 3. 4. quam ob cauſam non video, quare hic demum ad *placita Eſſenorum* recurrendum ſit. (a). Quod autem Paulus vocem πάντα, quæ v. 22. occurrit, hic non addiderit, ideo factum fuiſſe videtur, quia minus neceſſaria erat, eo quod mens Paulina abſque ea ſatis comprehendi poterat, & res prohibitæ in commate immediate præcedenti occurrebant; contra addebat Paulus v. 22. vocem πᾶντα, quoniam ea, ad quæ hic reſpiciebat, a commate 18-21.

lius mihi videtur ponderis, cum hoc interdictum ad ſolos Naziræos ſpectaret, qui omni tempore pauciſſimi inter Judæos fuerunt, ad munus Propheticum potiſſimum ſingulari modo a Deo deſtinati. Amos II. 11. 12. Nec Naziræos extra urbem ſanctam inter Coloſſenſes quærerem. Hæc adnotaſſe *pl. Rev.* ELSNERUS pro humanitate ſua mihi vitio non vertet: *Rev.* RICHTERO cetera defendendi ſit æqua poteſtas. N. B.

(a) Si Reverendo Richtero Hebr. IX. 10. in mentem veniſſet, vix dubitare potuiſſet, apoſtolum hic ad antiquas Iſraëlitarum Leges cærimoniales reſpexiſſe, non ad nova aliqua placita.

18 - 21. inclusive repetenda erant. Quæ cum ita sint, non male profecto quis adfirmabit, omnia ea, quorum Apostolus v. 16. mentionem fecerat, *futurorum* σκιὰν *seu umbram* fuisse, tempore suo abrogandam.

§. 4.

Addit autem *Rev. Richterus* Nro. 2. *probe notandum* esse, *Apostolum dicere*, ἃ ἐστι *in præsenti, non in præterito;* quo indicare videatur, ea, de quibus loquitur, non solum *fuisse*, sed etiam *adhuc esse*, & porro *fore* Typum, ac proinde ipsorum Antitypum in Servatore non apparuisse. Non sine sagacitate hæc a *Viro Reverendo* dicuntur, &, ut multa alia, de magna ipsius ἀκριβείᾳ testantur. Sincerus atque pius Sacrorum Libellorum Interpres ad quævis, & minutissima, attendat necesse est. Ast ad hancce Viri Eruditi Instantiam ante me jam multi Interpretes regesserunt, quod Apostolus propterea ἃ ἐστι, in *præsenti tempore*, dicat, quia tunc, cum Apostolus scriberet, Instituta Veteris Oeconomiæ, v. 16. memorata, adhuc durabant, & post destructum Templum Hierosolymitanum demum penitus abrogata sunt. Quam ob rationem Apostolus eorum non male *in præsenti* mentionem injicit. Conferatur exempli loco

Hebr. IX. 13. ubi Apoſtolus idem de ſanguine taurorum & hircorum & cinere juvencæ *in præſenti* adfirmat, quod inquinatos ἁγιάζει, *ſanctificet*, cum tamen hæc in ſanguine Chriſti profuſo jam tunc temporis implementum ſuum nacta eſſent. Adde *v.* 5-9. *ejusdem Cap.*

§. 5.

Nro. 3. §. 2. ſollicitus eſt *Rev. Richterus* de Subſtantivo voci μελλόντων addendo, & nullum aliud tam idoneum ſibi reperire videtur, quam τῶν Σαββατῶν, utpote quod proxime antecedit. Aſt mihi ob rationes §. 3. allatas videtur, vocem μελλόντων non modo antitypum Sabbathorum, verum etiam reliquorum (v. 16. dictorum) priſcorum Inſtitutorum indicare & verti poſſe per *futurorum* in neutro genere, vel per *futurarum rerum*, quod idem eſt; vel ſubintelligi poſſet τῶν ἀγαθῶν, *bonorum*, ut Hebr. X. 1. occurrit.

§. 6.

Nro. 4. ſupponit *Rev. Auctor* ea, quæ Nro. 3. adoptaverat, & ait, ſi communis dicti hujus Apoſtolici Interpretatio *de Typo & Antitypo* aſſumatur, ſequi ex ea, ſabbatha Judæorum in Servatore noſtro implementum ſuum nacta eſſe, quod tamen fal-

ſum

ſum eſſe deprehendatur. Quæ de ſubſtantivo voci μελλόντων ex vulgari Interpretatione addendo ſentiam, §. antecedente dixi. Non video autem, quare quis addubitare velit, in Chriſto ſeu potius Eccleſia Ejus (ut infra oſtendetur) antiqua Judæorum *Sabbatha cærimonialia* implementum nacta & irrita facta fuiſſe, ſiquidem Oeconomia Veteris Fœderis quoad Sanctificationem Sabbathorum Iſraëlitis multa imperabat, quæ in Oeconomia Novi Fœderis revera ſublata ſunt, ut res ad Legem Cærimonialem ſpectantes. Hæc hic uberius proſequi non licet. Si obſervatio *Sabbathorum, Judaicorum* non fuiſſet abroganda, nequaquam Apoſtolus dixiſſet, *ne judicet vos quis in Sabbathis.*

§. 7.

Nro. 5. Pergit *Rev. Richterus* & dicit, *nec vilipendendum eſſe, caſum Genitivum poni,* τὸ σῶμα τῦ χριϛῦ. Ex quo infert, ſi communis horum Verborum expoſitio valeret, non dicendum fuiſſet Apoſtolo, ut hic in Textu ſacro extat, τὸ δὲ σῶμα τῦ χριϛῦ, ſed potius ita τὸ δὲ σῶμα ὁ χριϛός, vel ἐν χριϛῷ. Hæc Viri Reverendi Obſervatio mihi admodum prudens, imo ſumme neceſſaria videtur, adeo ut vix unquam aliquis eam in dubium vocare poſſit. Imo

unica hæcce obſervatio Exegetico-Critica *Reverendi Richteri* ſatis perſpicue monſtrat, communem effati Paulini Interpretationem, qua *Chriſtus* præmiſſorum Inſtitutorum Veteris Oeconomiæ Antitypus nuncupatur, haudquaquam valere. Nam revera, ſi antitypus prædictorum *Chriſtus ipſe* ſit, ut multi docti Interpretes autumant, lectio in Textu ſacro extans minus idonea eſſet; nec monſtrari poſſet, quomodo abſtinentia ab Eſu carnis & uſu Vini, una cum die feſto, Novilunio & Sabbathis Judæorum, Typus Chriſti ſint. Hanc proinde ob rationem nullus dubito adfirmare, quod in poſteriori Commatis noſtri 17mi Articulo Interpretatio communis omnino deſerenda, & alia quæpiam magis idonea quærenda ſit, ut Textui ſacro & ſenſui Apoſtolico ſatisfiat.

§. 8.

Expoſitio *Reverendi Richteri*, cujus Summam nobis §. ſuo 7. exhibet, ob duplicem rationem mihi non videtur eſſe amplectenda: 1) quia omnem omnino Typi & Antitypi rationem in ſermone Apoſtolico removet, cum tamen vox græca σκια (b) tale

(b) Hanc vocem *Umbram* ſeu *Typum* indicare nemo inficiari poteſt. Nec Doctiſſimus *Richterus* id in dubium

tale quid nobis suppeditet, & particula δὲ, quæ antithesin indicare solet, idem confirmet. z) Quia voces in posteriore commatis

dubium vocat; sed autumat, illa voce (σκιὰ) ab Apostolo nostro nihil aliud indicari, quam antiqua Judæorum Sabbatha Umbram fuisse seu Typum futurorum in Cœlis Sabbathorum. Ex hypothesi sua rem hancce ita & non aliter disponere coactus fuit. Quoniam itaque voce σκιὰ *Umbra* seu *typus* indigitatur, ad oppositam ei vocem haud dubie attendendum est, si quis vocis σκιὰ genuinam Indolem determinare velit. In Epistola ad Hebr. X. 1. opponitur ei vox εἰκὼν *Imago*, unde constat, quod σκιὰ ibi a re pictoria desumta sit, & nihil aliud indicet, quam primas lineas seu adumbrationem & rudem delineationem, quam pictores, Imaginem aliquam picturi, carbone facere solent. Hocce autem nostro loco vox σκιὰ, vocem σῶμα sibi oppositam habens, ex Doctrina physica derivanda est, & indicat stricte sic dictam *Umbram naturalem*, qualem quodvis corpus in aprico stans formare solet, quæ autem nihil substantialis seu realis exhibet, utpote quod in ipso Umbræ hujus Corpore quærendum est. Atque ita facile comprehendere possumus, Apostolum Paulum hacce sua typica loquendi ratione magnum indicare voluisse discrimen, quod inter antiqua Instituta Cærimonialia & inter Implementum eorum Novi Fœderis est, adeo ut priscæ illæ Deum colendi rationes, cum novo Deum in Christo adorandi modo comparatæ tenue & exile quid sint, quod animam nostram immortalem neutiquam vere satiare aut recreare potest, cum contra ea spiritualia novi Fœderis Bona cor nostrum explere & ubertim refocillare sufficiant.

matis noſtri articulo plane aliter diſponi & ordinari debuiſſent ab Apoſtolo, ſi ſenſus ſermonis Apoſtolici ex Interpretatione *Reverendi Richteri* formandus eſſet. Autumat enim, Apoſtolum hocce verſu 17mo circa finem indicare voluiſſe, neminem debere Coloſſenſes judicare in cibo, aut in potu, aut reſpectu diei feſti &c. *eo quod ipſi Corpus ſeu Eccleſia Chriſti eſſent.* Si itaque hæc Apoſtoli mens fuiſſet, haud dubie dicere debuiſſet, *vos enim Corpus ſeu Eccleſia Chriſti eſtis*, a nullo unquam ob res tales (memoratas) judicandi, ne eo ipſo & Chriſtus, Caput veſtrum, judicetur condemneturve. Quum autem Apoſtolus ita non loquatur, alius ſine dubio verborum ſenſus ſit neceſſe eſt.

§. 9.

Significatus vocis græcæ Σῶμα in hoc loco haud dubie aliquid figurati ſeu ſpiritualis in ſinu ſuo gerit. *Richterus* id nobis in Enucleatione ſua §. 4to p. 96. ſq. exhibet, cum dicit: „Firmiter ego quidem „perſuaſus ſum, intelligendum eſſe per „*Corpus Chriſti Eccleſiam*, quæ quippe ita com„parata eſt, ut cum Corpore humano com„mode comparari queat. Rex enim Re„gum & Dominus Dominorum ad Dex„tram Patris exaltatus *Caput* illius *eſt*, *ex quo*

„*totum*

„*totum Corpus harmonice coagmentatum & com-*
„*pactum, per omnem commissuram subministra-*
„*tionis efficaciter pro modulo uniuscujusque mem-*
„*bri augmentum Corporis facit, ad ædificationem*
„*sui ipsius in charitate.* Ephes. IV. 15. 16.
„Multa in Ecclesia sunt *membra*, per Fidem
„& Amorem secum invicem conjuncta,
„& unita cum *Capite* suo Christo, ex quo,
„sicuti spiritus vitales ex Capite in membra
„reliqua descendunt, dona spiritus Sancti
„in omnes, qui credunt, proficiscuntur.
„Recte autem *Ecclesiam* hic intelligi, patet
„exinde, quod eadem vox eodem hocce
„capite eodemque significatu posita bis
„occurrit v. 9. 19. Adde c. I, 18. & III. 15.
„Neque cuiquam dubium esse potest, hanc
„ad Colossenses Epistolam cum illa ad
„Ephesios maxime parallelam, atque adeo
„alteram ex altera illustrandam explican-
„damque esse. Confer iam Ephes. I. 23.
„IV. 12. 15. 16. V. 23. 30, & clarissime vi-
„debis, hic quoque loci indicatam esse Ec-
„clesiam. Cum autem Casus genitivus
„τ͂ῦ χριστ͂ῦ proprietatem & peculium Christi
„designet, ita concipiendus est verborum
„sensus, *Ecclesia & omnia Membra, quæ eam con-*
„*stituunt, Christi sunt tanquam Peculium, quod pro-*
„*prio suo sanguine sibi acquisivit.*„

§. 10.

§. 10.

Hæc omnia, etsi satis prolixa sint, ex Richtero exscripsisse & huc apposuisse non piguit, quia pulchra sunt & bene placent. Non placet autem, quod Vir Rev. mox *in initio §. sui 4ti* dicat, *per Corpus*, quod Servatori tribuitur, *non posse intelligi Antitypum*; & quod §. suo 2do no. 6. adfirmet, *unicum illud Argumentum, ex oppositio sumtum, hic corruere, si demonstraverit, aliam quoque Notionem habere locum*; cum ego tamen supra (§. 8.) satis clare monstravi, quod hic, *ob argumentum ex oppositio sumtum* & vocula δὲ indicarum, *Antitypi ratio omnino haberi debeat*: quinimo quod voces græcæ ab Apostolo plane aliter ordinari & disponi debuissent, si Interpretatio *Rever. Richteri* locum habere deberet. Nec sane magni momenti est, quod ibidem asserit *Vir Vener.* (no. 6. mox ab initio), *nullibi* nempe *in Epistolis Pauli aut ceterorum Apostolorum Vocem* σῶμα (c) *pro Antitypo poni*. Nam quod ali-

(c) Quod in paucis Sacri Codicis Libellis idoneum suum robur non reperit, id & ex profanis seu exoticis scriptoribus græcis roborari potest. Conf. *Wolfii Curæ philol. & Criticæ ad Col. II. v. 17. p. 324*, ubi dicit: „Phrasis hæc non est insueta scriptoribus aliis. „Similiter enim Lucianus Hermotim. pag. 566. ob„servante Joanne Alberti pag. 381, ὀρθῶς τις φαιη „σκιὰν ὑμᾶς θηρεύειν ἐάσαντας τὸ σῶμα i. e. Recte „quis dixerit, vos *relicto corpore umbram venari*. „Et

alibi non extat in s. Codice Novi Fœderis, id locus hicce Paulinus satis perspicue indigitat. Memoratum iam aliquoties *Argumentum ex opposito sumtum*, quod in particula δέ latet, id haud parum roborat, & Expositionem *Rev. Richteri* enervat.

§. 11.

Nunc itaque b) adhuc superest, ut paucis dicam, *quid ego hac de Pericopa apostolica sentiam.* Ego ob rationes supra, præsertim §. 8. allatas Interpretationi *Rever. Richteri* in omnibus assensum meum præbere nequeo. Si enim Richteriana effati hujus Apostolici expositio valeret, posterior Commatis nostri 17*mi* articulus sic (ut §. 8. dixi) sonare deberet, ὑμεῖς γαρ ἐστε τὸ σῶμα τοῦ χριστοῦ (d) quod

„Et Josephus de Bello Judaico Lib. II. Cap. II. de „*Archelao*, qui potestatem Regiam sine Regis ti„tulo, quem petebat, olim gessisset: ἦκει παρα τοῦ „δεσπότου σκιὰν αἰτησάμενος, ἧς ἥρπασεν ἑαυτῷ τὸ σῶ„μα i. e. Venit a Domino (Cæsare) *Umbram* pe„titurus, cujus Corpus sibi rapuisset. De umbra „illa rituali compara Patrum dicta apud Svicerum „Tom. II. pag. 920 & 1215. Conferri præterea „*Braunius* poterit in Epist. ad Hebr. pag. 604. „ Quare ergo quæso & in hocce Paulino effato jucunda ejusmodi antithesis locum habere non posset? conf. quoque *Glassii Philologia Sacra p. 447.*

(d) Idem mihi videor in ipsa Rev. *Richteri* Deductione deprehendere. Nam quando §. suo 6 sive pagg. 99.

quod tamen in Textu ſacro non reperitur, utpote qui τὸ δὲ σῶμα τῦ χριςῦ ſonat. Vulgaris memorati noſtri dicti Paulini Interpreta-

99. 100. ad illuſtrandam hypotheſin ſuam v. 3. capitis XIV. Epiſtolæ ad Romanos adfert, & rationem ibi ab Apoſtolo indicatam, quare is, qui manducat, non manducantem non debeat ſpernere, & qui non manducat, manducantem non debeat judicare, memorat, allegat verba Apoſtoli, *Deus enim illum recepit;* ubi *particula* γὰρ, non vero δὲ ab Apoſtolo adhiberi conſtat. Idem & paulo poſt occurrit, quando *Rev. Auctor* verba Paulina citat, *tu quis es, qui alienum ſervum judicas? Domino ſuo ſtat ſive cadit;* ſtabit autem, potens *enim eſt Deus, eum ſtatuere;* ubi quoque particula *enim* (γὰρ) a divo Paulo adhibetur. Id ipſum & allata deinde verba Paulina ex v. 9. 10. adſtruunt: *Chriſtus enim ad hoc eſt mortuus & reſurrexit, ut & viventium & mortuorum Dominus ſit.* Cui mox ſubiungitur ſermo Apoſtolicus, idem, quod hic indicare volumus, roborans: *Tu vero quid judicas Fratrem tuum? aut etiam tu, quid contemnis Fratrem tuum? omnes enim coram Tribunali Chriſti ſiſtemur.* Ex qua toties repetita ratiocinandi methodo apoſtolica *Rev. Richterus* nullo negotio colligere potuiſſet, plane diverſam hic eſſe ſermocinandi rationem, & quod, ſi locus noſter (Col. II, 17.) ex his adductis exemplis ſtabiliri debuiſſet, Apoſtolus non τὸ δὲ σῶμα τῦ Χρίςῦ, ſed ὑμῶν γὰρ ἐςι τὸ σῶμα τῦ χρίςῦ dicere debuiſſet. Hiſce ſi addideris L. B. §. 7. *Ven. Auctoris* noſtri, ſive pag. 102, rotundis verbis idem indicatum cernes. Nam cum ibi paraphraſis totius noſtri dicti Apoſtolici ſatis perſpicue & fuſè adfertur, & omne inter Coloſſenſes jus Fratrem judicandi

pretatio, qua Typi & antitypi habetur ratio, ob vocem σκιὰ, & sequens eam argumentum ex oppositio sumtum, vocula δὲ indicatum, majorem quidem ipsa in se Veritatis hermeneuticæ habet speciem; ast si *Christus ipse* qua antitypus hic obvius proponatur, magna quoque & hæc communis Interpretatio laborat difficultate, siquidem ex mente hujus Interpretationis sacer Textus ita proponi debuisset, τὸ δὲ σῶμα (ἐστι) ὁ χριστός, sive ἐν χριστῷ, ut *Rev. Richterus* bene annotavit. Hanc proinde ob rationem ego mentem meam memorato super commate sermonis apostolici tali modo exsero. Ob *Argumentum ex oppositio sumtum*, quod particula δὲ indicatur, nullus dubito, quin hic vox σκιὰ (τῶν μελλόντων) *Umbram sive Typum futurorum* significet, & τὸ σῶμα *antitypi* formam exhibeat, quoniam Apostolus hoc illi satis perspicue opponit, & ob hoc illud dese-

dicandi vel damnandi removetur, hæc additur hujus remotionis ratio: *Nam totum Corpus, tota Ecclesia Christi peculium est, quod proprio suo sanguine redemit.* Unde denuo constat, & ex ipsa *Rev. Richteri* deductione monstrari posse, heic loci omnino *particulam* γὰρ non autem δὲ (quæ tamen ab Apostolo adhibetur) usurpari debuisse, si hypothesis Richteriana integra esset. Quod si autem *argumentum ex oppositio sumtum* hic adhibeatur, firmo suo totum Apostoli Pauli ratiocinium stat talo.

deſerere ſvadet. Nec ullum eſſe dubium puto (ut ex ſupra allatis §. 3 & 5 patet), quod hic Apoſtolus per voces ἅ ἐστι omnia illa indigitet, quæ antecedenti 16to extant. Poſterior vero pars commatis noſtri 17mi, antitypum præcedentium rerum nobis exhibens, ſic mihi vertenda eſſe videtur: *Corpus autem* (dictæ umbræ) *Chriſti* nempe *eſt Corpus.* Ubi notari velim, priorem hic vocem *Corpus* idem ex mente mea, ſatis ni fallor § antecedenti adſtructa, eſſe ac *res adumbrata* ſive *antitypus*, & poſteriorem vocem *Corpus* indicare, ſecundum Expoſitionem *Reverendi Richteri* §. 8. a me pluribus adductam, *Eccleſiam ſive peculium Chriſti* (e) ſervatoris noſtri, ſanguine ejus caro redemtum atque acquiſitum. Ex quo haud obſcure patet, Apoſtolum me judice verſibus 16to & 17mo Coloſſenſibus ſuis dicere voluiſſe: „ Ne quis igitur vos judicet in cibo, „ aut in potu, aut reſpectu (ſic enim non-

„ nul-

(e) Conf. 1 Cor. VI. 20. ubi Apoſtolus noſter ferme ſimili utitur loquendi modo. Nam cum Corinthios ſuos ad laudandum Deum & corpore & ſpiritu excitaſſet, addit denique ἅτινά ἐστι τοῦ Θεοῦ, *quæ ſunt Dei*, nempe *peculium & proprietas.* Forte & 1 *Cor. III. 4.* hic ad illuſtrationem rei aliquid addere poterit, ubi Apoſtolus Corinthiis ſuis id vitio vertit, quod nonnulli dicant, *ego ſum Pauli*; alii *ego ſum Apollinis*; ſubintellige *Cultor*, *aſſecla* &c.

„ nulli græcum ἐν μέρει vertunt) Festi, aut „ Novilunii, aut sabbathorum, utpote *quæ* „ (omnia) *sint Umbra futurorum* (Bonorum) „ *corpus vero* (umbra hacce antiqua prædi- „ ctum seu adumbratum) *est Christi Corpus*, „ *Ecclesiæ*, sive vos fideles Colossenses & „ omnes confessores Christi. Quam pro- „ inde ob rationem indignum vobis esset, „ si umbra antiqua, implementum suum „ inter vos nacta nacturaque in posterum „ adhuc magis, denuo a vobis in lucem „ protraheretur & observaretur. Fideles „ veteris Oeconomiæ in umbris acquiesce- „ re coacti erant, vos autem, fideles no- „ væ Oeconomiæ ecclesiasticæ, talibus „ amplius uti non debetis. „ Quomodo autem omnes illæ v. 16. memoratæ res *umbra futurorum* fuerint, & qua ratione in *Corpore Christi* seu *Ecclesia novi fœderis* implementum suum nactæ sint, multi Viri Docti jampridem perspicue docuerunt, ac proinde ego hisce nunc non immoror, sed cogitatis meis, ne justo longiora fiant, colophonem impono.

§. 12.

Antequam tamen manum de Tabula tollam, unus adhuc alterve offendiculi lapis mihi omnino, quoniam eum præsentio, removendus esse videtur. Forsitan

mihi aliquis his perlectis objiciet: Voces versiculi 16ti ἐν βρώσει ἢ ἐν πόσει, *in Cibo aut in potu*, non videri tam antiquas leges de vetitis impuris animantibus & de interdicta Naziræis potione vini respicere, quam esculenta illa, quæ tempore Apostoli Pauli Idolis immolata fuerant, & posthac a Sacerdotibus idololatricis magna ex parte in macello divendi solebant; ac proinde vix dici posse, talia σκιὰν seu Umbram futurorum fuisse, quæ in Ecclesia Christi implementum suum nacta fuerint. Resp. talia ex ingenio asseri, sed non demonstrari. Ego quidem probe scio, quod Apostolus de negotio esculentorum ejusmodi Rom. XIV. & 1. Cor. X. passim agat, sed an idem hic in nostro loco Epistolæ ad Colossenses indigitaverit, vix crediderim, partim quoniam hic *cibi & vini*, ibi autem *tantum carnis* mentionem facit (*) partim quoque, quia

(*) Ast in utrisque locis *carnis* non solum sed etiam *vini* fit mentio. Ita Rom. XIV. 21. καλον το μη φαγειν κρεα, μηδε πιειν οινον κ. τ. λ. & 1. Cor. X. 21. ου δυναδε ποτηριον κυριου πινειν και ποτηριον δαιμονιων, ου δυναδε τραπεζης κυριου μετεχειν, και τραπεζης δαιμονιων: conf. v. 31. Et probe notandum est sub notione *cibi* sæpiuscule præsertim in convivio potum comprehendi, & a potiori denominationem fieri; hinc φαγειν & εδιειν de usu cibi & potus usurpari vix dubites, cum festum, in quo cibo potuque ad satietatem usque exhilarabantur ethnici, de quo

ATHE-

quia hic memoratum *negotium circa Cibum & potum* (f) σκιὰν τῶν μελλόν]ων nominat, quod haudquaquam feciſſet, ſi carnem Idolis immolatam & poſt magna ex parte divenditam in mente ſua habuiſſet. Ponamus autem, Apoſtolum in hocce effato noſtro & ad tale quid reſpexiſſe, quoniam conſtat, quod primi Chriſtiani, ex Ethnicis & Judæis ad Chriſtum converſi, propter talia haud raro altercationes inter ſe habuerint, & ob id ipſum ab Apoſtolo aliquoties edocti fuerint, quid circa talia ſentire & agere debeant; & ſic aſſerere poterimus, talia a Chriſtianis judaizantibus aliis Chriſtianis, qui omnia citra diſcrimen ex mente apoſtoli cum gratiarum actione comedebant, ideo vitio verſa & in malam partem interpretata fuiſſe, quoniam Lege Moſaica vetitum erat, res ejusmodi qua im-

ATHENAEVS L. VII. ab eſu eduliorum φαγησια ſc. τέχνη appellaretur. conf. STUCKII *Antiq. Conviv. l. III. c. 23. p. 196.* Quapropter etiam 1. Cor. VIII. 4. 7. 8. 10. 13. tam de potu quam de eſu Idolothyti explicandum eſſe cenſeo N. B.

(f) Hoc ipſe Apoſtolus noſter Hebr. 9. v. 10. roborat, quando dicit: antiqua illa *in cibis* duntaxat & *potionibus* - - - - conſtitiſſe, *uſque ad præſtitutum tempus* &c. atque ita nec de placitis Eſſenorum, nec de carne Idolis immolata hic nobis cogitandum eſt,

impuras attingere vel adhibere. Quam ob causam etiam Observatio discriminis ejusmodi legalis inter Christianos pedetentim cessavit, quinimo tandem plane abrogata est, ceu res antiquæ Legi cerimoniali superstructa, & ex capite Libertatis evangelicæ abroganda.

§. 13.

Movebit forte severus aliquis omnium Verborum Apostolicorum Indagator hac occasione & hanc quæstionem: quomodo res ab Apostolo v. 16to memoratæ in nostro commate dici queant σκιὰ τῶν μελλόντων, *Umbra futurorum* (Bonorum), quum ex nostra Sententia supra stabilita tempus illud iam fuerit præsens, quo hæ umbræ implementum suum nanciscí debuerint? *Reverendum* itaque *Richterum*, futura hic in cœlis Sabbatha indigitantem, calculos suos melius posuisse quam nos. Resp. ea, quæ hic Responsionis loco adducenda forent, jam supra (§. nostro 4.) paucis attacta reperies. Nam ibi ostendimus, Apostolum in præsenti loqui, ἃ ἐστι σκιὰ τῶν μελλόντων, eo quod multa antiquitus adumbrata & futura negotia concernentia tempore Apostoli tantum cœperint impleri; ob Infirmitatem autem multorum ex Judæis ad Christum conversorum per longum adhuc tempus,

tempus, & inter Chriſtianos, in umbra ſua fuerint tolerata, uſquedum tota Veteris Eccleſiæ Oeconomia per deſtructionem & terræ Judaicæ & Templi Hieroſolymitani ſublata & in nihilum redacta fuit; ubi demum *omnes Umbræ legales*, & omnes ex iis deſcendentes ritus atque conſuetudines finem ſuum ſunt ſortiti. Hac itaque ratione variæ adhuc Cærimoniæ legales, & tempore Apoſtoli Pauli, jure *Umbræ futurorum* appellari poterant. Ea, quæ Interpretationi *Richteri noſtri* hoc in negotio maxime obſunt, ſupra §. 3-6. exhibita videbis: non eſt enim veroſimile, verba ἃ ἐϛι σκιὰ τῶν μελλόντων ad antecedentem, vocem σαββάτων tantum reſpicere; ac proinde Apoſtolus per *futura* ſua nec ſabbatha illa cœleſtia indigitare potuit. Multo certius eſt, hacce voce μελλόντων indicari ea, quæ ſub Oeconomia novi Fœderis locum habitura erant, qua Antitypus rerum in Eccleſia V. F. ſancitarum; ut ex collatione hujus noſtri dicti cum ſermone Pauli ad Hebr. X. 1. magis magisque eluceſcit. Sed ſufficiant hæc, ac proinde Manum de Tabula.

IV.

EJUSDEM

COGITATA

DE CRETHI ET PLETHI REGIS DAVIDIS. (*)

§. 1.

Notum est cuivis Sacrarum Litterarum Indagatori, in Historia Davidis, secundi Regis Israëlitici mentionem הכרתי והפלתי aliquoties injici. Variæ duplici hocce

(*) Argumentum hoc diligenter & magno eruditionis apparatu excussit Celeberrimus Antecessor meus CONRADUS IKENIUS in singulari *dissert. de Crethi & Plethi ad 2 Sam. VIII. 18. XV. 18. XX. 7. 23. &c.* quæ *Dissert.* ejus *Philol. Theologicarum Nona* est. Antequam sententiam suam, qua contendit τὰς CRETHI *Sagittarios*, τὰς autem PLETHI *cursores* vel *levis armaturæ milites*, *Velites* apud Romanos dictos, denotare proponit & ornat: Etymologiam horum nominum, quam Cel. CARPZOVIUS dedit quamque pl. Rev. & Amicissimus ELSNERUS hic adstruere allaborat, refellit. Duo autem, dum faciunt idem, non esse idem, ostendunt *Carpzovius* & *Elsnerus*. Recte refutatus est a Cel. IKENIO doctissimus *Carpzovius*, dum ex notione *abscissionis* & *separationis*, quam verbis כרת & פלת tribuit, regii corporis custo-

hocce ſuper Nomine inter Eruditos ſunt cogitationes, quas hic adferre vel ſub trutinam vocare longum foret. Quicunque Com-

cuſtodes exinde *Crethi* & *Plethi* dictos eſſe exiſtimat, *quod a reliquo exercitu ſeparati & abſciſſi fuerint*, vel quod *ex omnibus Iſraelitis fortiſſimos & bellicoſiſſimos quosque ad Regis cuſtodiam elegerint & ſegregaverint.* Cum autem aliam denominationis rationem, magis utique congruam & ſpecie ſingulari minime deſtitutam, hic attulerit Doctiſſimus ELSNERUS, gratiam apud eruditum Lectorem inibit jucundam, quod cogitata ſua ei communicaverit, & nobis plura jam miſerit opuſcula eruditionis & diligentiæ ſuæ documenta, ſuo tempore, volente Deo, *Bibliothecæ huic* inſerenda. Interea ignorare Virum hunc eruditum nolo, quod eandem fere denominationis rationem dederit Inſignis quondam Franequeranæ Academiæ Philologus Cl. E. L. VRIEMOETIUS in *Adnotationibus ad dicta Claſſica V. T. T. II. p.* 307. Lubet ipſius verba, quoniam quid diverſum ab *Elsnero* ſtatuunt, hic adponere. Poſtquam notionem του כלט ad Ezech. VII. 16. explicuiſſet, & adfinitatem ejus cum verbo מלט & exinde paronomaſiam Amoſi IX. 1. occurrentem obſervaſſet, ita loquitur. „Cum „פלימים per Tzeri & פלמים abſque jod „proxime convenit nomen פלתי *Plethi* ſatellitum „Davidis primi ordinis. Quos ego non aliunde ſic „dictos puto, quam quod *profugi* eſſent, quique „egeſtate aliisve malis preſſi, & perſecutiones cre„ditorum judicumve fugientes *in libertatem evaſe*„*rant;* qua potiti, Davidi, itidem profugo & „Saulis vitanti inſidias, ſemet adjunxerant 1 Sam.

Commentatores ſacri Codicis Veteris Teſtamenti inſpexit, probe ſcit, multas hac ſuper re extitiſſe ſemper & extare adhuc hallucinationes. Omnes ferme ſacri Codicis Interpretes in eo conveniunt, per *Crethi*

„XXII. 2. quibus dein adhuc alii nonnulli viden„tur acceſſiſſe cap. XXVII. 2. His enim, non „aliis, optime conveniunt, quæ de Plethæis in Sa„cra Hiſtoria occurrunt: & nomen, non tantum „hocce ipſum פלתי, ſi ita, ut nos facimus, ex„plicatur, ſed etiam alterum cum eo conjunctum „כרתי, *Crethi*, quod *exciſos*, ſocietate gentis „ſuæ *ejectos* dicit, a quo Philiſtæis quoque, pro„fugis quondam a Caphtoræis idem alibi in Sacris „nomen כרתי & כרתים; & numerus per„fecte idem, 600. accenſitis ſcilicet prioribus „400. illis, qui tum demum acceſſiſſe viden„tur, quum David Gatham ſe conferret, quare „ab exilio in iſta Philiſtæorum urbe Gitthæi vi„dentur dicti 2 Sam. XV. 18. coll. 1 Sam. „XXVII. 2 3. & ratio denique, qua motus „David, his, tanquam & fortiſſimis & probatiſſi„mæ fidei ſatellitibus, præ aliis cuſtodiam corporis „ſui auſus fuit committere, quod qua prudentia „facere potuerit, ſi Crethi & Plethi fuiſſent, „aut Philiſtæi, aut Cretes, ut varie Viri Docti „conjiciunt, nequit intelligi. Sed hæc ad confir„mationem & uberiorem illuſtrationem conjecturæ „probabilis, quam & ante nos jam feciſſe PETRVM „MARTYREM, & MATTHIAM præcipue HIL„LERUM, *Syntagm. Hermeneut. pag.* 191. de„deprehendi, breviter in tranſitu. Quis jam rectius & felicius rationes ſubduxerit, Lector, ipſe judica. N. B.

Crethi & Plethi Davidis eos intelligi atque indicari Milites ſeu Cohortes Davidis, qui circa eum ferme ubique & ſemper fuerunt, & cuſtodiam corporis ejus egerunt. Joſephus, celebris ſcriptor Judaicus, eos propterea σωματοφύλακες Regis Davidis nominat. Præcipua hic inter Eruditos ſuborta quæſtio hæc eſt, *unde hi Cuſtodes corporis Davidici nomen ſuum ſortiti ſint, & quales natione ſeu Origine ſua fuerint homines?*

§. 2.

Celeberrimus Anglorum Epiſcopus, D. PATRIK DELANY, rem mihi in *Vita Davidis* (a) pulchre delineata acu tetigiſſe videtur, cum adfirmat, *Crethi & Plethi Davidis* haudquaquam *Philiſtæos* aut ſimiles peregrinæ gentis homines fuiſſe, quoniam veroſimile non ſit, Davidem Cuſtodiam corporis ſui Philiſtæis vel peregrinis ejusmodi Viris concredere voluiſſe, utpote qui ei nequaquam eam præſtitiſſent fidelitatem, quam ab Iſraelitis ſuis jure merito expectare poterat. Hanc proinde ob rationem

(a) Egregius hicce Liber ab Auctore ſuo anglico ſermone prodiit, poſthac autem a Clar. Prof. Philos. tum Göttingano nunc Erlangenſi, a WINDHEIM, germanice verſus & III. Vol. conſtans in lucem emiſſus & multis adnotationibus auctus fuit.

tionem autumat Vir hicce præclarus, *Crethi & Plethi Davidis* fuisse *genuinos Israelitas*, quorum priores una cum Davide & mox post eum Patriam suam deseruerant & in speluncam *Adullam* venerant; posteriores autem, *Plethi* dictos, postea demum, cum David in Oppido *Ziklag* habitaret, patria sua exiisse & cum Davide se conjunxisse. Quam ob rationem etiam *illi* semper *primo*, & *hi secundo* loco nominari soleant, eo quod illi diutius cum Davide fuerint, & plures calamitates perpessi sint quam hi.

§. 3.

Unicum, quod in dicto *Celeb.* DELANY labore desidero, in eo consistit, quod nobis conjecturam hancce suam vere idoneam non roboraverit, nec uberius monstraverit, qua ratione in hancce suam devenerit cogitationem. Ego mihi videor satis idoneum Conjecturæ allatæ fundamentum in ipsis memoratis Nominibus *Crethi* & *Plethi* deprehendere, ac proinde id hic paucis edisserere & eo ipso conjecturam *Delanianam* suffulcire mens est.

§. 4.

Crethi, sive hebraice הכרתי est vox composita, ex כרת, quod participium præteriti

riti temporis ſive Pahul (b) eſt, & ex ה demonſtrativo, una cum Affixo ו., quod *mei* ſignificationem exhibet. Radix ipſa hujus noſtræ vocis כרת notionem *ſcindendi & ſcindendo ſeparandi* in ſe continet, ut ex Lexicographis Hebrææ Linguæ cuivis conſtat. Quod ſi itaque conjectura *Cel.* DELANY ſupra memorata aſſumatur, per *Crethi Davidis* eos intelligi Iſraelitas, qui ex Patria ſua ad Davidem in Speluncam Adullam venere, nemo non videt, hancce conjecturam allegato noſtro vocis כרת ſignificatu perbelle enucleari roborarique. Nam de Iſraelitis illis, qui Davidem in ſpeluncam Adullam ſecuti fuerant, 1 Sam. XXII. 1. 2. legitur: „David proripuit ſe ad ſpe„luncam Adullami; quo audito Fratres „ejus & tota Familia patris ejus deſcende„runt ad eum illiuc. Congregaverunt quo„que ſe ad eum quilibet preſſus anguſtia, „& cuicunque erat exactor, & quisquis „amaro erat animo, ut eſſet ipſis Præ„fectus, ita fuerunt cum ipſo quaſi qua„dringenti Viri.„ Quicunque ergo hanc aſſeclarum Davidicorum delineationem rite perpendit, nullo negotio ſentit, quod jure merito כרתים ſeu (malitia Saulis & duritie

(b) Ex arte grammatica Hebræorum conſtat, *participium præt.* non tantum *pahul*, ſed etiam *pahil* & *pahel* eſſe.

duritie exactorum adversariorumve suorum) a reliquo populi Israelitici Corpore *scissi & scindendo separati* homines nominari queant, utpote qui ob rationes in Textu sacro allatas vix amplius inter Fratres suos Israelitas manere poterant.

§. 5.

Haudquaquam tamen ejus sum opinionis, vocem *Crethi* seu הכרתי esse, ut nonnulli autumant, pluralis numeri masc. gen. cum Apocope תָ Mem finalis; nam talia incerta minusque idonea Grammatices Hebraeae fundamenta sunt. Me judice nomen *Crethi* est singularis numeri cum affixo י. & subintellecto Vocabulo hebraico עם *populus*, adeo ut propter superadveniens He demonstrativum vox הכרתי verti debeat *hicce meus scindendo separatus populus*; ac si David nomine hocce, Amicis suis ordine primis indito, ostendere voluisset, qua via & ratione hosce Amicos & Commilitones suos acceperit, qnod nempe hoc ideo factum sit, quoniam per malitiam Saulis Regis & nimiam duritiem Exactorum ac Inimicorum suorum quasi *scissi & scindendo remoti* fuerant a reliquo Fratrum suorum Corpore, quo adacti ad Davidem, similiter Terra patria ejectum, in speluncam Adullam confugerant, & multa minus jucunda cum ipso variis in locis perpessi erant.

§. 6.

§. 6.

Simili ratione & posterior Amicorum Davidicorum Cognominatio *Plethi* sive הפלתי enucleari poterit. Vox פלת in Lexicis nostris Hebraicis non occurrit per ת, verum פלט per ט ubique reperitur, & notionem *profugiendi, elabendi* exhibet, unde etiam פלט *profugus* dicitur in participio præteriti temporis. Quis autem non videt, hic perspicue monstrari posse, quo defectu hodierna nostra Lexica hebraica laborent. Si פלתי in Lexicis prostat, eo ipso & radix ejus פלת restituitur, & Lexicis inseri debuisset; etsi ipsa hæcce Radix hebræa in Sacro Hebræorum Codice non reperiatur, gaudet tamen in pomoeriis Idiomatis Hebraici jure suo, quod ipsi Lexicographi inique adimunt. Quamprimum derivata & composita alicujus Radicis verba deprehendo, necessariò & radicem loco suo idoneo adferre teneor, ne manca fiat maneatque Dispositio mea. Quam proinde ob rationem nullus dubito, quin פלת æque ac פלט genuinum verbum hebræum sit, & eodem prorsus cum פלט significatu *profugiendi, elabendi* gaudeat, siquidem Literæ unius Organi haud raro inter se permutentur, & æqualem habere soleant notionem.

§. 7.

§. 7.

Hoc itaque ſuppoſito & præmiſſo quivis facile ipſe diſpicit, nomen poſterioribus Davidis Amicis ſeu Commilitonibus inditum הפלתי nihil aliud indicare, quam viros *profugos ex ſolo Patriæ & feliciter adhuc elapſos*, etſi permagnum periculum vitæ ipſis valde propinquum fuerit; ſive, ut ſupra memoratam Ellipſin vocis עץ jure noſtro retineamus, *populum Davidis profugum & vix elapſum.* Nam ſi quis ſecundum 1 Chron. XII. 1. 2. 14-16. Hiſtoriam horum *Plethi* ſeu *Pelethitorum* probe perpendit, facillimo negotio videt, quod hi homines, ex ſolo patrio ad Davidem Ziklagum euntes, maximo expoſiti fuerint periculo, quo priores Davidis amici (Crethi) caruerant. Sic enim 1 Chron. XII. 1. 2. legimus: „Hi vero ſunt, „ qui venerant *Ziklagum* ad Davidem adhuc „ excluſum metu Saulis Filii Kis, qui cum „ illis robuſtiſſimis (forte hic *Crethi* indigi- „ tantur) fuerunt adjutores Bellorum ejus; „ armati Arcu, dextrorſum & ſiniſtrorſum „ petentes lapidibus, ſagittis jaculantes ar- „ cu; *ex agnatis Saulis*, è Benjaminitis.„ Quis hic non videt, ſummum hiſce viris imminuiſſe periculum, cum ad Davidem fugerent, praeſertim cum ex *agnatis Saulis* eſſent. Si hi Viri a Saule in fuga ſua deprehenſi fuiſſent, dupliciter profecto ab eo fuiſſent

puniti

puniti, eo quod, affines Regis ſui exiſtentes, ad Davidem tamen abire non dubitaverint. Talis ergo metus, qualis hoſce noſtros *Plethi* ſeu poſteriores Davidis Amicos circumdedit, priores illos, ſeu *Crethi*, non occupaverat. Illi ſatis tranquille é ſolo ſuo patrio egredi potuerant, quoniam Saul ipſis nullas adhuc inſidias ſtruxerat; hi autem *(Plethi)* inter & per ipſiſſimas iracundi Regis Saulis inſidias fugam ſuam ad Davidem moliri perficereque cogebantur, quod ſane abſque ingenti animi metu fieri non potuit.

§. 8.

Imo ex ſequenti *v. 14. 15. dicti Capitis prioris Libri Chronicorum* videre eſt, Viros hoſce præter ingentem Saulis metum & inſidias ab eo ubique ſtructas & alia adhuc non ſperata ſuperare debuiſſe in fuga ſua impedimenta. Sic enim ſcriptor ſacer loquitur: „Hi ſunt, qui trajece„runt Jordanem menſe primo, quamvis „*exundaret ſuper omnes ripas ſuas;* & fugave„runt omnes Incolas Convallium ad Orien„tem & ad Occidentem.„ Ex quo luculenter apparet, Viros hoſce in magno conſtitutos fuiſſe metu atque periculo, quod & exundantem ſuper omnes ripas ſuas Jordanem trajecerint, & quod Incolas

las ſibi obvios fugaverint, ne ab illis proderentur apud Saulem & Inſidiatores ſuos. Quæ omnia certum nobis exhibent teſtimonium, Viros hoſce intenſiſſimum in præcordiis ſuis erga Davidem habuiſſe Amorem, nec dubitaſſe, quin res Davidicæ tandem aliquando feliciſſimum eſſent ſortituræ eventum, & Saulem cum aſſeclis ſuis & iniquitatis ſociis tandem haud dubie eſſe interiturum. Quod & eventus comprobavit.

§. 9.

Etſi autem modo allato poſteriores hi Davidis aſſeclæ, quos *populum ſuum profugum & vix elapſum* nominat, revera multo plures anxietates & moleſtias in Itinere ſuo ad Davidem verſus Ziklagum perpeſſi fuerint quam priores Davidis Amici in fuga ſua verſus ſpeluncam Adullam dictam, nemo tamen inficiabitur, Cerethitos Pelethitis in S. Codicis Hiſtoria Davidica ſemper jure præmitti, eo quod cum Davide habitantes & circumvagantes multo plura ſubierint pericula vitæ quam Pelethiti; utpote qui, ſuperatis in Itinere ſuo variis moleſtiis, poſthac paucos in comitatu Davidico perferri coacti ſint dolores ſive anguſtias. Circumſtantiæ enim Davidicæ ab eo tempore, quo Ziklagi morabatur, ſatis felices erant, egregiaque jam tunc præfulgebat ſpes Davidem

videm cum ſuis brevi lætam adepturum eſſe quietem.

§. 10.

Unicum, quod hac occaſione adhuc monere reſtat, in eo conſiſtit. *Cel.* DELANY Cerethitos inde nomen ſuum ſortitos eſſe autumat, quod cum Davide per varios annos in terra Cerethæa ſeu Philiſtea habitaverint; & *Pelethitos* ſic cognominatos eſſe, quod quidam *Peleth* Dux ſeu Præfectus illorum fuerit. Non inficior, hæc mihi magnopere diſplicere. Nam non tantum priores, ſed & poſteriores Davidis Amici ſeu Aſſeclæ in terra Philiſtæorum cum Davide per aliquod tempus morati ſunt, quare ergo tantummodo priores ſeu *Crethi* ab hacce terra cognomen ſuum accepiſſent, & non poſteriores? Sic etiam quoad *Plethi* a praefecto ſuo cognominatos, ut Cl. DELANY vult, difficultas oritur, quare hi a praepoſito ſuo, & non illi quoque a ſimili Viro nomen ſuum ſortiti fuiſſent? Quare a *Peleth* nomen ſuum accepiſſent, cum 1 Chron. XII. 3. primarius horum Virorum *Achihezer* nominetur, & *Peleth* demum quarto loco ponatur? nec ſolet in Sacro Codice ullus Exercitus a Duce ſeu Praefecto ſuo ſummo cognomen adipiſci. Sic *Benaja* multos per annos Virorum *Crethi* & *Plethi* prae-

positus fuit, & tamen ab eo nullibi hi Viri cognomen aliquod acceperunt. Nec a fortissimo *Ioabo*, nec ab *Abnero* unquam milites seu Copiae Israëliticae cognomen sunt sortitae. Unde ergo DELANIVS in hasce incidere potuit cogitationes, *Pelethitos* a *Peleth* quopiam fuisse cognominatos? similitudo literarum id in mente ejus excitasse videtur. Mihi supra allata & enucleata ratio denominationis vocum *Crethi* & *Plethi* tutissima esse videtur. Non nomen aliquod proprium utraque haecce vox in sinu suo gerit, sed *appellativum*, ut Grammatici loquuntur, nobis porrigit sensum, qui in tristi illo, quo viri hi omnes olim pressi fuerant, statu idoneum suum repperit fundamentum.

§. 11.

Si quispiam de numero horum *Crethi & Plethi* sollicitus fuerit, huic nihil certi responderi potest. Et *quadringentorum & sexcentorum* virorum Historia sacra aliquoties mentionem injicit, qui cum Davide Adullami & Ziklagi fuerunt. Imo 1 Chron. XII. 22. ait sacer Historicus praeterea: „ quinimo etiam opportuno quoque die „ veniebant ad Davidem, ut juvarent eum, „ donec *Exercitus* redderetur *magnus ut Exercitus Dei*.„ Haec ante inchoatum Regnum Da-

Davidicum de viris hiſce *Creti & Plethi* adfirmantur. Veroſimile eſt, quod Exercitus hicce Dei dehinc multis adhuc ſtrenuis viris auctus fuerit, etſi certus eorum Numerus non ediſſeratur. Nec liquido conſtat, quam diu Exercitus hicce Davidicus poſt obitum Regis Davidis adhuc floruerit. Non videtur poſt mortem Davidis Cuſtodia Corporis Regis tertii Iſraëlitici Salomonis fuiſſe, etſi in coronatione Ejus publica preſens fuerit.

Tantum.

V.

NICOLAI BARKEY OBSERVATIO EXEGETICA AD 1 Pet. III. 15. 16. 21.

§. 1.

Laudavi merito, quam Fasciculo Secundo inserui, pl. Rev. & Doctissimi J. N. RICHTERI Dissertationem, qua locum difficillimum, 1 Pet. III. 18 - 22. illustravit. Præcipua ipsi debetur laus ex indicata & adstructa constructione vocum ὑμας ἀντιτυπον, quæ nulli non adeo naturalis & dilucida videri poterit, ut mirum sit, eam nemini adhuc, quantum scio, in oculos incurrisse. Omnis hoc pacto exulat, si quid video, hunc locum rite interpretandi difficultas, inde orta, quod diluvium ut typus Baptismi consideratum sit. Nec deneganda Ipsi laus est tum in explicatione Baptismi, quomodo nos servat propter resurrectionem & Potestatem Christi cœlestem, tum in expositione του επερωτηματος bonæ conscientiæ. Επιμετρον solum ad hanc Dissertationem addo, quo aliam constructio-

ſtructionem verborum σωζει βαπτισμα εἰς Θεον inſtituo, & το ἐπερωτημα bonæ conſcientiæ aliter explico. Salvum cuicunque ſit, quis hæc verba rectius interpretatus ſit, judicium.

§. 2.

Jungit Doct. RICHTERVS verba hæc ἡμας νυν σωζει βαπτισμα εἰς Θεον, ac ſi dictum fuiſſet ἡμας νυν βαπτισμα σωζει εἰς Θεον & recte oſtendit phraſin σωζειν εἰς ſcriptoribus ſacris non eſſe inſuetam. Non renuo. Solummodo in mentem venit, an verba hæc ita *debeant* accipi & transponi, & annon potius, parentheſeos ratione poſthabita, cujus finis cum Ipſo *Richtero* vox ſit ἐπερωτημα, jungendæ ſint voces βαπτισμα εἰς Θεον. Nihil enim hoc pacto decedit ſignificationi verbi σωζειν, quod vel ſexcentis locis abſolute absque ulla determinatione uſurpatur ad deſignandam ſpiritualem & æternam ſalutem, cujus non niſi in communione Dei participes reddimur. Loca hanc rem probantia ubivis ſunt obvia. Frequentiſſime autem in ſcriptis Apoſtolorum βαπτιζεσθαι εἰς reperimus, ſc. βαπτιζεσθαι εἰς μετανοιαν, εἰς αφεσιν ἁμαρτιων, & quod huc quam maxime facit βαπτιζεσθαι εἰς ονομα τινος, εἰς χριστον Ἰησουν, εἰς τον θανατον αὐτου, εἰς τον Μωσην; quas phraſes illuſtravit & loca easdem referentia ſollicite

collegit Cel. VITRINGA, de *germano ſenſu dictionis Baptizari in rem*, *Obſervat. Sacr. l. III. c. 22.* Secundum datam autem a Cl. Viro expoſitionem βαπτισμα εις Θεον denotabit baptiſmum, quo quis in communionem Dei tranſit, & rejectis idolis gentium ad id publice in coetu Chriſtianorum aqua luſtratus eſt, ut ſuam cum Deo profiteatur communionem, & baptiſmo ceu ſigno & teſtimonio palam faciat, ſe in Verum Deum credidiſſe, verboque Evangelii monitum obedientiam Illi præſtitiſſe, vel ſe totum ad gloriam Veri Dei compoſuiſſe. Conferri hic velim VITRINGAM, qui plura habet, quæ exſcribere non vacat. Rem ipſam quod attinet, conveniunt fere omnia cum eis, quæ Rev. RICHTERVS rectiſſime de baptiſmate Servante peroravit.

§. 3.

Obſtat ſolummodo huic Interpretationi, quod in N. F. paginis nullibi βαπτισμα εις Θεον occurrat. Verum mihi hoc dubium tanti non videtur, ut nos ullo modo morari poſſit. Nam occurrit etiam tantummodo bis Baptiſmus in Chriſtum Ὅσοι ἐβαπτισθημην εις χριστον Ἰησουν, εις τον θανατον αὐτου ἐβαπτισθημην Rom. VI. 3. & pæne eodem modo Gal. III. 27. Ὅσοι γαρ εις χριστον ἐβαπτισθητε. Quis autem cum nullibi amplius

plius reperiatur βαπτισθηναι εις χριστον, diceret, hanc phraſin fundere ſenſum minus commodum? quis, inquam, diceret baptiſmum in Chriſtum a Baptiſmo in S. S. Triadem differre? Stringeret, fateor, argumentum magis & efficacius, ſi aliquem haberemus in N. F. locum parallelum. Verum cum duæ ſolummodo nobis ſuperſint *D. Petri* Epiſtolæ, & in his ſemel tantum, heic ſc. loci, mentio fiat Baptiſmi, quis exinde jure inferret, phraſin hanc nullam habere auctoritatem? præcipue, cum Apoſtolis ſingulis ſuus & ſingularis facile dignoſci poſſit ſtylus, ſingulique ſuas habeant amentque phraſes. Imo phraſis βαπτισμα εις Θεον id peculiare habere videtur, quod veluti in compendio ſiſtat, quem Servator præſentibus Petro ceterisque diſcipulis juſſerat & inſtituerat Baptiſmum εις το ονομα του Πατρος, και του Υιου, και του αγιου Πνευματος, & proinde Petrus Baptiſmum in S. S. Triadem per το βαπτισμα εις Θεον innuat, ita ut Baptizatus communionem ſuam cum Deo Triuno profiteatur, palamque faciat baptiſmo ceu ſigno & teſtimonio ſe credere in Deum Triunum, & ad Dei Triunius gloriam ſe totum devovere & auctorare.

§. 4.

Conveniunt quæ de Baptiſmo in Deum Triunum diximus cum expoſitione, quantum ſcio, Nova interpretamenti Petrini, quo baptiſmus συνειδησεως ἀγαθης ἐπερωτημα audit De voce ἐπερωτημα ſatis dictum eſt ab aliis. Plurimi certum habent & expeditum, quod *Reſponſionem* denotet & *ſententiam rogatam.* Quis vero eſt, qui interrogat, & cui reſpondendum eſt Baptiſmo in Deum? MOSES AMYRALDVS in *Paraphraſi Epiſtolæ Petrinæ* Interrogantem ſibi repræſentat *miniſtrum Eccleſiæ.* Ita loquitur *Je dis que le Bapteme nous ſauve, pourvu que nous ne nous contentions pas de mettre bas les ſouilleures & les ordures de nos corps, mais que lors qu'on nous demande, & qu'on ſtipule de nous au Nom de Dieu, que nous renoncions au malin & au monde, nous y repondions en bonne conſcience, & du plus ſincere de nos coeurs.* Non longe ab hac ſententia abeunt Interpretes tantum non omnes, qui reſponſionis notionem aſſumunt. Dicunt Deum ſymbolice interrogare, & qui baptizantur, ſymbolice baptiſmo, & poſt vita ad normam Evangelii compoſita, Deo reſponſum ferre. Expoſitionem hanc præ aliis exornavit Doctiſſimus RICHTERVS; nec renuo, rem ipſam, quod attinet, hunc ſenſum. Obſervo ſolummodo, quod explicatio

hæc

hæc Baptiſmum in ſe reſpiciat & indicet, qui ita vocari poſſit. In nexu autem nihil eſt, quod, ut Deum nobis ſiſtamus interrogantem, ſuadet. E contrario ſermonis nexus *Interrogatorem alium*, qui ſententiam rogat, determinare videtur. Niſi magnopere fallar commata 15. 16. conſulenda ſunt. Κυριον δε τον Θεον αγιασατε εν ταις καρδιαις υμων, ετοιμοι δε αει προς απολογιαν παντι τω αιτουντι υμας λογον περι της εν υμιν ελπιδος μετα πραυτητος και Φοβου, συνειδησιν εχοντες αγαθην, ινα εν ω καταλαλωσιν υμων ως κακοποιων, καταισχυνθωσιν οι επηρεαζοντες υμων την αγαθην εν χριστω αναστροφην. Ex his verbis Interrogatorem & reſpondentem Baptizatum eruendum eſſe arbitror.

§. 5.

Hoc autem ut faciam, prius objectioni, quæ forte illico Lectori ſuboritura eſt, occurrendum. Dicet το συνειδησεως αγαθης επερωτημα v. 21. interjectis tam multis graviſſimisque ſermonibus & rationibus nimis longe à v. 15. diſtare, quam ut ad verba ibidem exſtantia reſpicere poſſit. Verum bifariam reſpondeo. *Primo* in hac ipſa Epiſtola dari exempla, ubi interjectis pluribus periodis ad præcedentia iterum reſpiciatur, negari nequit. Ita in hoc ipſo capite v. 16. reſpicitur ad c. II. 12. & 15. & v. 17. reſpicitur ad c. II. 19. 20. Cap. IV. 1. reſpicitur ad c. III. 18.

Secundo convenit inter omnes Interpretes omnia a v. 8. usque ad finem capitis indivulsa copula ad eandem Pericopen pertinere. Adhortatur enim Apostolus, „ ut fideles (Rev. RICHTERI verbis utor ex §. 2.) vitia & „mores seculi pravos vitantes virtutibus „Christiano homine dignis studerent v. 8- „14. ut nonnisi propter justitiam paterentur, passionesque & afflictiones Evangelii causa sustinendas tanquam innocentes „patienti perferrent animo vs. 14 - 17. „Huic adhortationi rationem addit, melius enim est, bene agentes, si voluntas „Dei velit, pati, quam male agentes vs. „17. Quo vero magis ad calamitates illas „intrepido animo tolerandas permoveantur fideles, argumenta adducit tria gravissima - - Non est itaque, si contenta „considerentur, quod de scopo hujus „scriptionis diu laboremus. Est enim is, „adhortari fideles, ut persecutiones propter Evangelii confessionem ipsis immittentes nullorum conscii scelerum patienti sustineant ferantque animo. Nihil in his observo notandum. Vellem tantummodo de scopo ita ordiri, Est is, adhortari fideles, ut non solum vitam agant inculpatam Christianam, verum etiam libere & publice coram Judice Christianam fidem imperterrito animo profiteantur, & persecutiones - -

§. 6.

§. 6.

Hoc autem ut ad liquidum perducam, rationesque hujus additamenti proferam adhortationem Apoſtoli paucis explicare oportet. Poſtquam virtutis ſtudium fidelibus inculcaſſet, & felices omnino dies morigeris promiſiſſet, ſevere monet, ne ſe minis & inſultibus hoſtium veritatis a virtutis ſtadio & confeſſionis παῤῥησια deterreri paterentur, beatos eos pronuntiando, qui propter confeſſionem fidei & juſtitiam afflictiones patienti animo ferunt. Quo vero magis eorum animos ad patientiam, fidei conſtantiam & fiduciam in Deum erigeret & confirmaret, graviſſime eos adhortatur, ut Deo magis quam hominibus obediant, Deumque magis quam homines timeant. Hoc ſibi velle videntur verba: Τον δε φοβον αὐτων μη φοβηθητε, μηδε ταραχθητε, κυριον δε τον Θεον ἁγιασατε ἐν ταις καρδιαις ὑμων. Prædicit enim his ipſis verbis & prævidet Apoſtolus, fidelibus varias calamitates inſtare, quales ipſe cum aliis in primordiis regni cœlorum perpeſſus erat; fore, ut calumniis & blasphemiis vexarentur & coram tribunalibus gentium ducerentur, eosque vincula & tormenta & ignominioſæ mortis pœnas maneant. Ne itaque accuſationibus, minis, vinculis & omnis generis afflictionibus perterrefacti

facti a fide in Deum & Christum desciscerent hominibusque magis quam Deo obedirent, varias adhibet admonitiones. *Sanctificate potius, inquit, Dominum Deumque vestrum*, quem B. ALPHENIVS in *Comment.* recte demonstravit esse *Filium Dei, Jesum Christum, in cordibus vestris.* Timeatis Hunc, Eique constantissime adhæreatis animo intrepido, cujus auxilium vobis non deerit, neque Spiritus, quem vobis promisit. Fideatis Illi, nam Sanctus est & Veracissimus in promissis suis.

§. 7.

Exsurgit ex his alia adhortatio, qua instruuntur, quomodo se coram tribunalibus gerere deberent, sinistrasque hostium accusationes ipso virtutum exercitio confundrent. J. C. JOSEPHI *Tempe Helveticorum T. V. p.* 613. priora verba Ἑτοιμοι δε ἀει προς ἀπολογιαν παντι τω ἀιτουντι ὑμας λογον περι της ἐν ὑμιν ἐλπιδος μετα πραυτητος και Φοβου ita explicat, ac si Apostolus moneat, *admittant & adducant etiam gentes ad communionem Ecclesiæ.* Minime quidem negandum est, id fieri posse per Apologiam veritatis, quum se commendat conscientiis hominum. Verum alia quæstio est, an id intendat h. l. Apostolus, quod negandum censeo. *Apologiæ* vox alium plane finem indi-

indicat, ſc. ut fidei ſuæ, quam in baptiſmo profeſſi erant, rationem reddant, ad accuſationes reſpondeant, & præſertim ut veritatem ſpei ſuæ, quæ ex fide in Chriſtum Filium Dei nata erat, rite demonſtrent & defendant. Ipſa quoque phraſis, Eſtote ἑτοιμοι προς ἀπολογιαν παντι, τω αἰτουντι ὑμας λογον Tribunal & Judicem innuit. Αἰτειν enim, licet proprie in communi vita ſit *poſcere, quod gratiæ apponatur acceptum*, & ἀπαιτειν *repetere quod ſibi debeatur*, αἰτειν hinc denotet *rogare ſtipem* vel *Eleemoſynam*, & αἰτεισθαι *rogare mutuum aut commodato* (a) αἰτουντι λογον ὑμας, quæ conſtructio, jungens το αἰτειν cum duobus accuſativis, mere *Attica* eſt (b), alium tamen ſignificatum habeat neceſſe eſt (c) præcipue dum ad Apologiam

(a) Conf. Viros Litteratiſſimos CASAVBONVM, DVPORTVM & ALBERTIVM, illos ad THEOPHRASTI *Charact. p. 103. 353. edit. Cantabr.* hunc in *notis ad Gloſſarium in N. F. libros p. 149.* KREBSIVM in *obſerv. in N. T. ad Luc. VI. 30.* Sed conf. etiam SCHOLIASTEN ad ARISTOPHANIS *Plutum v. 156.*

(b) V. Ill. SPANHEMIVS ad ARISTOPHANIS *Ranas v. 490. p. 305. edit. Kuſter.*

(c) Adhibetur verbum Αἰτειν abſolute in judicio non rogandi ſed *poſtulandi* notione de populo, qui vere aut falſo hominem *criminis alicujus accuſat, mortemque illius poſtulat* variis in locis, ex quibus

giam phrasis hæc respicit. Tum enim procul omni dubio *postulatum* innuitur, quo quis tenetur αἰτιολογιαν sive causam & rationem verborum vel factorum dare. *Quis autem est*, qui jus habet in alium dicti aut rei gestæ postulandi rationem? præsertim si hic criminis alicujus reus accusatus sit? Nonne jus illud hæcque potestas *Iudici* com-

bus v. Matth. XXVII. 28. Luc. XXIII. 23. Actor. III. 14. XIII. 28. Ipsum etiam illius postulatum apud Lucam c. XXIII. 24. Αιτημα vocatur, ex *Dionysio Halicarn.* & *Luciano* illustratum à Doctissimo DE RHOER *Fer. Daventr. p. 9.* Eandem verbi αιτειν significationem deprehendes apud AELIANUM *V. H. l. I. c. 34.* Dicitur ibi de Rhacoce septem liberorum Parente, quod natu minimum Cartomen multorum criminum & forte sacrilegii reum, immorigerum & pertinacem comprehensum, manibus ejus in tergum reductis, ad judices illius tractus, quum venissent ubi adolescentis pater habitabat, duxerit, & accurate ea omnia, quæ ab eo audacius erant patrata, accusaverit, και ἠτει παρα των δικαστων, ἀποκτειναι τον νεανισκον & *postulavit a judicibus, ut adolescentem ad mortem adigerent.* Forte exinde quoque derivandum est, quod vox Αιτια, licet juxta ETYMOLOGICVM MAGNVM sit ab ατη *noxa, damnum*, fere semper in judicio adhibita sit ad designandam culpam vel impactum crimen, uti probant CAMERO *Opp. pag. 192.* & *Cl.* KYPKE in *Obs. S. ad N. F. T. I. p. 139. T. II. p. 128.* & ex PHILOSTRATI *Vita Apollonii Tyanensis l. VI. c. 6. p. 284. edit. Olearianæ* & XENOPHONTE περι Οικονομιας c. III. §. 11. videre est.

competit? *Proconſulibus* nempe aut aliis eorum nomine: quorum erat coram tribunali audire delatorum contra alios accuſationem, & poſtulare aut permittere accuſatorum Apologiam, ut inſtruerentur de impacti criminis veritate aut falſitate, ut judicarent ad legum cynoſuram & de omnibus Imperatores vel Senatum populumque Romanum certos redderent. Factum hoc fuiſſe ſub adventum PLINII in Provinciis Rom. & ſub examen vocatos fuiſſe multos Chriſtianiſmi criminis accuſatos obſervat S. Venerandus Collega NONNENIVS in doctiſſima *Paraphraſi prioris Epiſtolæ Petri*, aliquoties a RICHTERO laudata §. 12. *Apologiam* autem plerumque a Procuratoribus & Proconſulibus Romanis juxta legem Romanorum æquiſſimam conceſſam fuiſſe iis, qui ad tribunal ducti & capitis rei accuſati erant, teſtantur Actus Apoſtolici. Ita c. XXV. 16. Porcius Feſtus Procurator Judææ Regi Agrippæ narrat ſe Pontificibus m. & Presbyteris Judæorum ſententiam mortis contra Paulum accuſatum poſtulantibus reſpondiſſe. *Non moris eſt Romanis gratificari hominem aliquem ad interitum, priusquam, qui accuſatur præſentes ſibi habeat accuſatores*, τοπον τε ἀπολογιας λαβοι περι του ἐγκληματος conf. c. XXI. 39. 40. XXII. 1. Phil. I. 7. 2 Tim. IV. 16. Apologia igitur,

ad

ad quam ut parati essent fratres monet Apostolus, satis liquide docet τον αἰτουντα λογον talem esse, qui *jus habebat accusatos in judicium & sub examen vocandi, & ab eis, ut Apologiam suam reddant, postulandi.*

§. 8.

Confirmat hanc expositionem Interpres SYRVS dum verba hujus §. ita reddit והויתון מטיבין למפק בוחא לכל דחבע לכון ומלתא Et vos, juxta *Tremellii* & *Schaafii* versionem, על סברא דהימנותא *sitis parati ad defensionem apud omnem qui quaerit à vobis sermonem de spe fidei.* Singula hujus periodi verba tale, quale nos intelligimus, Prætoris vel Judicis examen indicant. Nam Apologia dicitur מפק רוחא, quod proprie est *prolatio spiritus* in Apologia vel ratione coram Judice reddenda necessaria, sed apud homines accusatos, præsertim si ex infima sorte sint, minus frequens, & ob cujus defectum naturalem, quia vultus Judicis plerumque terrorem injicere solet, sollicita cura sæpius angebantur Apostoli & fideles. Hinc Servator eos ita consolatur Luc.XXI. 14. Θεσθε εἰς τας καρδιας ὑμων, μη προμελεταν ἀπολογηθηναι quæ postrema verba Syrus pene eadem phrasi vertit ולא תהוון מתילפין למפק רוחא Ἐγω γαρ δωσω ὑμιν στομα και σοφιαν ἡ οὐ δυνησονται ἀντειπειν, οὐδε ἀντιστηναι παντες οἱ ἀντικειμενοι ὑμιν. conf. parrhesiam & preces

Apo-

Apoſtolorum Act. IV. 13. 19. 31. XXVI. 26. Accedit quod verbum tum Chaldaicum tum Syriacum תבע, quo SYRVS τον αἰτουντα λογον reddit, fere ſemper τω εκδικειν reſpondeat & de Domino uſurpetur, qui Principis vel Iudicis jura habet & exſequitur v. Luc. XVIII. 3. XIX. 23. Apoc. VI. 10. XIX. 2. Eſth. II. 23.

§. 9.

Nec obſtat, quod Petrus fidelium hoc officium ad omnem illum, qui rationem exigit, extendat. Parati eſtote παντι τω αἰτουντι ὑμας λογον. Nam non eſt hic πας, quisquis ſciendi cupidine tactus fidei Chriſtianæ myſteria cognoſcere quærit, ſed quisquis *Præſidis* vel *Judicis* dignitatem gerit, ſive ſit ipſe βασιλευς, ſive ἡγεμων δι αὐτου πεμπομενος, uti hos appellat & diſtinguit Petrus c. II. 13. 14., hoc magis, quia Epiſtola hæc directa eſt ad electos παρεπιδημους διασπορας *Ponti*, *Galatiæ*, *Cappadociæ*, *Aſiæ* & *Bythiniæ*, quæ regiones, in Provincias Romanas deductæ, ſingularem ſuum habebant Præſidem, qui denuo publica auctoritate ſuos conſtituerat Cenſores & Epoptas, eorum nomine hic illic judiciali poteſtate veſtitos. Hinc πας ὁ αἰτων *omnis* eſt *Judex*, fideles ſub examen vocaturus & ab eis criminum impactorum rationem poſtulaturus.

§. 10.

Modus etiam, quo fideles ad reddendam Apologiam parati esse, seque coram *cognitionibus* institutis, ut PLINII phrasi utar, gerere debebant, liquide satis ostendit, quærentes Apologiam, vel doctrinæ moramque defensionem, Viros esse *Principes*, *Magistratus*, *Prætores*, *Iudices*. Id enim facere eorum erat μετα πραυτητος και φοβου. *Primum* omni tempore necessarium est, & ad quosvis personas sive in humili statu sint, sive dignitate aliqua super alios emineant, pertinet. Fideles cujusvis loci & ordinis edocti sint oportet a Sanctissimo Magistro την πραυτητα, cujus inter præcipuos Character est, quod fuerit πραος Math. XI. 29. Quam maxime itaque decet coram tribunali verba defensionis *mansueto* spiritu eloqui? Nihil autem magis eis conveniebat quam φοβος vel ut Syrus habet רחלתא, Cum 14. dictum fuisset τον δε φοβον αυτων μη φοβηθητε μηδε ταραχθητε, & verbis his moniti essent fideles, sicuti heic ταρασσεσθαι plus esse videtur quam φοβεισθαι, ne sibi denunciatione minarum quarumvis, vinculorum, & ignominiosæ mortis perturbationem, pavorem & terrorem ab hostibus veritatis incuti sinant, haud difficile est cognoscere, voces has aliud quid insinuare. Procul omni dubio ut ad *Reverentiam* & *humilitatem* animi se componant,

ponant, ſuadet. Verum *cui* debetur *Reverentia* & in *cujus* conſpectu decet animi *humilitas*? Non equidem, opinor, cuicunque proximo, qui aliquam quaerit fidei noſtræ expoſitionem. Debetur illa citra omne dubium *heris* & *Dominis*, *Magiſtratui* & *Iudici*, quorum dignitas & υπεροχη reverenter & humillime ab omnibus & quam maxime in judicio agnoſcenda eſt. Ita occurrit vox φοβος hac ſignificatione c. II. 18. Eph. VI. 5. Rom. XIII. 7. &c. Placent verba SCHLICHTINGII quibus verba: *Et timore*, ita exponit: *nimirum erga eos, quibus debetur timor, qui timendi ſunt propter* poteſtatem, quam habent. *Metum ac timorem requirit Apoſtolus, ne Chriſtiani videantur eſſe homines audaces, feroces, præfracti, præcipites*, poteſtatum contemptores, *ne furere videantur coeco impetu ruentes in mortes, in carceres, in exilia, & ut metus iſte indicio ſit, Chriſtianos, non niſi maximis rationibus & cauſis evictos, religionem ſuam amplexos eſſe & colere.*

§. 11.

Nulli ergo dubitamus, quin Apoſtolus fideles reſpiciat coram tribunali ducendos & vocandos ſub examen, eosque inſtruat, quomodo ſe cauſamque Chriſtianismi defendere oporteat. Nec obſtat, quod inſtituendum dicatur examen περι της εν υμιν

ἐλπιδος; nemini enim ex collatione variorum locorum ex Actis Apoſtolicis ignotum eſſe poterit per ſpem fidelium vel ſpem fidei juxta *Syrum* intelligendam eſſe fidem objectivam, ſive doctrinam de reſurrectione mortuorum, ex reſurrectione Chriſti certiſſima reddita; hancque doctrinam, quæ totius religionis Chriſtianæ erat fundamentum, crimen illud inter alia graviſſimum fuiſſe, ob quod coram Synedrio ducti & mortis poſtulati fuerunt. conf. Act. XXIII. 6. XXIV. 14. 15. XXVI. 6. 8. XXVIII. 20. Gentium quoque aliqui, uti Athenis, idem crimen, doctrinam ſc. de reſurrectione mortuorum Apoſtolis & Doctoribus Chriſtianis imputabant, nam viſus fuit Paulus ξενων δαιμονιων καταγγελευς ειναι, ὁτι τον, ἰησουν και την Ἀναστασιν αὐτοις εὐηγγελιζετο Act. XVII. 18. Ita ex collatione locorum videre eſt, quo fundamento Chriſtianis ex doctrina de Jeſu reſuſcitato & reſurrectione mortuorum à Judæis & gentibus crimen impingi ſolebat. Imo gentes cultum Divinum Chriſto à Chriſtianis delatum criminis loco habuiſſe vel patet ex PLINIO *l. X. Ep. XCVII. adfirmabant*, inquit, *carmen Chriſto quaſi Deo dicere ſecum invicem* (d).

§. 12.

(d) Conf. HEUMANNI Diſſ. *de Perſecutione Chriſtian. Pliniana* in *Diſſert.* ejus *Sylloge T. I. p. 131.*

§. 12.

Cum autem ſpes hæc fidei de reſurrectione mortuorum, á Chriſti reſurrectione deducta, *primum* per *Baptiſmum* ab iis, qui ad Chriſtianismum accedebant, publice declarabatur: *Baptiſmus* veroCatechumenorum Chriſtianus præcipuum ſeparationis eorum á Judaiſmo & Paganiſmo erat *ſignum*, quod ſignum paganis quoque minime ignotum eſſe poterat, procul omni dubio coram tribunali Chriſtianiſmum publice profitentes de *Baptiſmo*, per quem initiati fuerant, *interogabantur*. Et forte apud PLINIVM l. c. de *Baptiſmo* intelligendum eſt, quod dicat Chriſtianos *ſtato die ante lucem convenire — — ſeque Sacramento* (e) *non in ſcelus aliquod obſtrin-*

(e) Placent verba HEUMANNI quem video in eadem eſſe ſententia l. c. p. 132. „*Hic locus Plinii* „propemodum mihi perſuadet, jam illo temporis „tractu Chriſtianos Latine loquentes res ſacras, & „in his *Baptiſmum* Dominicamque coenam, ap„pellitaſſe *Sacramenta*, ac vocabuli hujus reſpectu „credidiſſe Plinium, Chriſtianos *ſacramento ſe ob„ſtringere* ſolere ad ſanctiſſime colendum omne „virtutum genus. Cumque ii, quos interrogarat „Plinius, vix credi queant ſilentio præteriiſſe *bap„tiſmum*, ſacramentum initiationis, jure videbitur „Plinius loqui de abrenuntiatione baptiſmali, quæ „quo minus tantæ ſit vetuſtatis nil obſtare video. „Ac profecto meretur ea pro jurejurando, hoc „eſt, affirmatione religioſa quaſi Deo teſte facta,

obſtringere, ſed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depoſitum appellati abnegarent; iisque peractis ſe diſceſſiſſe.

§. 13.

Præter fidei in Chriſtum crimen accuſabantur multiplicium ſcelerum Chriſtiani & diffamabantur ut homines profani, ſceleſti, ut perturbatores & hoſtes religionis, qui quod horrenda maleficia commiſerint, adulteria, inceſtus, homicidia &c. indigni eſſent, qui vitalem ducerent auram. Dubio caret hoſtes Evangelii talibus accuſationibus, veri ne quidem ſpeciem habentibus, id operam dediſſe, ut his coram Judice depoſitis terrorem accuſatis incuterent, & graviſſimis, quæ eos manebant, poenis perterrefacti ad Chriſtianiſmi ſui defenſionem vel hiſcere vererentur. Ita enim moris erat obtrectatoribus falſos teſtes quærere & conducere, & horum crimina-

„(quæ Ciceronis eſt definitio) haberi. Conveniunt hæc cum TERTULLIANI narratione de *Epiſtola Plinii ad Trajanum* ex emendatione HEUMANNI in *Poeciles T. I. p. 201.* Plinius „dicit, ſe præter obſtinationem non ſacrificandi ni„hil aliud de *ſacramentis* Chriſtianorum com„periſſe, quam coitu coetus antelucanos ad canen„dum Chriſto ut Deo, & ad *confoederandam diſ„ciplinam* homicidium, adulterium, fraudem, perfi„diam & cetera ſcelera prohiberi.

minationibus Confeſſores Chriſtianiſmi in præſentiſſimum vitæ periculum adducere, ut eos deferendo tanquam homines ſceleſtiſſimos, qui viverent indignos, cauſam quam agebant, Chriſtianiſmi defererent. Varia occurrunt in PLINII *Epiſtolis* & in *Apologetico* TERTULLIANI aliisque ſcriptis teſtimonia, quæ hujus rei fidem faciunt haud dubiam. Ne itaque Chriſtiani ſe hujusmodi obtrectationibus terrorem incuti paterentur, neque lingua illis præcluderetur, Apoſtolus eosdem ad propriæ conſcientiæ explorationem ducit. Seipſos examinent, videant, num inculpatam egiſſent vitam, nec ne, audiant conſcientiæ ſuæ tribunal: & ſi teſtimonio propriæ conſcientiæ abſolverentur à culpa horrendorum hujusmodi criminum, ſique præterea demonſtrare poſſent, ſe, integros vitæ ſcelerisque alicujus eſſe puros, virtutis vero ſectatores indefeſſos, qui ipſis hoſtibus, omnia amoris & amicitiæ officia præſtitiſſent, & quorum molimina commodum bonumque publicum promoviſſent, nihil eis timendum eſſe aſſerit: hinc monet, ut libere, ſed cum debita reverentia ſe defendant, modeſte bona ſua opera enarrent, hunc præcipue in finem, ut hoſtes & accuſatores pudefacerent, convincerenturque Prætores & Judices, Chriſtianos non eſſe humani generis peſtes, ſed

potius homines, timentes Deum, qui benefaciunt, & nihilominus omnis generis calamitatibus affliguntur obruunturque. Hoc meo quidem judicio inculcat Petrus, quum dicit Συνειδησιν ἐχοντες ἀγαθην, ἱνα ἐν ὦ καταλαλωσιν ὑμων ὡς κακοποιων, καταισχυνθωσιν οἱ ἐπηρεαζοντες ὑμων την ἀγαθην ἐν χριστω ἀναστροφην. Expositionem hanc comprobo ex loco Parallelo c. l. 12. quem, licet longior sit, hic placet apponere, eo lubentius, quia admonitio Apostoli exserte ad componendam secundum legem Evangelii vitam civilem (f) pariter ac Christianam, atque adeo ad conservandam conscientiam bonam spectabat ad diem της Επισκοπης, quem diem ad tempus censuræ publicæ à Prætoribus instituendæ non sine magna veri specie refert Eruditissimus NONNENIVS *diss. cit. §.* Ita habet Petrus: Την ἀναστροφην ὑμων εν τοις ἐθνησιν ἐχοντες καλην, ἱνα ἐν ὦ καταλαλωσιν ὑμων ὡς κακοποιων, sunt ipsissima verba c. III. 16, ἐν των καλων ἐργων ἐποπτευσαντες δοξασουσι τον Θεον ἐν ἡμερα ἐπισκοπης. *Proinde subjecti estote cuivis humanæ ordinationi propter Dominum, sive Regi, ut qui super-*

(f) Αναστροφη enim apud probatos Græciæ Scriptores denotat *rationem cum hominibus conversandi & vitæ instituendæ*, uti docet Cel. WESSELINGIUS in Diatribe *de Judæorum archontibus* p. 14. conf. Cl. KREBSIUS *in Obs. ad N. T. e Fl. Josepho ad 1 Pet. II. 13.*

ſupereminent, ſive præſidibus, ut qui per eum mittantur, tum ad ultionem maleficorum, tum ad laudem recte agentium. Quoniam ita eſt voluntas Dei, ut bene agendo, capiſtro frænetis amentium hominum ignorantiam, ut liberi ac non veluti malitiæ velamen habentes libertatem, ſed ut ſervi Dei. Omnes honorate, fraternitatem diligite, Deum timete, Regem honorate. Famuli ſubditi eſtote cum omni timore Dominis non ſolum bonis & æquis, ſed etiam pravis. Hoc enim gratum eſt, ſi quis propter conſcientiam Dei ſuffert moleſtias injuſte afflictus.

§. 14.

Jam propius accedimus ad το ἐπερωτημα της ἀγαθης συνειδησεως, uti Petrus Baptiſmum appellat, & de quo negat eſſe σαρκος ἀποθεσιν ρυπου. Adſentior pl. Rev. RICHTERO in omnibus, quæ de baptiſmo & conditione ejus neceſſaria attulit. Verum alia quæſtio eſt, an his verbis detur Baptiſmi deſcriptio, an vero indicetur Baptiſmi conditio. Prius contra pl. Rev. SCHEPPIVM negat RICHTERVS *diſſ.* §. *15. 16.* & ea quidem de cauſa, quod in baptiſmo adſit revera σαρκος ἀποθεσις (g) ρυπου, poſte-

(g) Hæc magis clara ſunt, ſi ſtatuamus cum LUTGERO VEROSIMILI in *Veroſimilibus Sacris & Profanis Lingenſibus Faſc. III. p. 10.* Petrum ουκ, αλλα dixiſſe pro ου μονον, αλλα και, uti ſæpiſſime fit in Sacris Tabulis.

posterius autem ita affirmat, ut etiam rationem addat, quare priori negatione utatur Apostolus. „ Dicit, tantum hic innuit „ Apostolus, apud quem Baptismus nihil „ præstitit nisi corporis a sordibus suis pur- „ gationem, is sibi illam ex omni malo li- „ berationem perductionemque in com- „ munionem Dei polliceri nequit, sed tum „ demum Baptismus hujus beneficii signum „ & sigillum est, si bonæ studeamus con- „ scientiæ, adeoque actu ea præstemus, „ quæ Deo interroganti in Baptismo pro- „ misimus. „ Nihil, si rem in se consideramus, rectius dici poterat. *Nexus* autem ratio aliud insinuare videtur. Cum enim actum sit de inquisitione Christianorum, & hi adhortentur, ut interrogati libere & cum reverentia ad accusationes respondeant, coramque tribunali Apologiam suam instituant, nexus innuere videtur το ἐπερωτημα της ἀγαθης συνειδησεως, baptismo applicatum, collimare cum *conscientia illa bona* quam ut tenerent firmiterque retinerent Christianismo per baptismum initiati & de baptismo aliisque ritibus religiosis examinandi gravissime v. 15. 16. monuerat Apostolus. *Baptismus* enim ut signum introitus eorum in Christianismum, a quo Christiani vocati sunt fideles, quo Ipsi Deo inculpatam vitam scelerisque puram promisimus, con-

scien-

ſcientiamque inoffenſam obſignavimus, ubi promiſſis ſtamus, efficit, ut promiſſorum memores ad dandam fidei & ſpei Apologiam ſemper parati eſſe poſſimus, ſimulque efficit, ut hoſtes & perſecutores, de Chriſtianorum innocentia bonisque eorum operibus convicti, pudefiant, & quandoque Deum ex eis, quæ vident, glorificent. Ex *Baptiſmo* itaque omnino deducenda eſt Chriſtianorum non ſolum confeſſio privata, verum etiam omnis eorum parrheſia Chriſtum coram tribunali confitendi & abnegandi Deos gentium, ſuamque non minus reddendi fidei Apologiam animo conſtanti, forti, propoſitique tenaci, qui non hoſtium ardore prava jubentium, nec vultu inſtantis Tyranni aut Carnificis ullo modo quaſſari poteſt. Quin maxime veriſimile eſſe puto ipſum Chriſtianorum examen, de quo PLINIVS ait, ſe neſcire, quid & quatenus aut puniri ſoleat aut quæri, verſatum fuiſſe circa baptiſmum, ita ut procul dubio in proceſſu criminali quæſitum primo fuerit, *an* baptizati ſint, dein *ubi*, *a quo*, *quando*, & *quid* ipſe Baptiſmus *myſterii* in ſe contineat, quisnam hujus Sacramenti *ſcopus* ſit; quid *interrogaverit* Baptiſta, quodnam eidem tulerint *reſponſum*, quid *juraverint*, & ad quænam officia ſe *juramento obſtrinxerint*. Licet autem jura-

juramentum aliaque ſolennia demum poſt Apoſtolorum tempora in Eccleſiam introducta fuerint, uti colligere eſt ex *Plinii* memorata Epiſtola & *Tertulliam* libris, certum tamen eſt ex Actis Apoſtolorum Apoſtolos de fide ſua interrogaſſe baptizandos, hosque reſponſione ſua fidem Chriſtianam profeſſos fuiſſe. Verbo rem dicam: mentione Baptiſmi, ut ſymboli & ſigilli paratæ & applicatæ per Chriſtum ſalutis, Apoſtolus fideles hortatur ad præſtandam, non obſtante hoſtium, tum odio tum furore, fidei conſtantiam, quam in Baptiſmo ſanctiſſime ſpoſponderant, & ad reddendam coram tribunali bonæ conſcientiæ reſponſionem, ſe eſſe Chriſtianos, quemadmodum ſe in baptiſmo obſtrinxerant, quem eapropter συνθηκην περι θεοσεβειας vel προς Θεον, *pactum & fœdus cum Deo ad religionem præſtandam* vocat ORIGENES in *Exhortat: ad martyrium p. 178. edit. Wetſtenianæ.* Quid multa? Nomen Chriſtianorum quod per Baptiſmum ſortiebantur, qui in Chriſtum credebant, cum tempore Tertulliani unicum & valde infeſtum fuerit crimen, ſi interrogarentur, an eſſent Chriſtiani, idem erat ac ſi fuiſſent interrogati, an baptizati eſſent in nomen Dei Chriſtianorum?

§. 15.

§. 15.

Hæc forte Lectoribus veroſimilitudine ſua ſe commendabunt. Quare autem Apoſtolus negat Baptiſmum eſſe σαρκος αποθεσιν ρυπου quæſtio eſt, quæ hoc magis meretur excuti, quia revera, adnotante RICHTERO *in baptiſmo adeſt corporis a ſordibus ſuis purgatio.* „Recte quidem Vir Doctus ait, „Apoſtolum innuere, apud quem Baptiſ„mus nihil præſtitit, niſi corporis a ſor„dibus ſuis purgationem, is ſibi liberatio„nem ex omni malo perductionemque in „communionem Dei polliceri nequit, ſed „tum demum baptiſmus hujus beneficii „ſignum eſt & ſigillum, ſi bonæ ſtudea„mus conſcientiæ, adeoque actu ea præ„ſtemus, quæ in baptiſmo promiſimus.„ Hæc autem cum fidelibus apprime cognita fuiſſe credibile quam maxime ſit, ſiquidem ad baptiſmum non admittebantur Catechumeni, priusquam de ratione & myſterio baptiſmi ſatis edocti eſſent, præter hanc, aliam quoque rationem Petro fuiſſe opinor, hæc verba addendi. In eam inducor ſententiam Apoſtolum hac negatione fideles muniviſſe contra obtrectationes hoſtium veritatis, qui baptiſmi actum ritusque ſacros vel coram tribunali deridebant, dicentes *v. gr.* quid *Baptiſmus veſter eſt, in quo gloriamini, & ex quo Nomen Chriſtianorum indepti*

indepti estis? Nihil in eo apparet religiosum, nihil quod ut Divinum considerari possit. Commune tantummodo aquæ beneficium in Baptismo vobis collatum est. Purgati estis a sordibus corporis, idem autem beneficium nobis quoque accidit, quum aquis immergimur. Purgamur nos quoque a sordibus corporis. Vobis nihil præter hanc purgationem baptismus prodest. Quæ de mystico & symbolico ejus significatu dicitis, somnia sunt in cerebro magistrorum vestrorum efficta, deliria superstitionis Novæ, quibus obstinato animo adhærere summæ est dementiæ. Speciem autem aliquam cum habebant dicteria hæc, & lascivientis hostis sibila, cavet Apostolus, ne fideles meliora edocti animum despondeant, indicatque quae ad haec respondeant. *Sc. Baptismi finem minime esse primarium, ut purgentur a sordibus corporis, sed, licet concedendum, quod hoc aquæ beneficium commune sit, ostendendum esse Prætori & hostibus Evangelii, quam prosit illis Baptismus! eo ipso enim confœderatam esse disciplinam, prohibita esse omnis generis nequitias & scelera, seque non solum hoc quasi juramento obstrinxisse ad vitam juxta normam legis & virtutum compositum, sed actu ipso se tales præstitisse, ita ut haberent conscientiam bonam coram omnibus. Maxime autem inde patescere insigniorem Baptismi fructum, quod ex eo illis sit* ἐπερωτημα αγαθης συνειδησεως, *quod sc. animo intrepido ad respondendum & ad defendendam religionem suam promti & parati sint, quod*

causam

cauſam Chriſtianiſmi publice perorent, quod poſthabitis minis, inſultibus, deriſionibus, tormentis & vel ipſa ſpreta morte in fide Chriſtiana perſeverent. Libera enim coram ipſo tribunali parrheſia, confeſſio fidei, reſponſio ad interrogationes & inquiſitiones, & Apologia cum demonſtratione innocentiae ſuae contra impacta crimina, vitae irreprehenſibilis egregia erant teſtimonia, & argumenta ad hominem, quibus convinci poterant hoſtes, Baptiſmum, qui forſan eapropter Syro & Arabi מעמודיתא audit, plus intendiſſe, quam corporis a ſordibus purgationem: eo ſc. illis conceſſa fuiſſe & obſignata dona Divina, ad vitae ſanctimoniam, ad confortandum animum, ad ſpernendam mortem, ad ſpem immortalitatis & vitae aeternae per reſurrectionem carnis roborandam. Argumento huic accedebat robur, dum cogniti erant Chriſtiani ut homines litterarum expertes, & plerumque ex ignobili genere ſati. Servat igitur Baptiſmus in Deum Triunum fideles, eosque liberando ex omni malo ad communionem Dei perducit propter reſurrectionem Chriſti, & inſecutam Ejus gloriam vel in calamitatibus diriſſimis, quibus premuntur & undiqueque affliguntur. Nuda enim non eſt cerimonia nec mera corporis purgatio, uti illudunt ei hoſtes,

hoſtes, ſed vim ſuam exſerit magnificam ad convincendos & pudefaciendos hoſtes veritatis: memores enim baptiſmi & promiſſæ fidelitatis erga Deum nihil metuunt; quin imo bona conſcientia linguam laxat, ut auxilio Divino ſuffulti ad quaſvis interrogationes reverenter & libere reſpondeant.

§. 16.

Explicita jam ſententia opus erit, ut circumſpiciamus quid *objici* poſſit. Dici primo poteſt, quod praeſumendum non ſit, D. Petrum, ſi talem, quam ipſi tribuimus, ſententiam intendiſſet, tam abrupte, tam conciſe & tanquam in parentheſi ſcripſiſſe. Opus enim fuiſſet, ut hoc pluribus & diſtinctius propoſuiſſet. Nimis ergo longe petitam videri expoſitionem noſtram, nosque Petro affinxiſſe ſententiam, quam nullo modo in mente habuit. Verum qui haec objiciunt, memores non ſunt, idem cuicunque expoſitioni hujus loci objici eodem jure poſſe, nec ſtyli Apoſtolorum conciſi recordantur. Fideles horum temporum ex circumſtantiis & eventibus & exemplis verum ſenſum verborum Apoſtoli melius & facilius intelligebant vel ex uno verbo aut unica phraſi, quam nos, quibus circumſtantiae illae

illæ aut objectiones hoſtium minus cognitæ ſunt, & tantummodo ſenſum Apoſtoli ex nexu argumentando elicere potis ſumus. Ita cum Paulus dicat 2 Cor. III. 3. fideles eſſe *Epiſtolam Chriſti ſcriptam non atramento, ſed ſpiritu Dei viventis, non in tabulis lapideis ſed in tabulis cordis carneis*, unusquisque facile perſpicere poteſt, alludi hic ad legis Moſaicæ Codices atramento ſcriptas & ad Tabulas hujus legis primas, ſed emphaſin omnem is ſolum intelligit, cui notum eſt, quam multa de præſtantia legis Moſaicæ ex præſtantiſſimis Codicibus & Tabulis lapideis, ne illius honos & gloria nimium minueretur, jactabant Judaizantes Chriſtiani. Hæc nos cognoſcimus ſupputando temporum illorum rationes, quæ Chriſtiani, ad quos directa erat Epiſtola, primo intuitu cognoverant. Mitto alia exempla, quæ facile multiplicari poterant.

§. 17.

Prævideo autem aliam quoque objectionem majoris momenti, quam ut ſolvam, opus erit. Dici poteſt, *nulla*, licet ex TERTVLLIANO aliisque notum ſit, religionem Chriſtianam ut ſuperſtitionem inficetam exagitatam fuiſſe, *deriſionis tamen Baptiſmi dari veſtigia.* Aſt reſponſio facilis eſt. Nam mihi & talia objicienti hæc quidem ignota

esse possunt, minime tamen exinde sequitur, nulla omnino dari. Alii forte in Veterum scriptorum & Patrum antiquissimorum scriptis exercitatissimi Viri, qui hæc legere dignantur, talis derisionis exemplorum aut vestigiorum memores sunt. Processus criminales etiam Christianorum Veterum, martyrium passorum, quod non reperiantur, quum ab ipsis Christianis martyrio affectis in tabulas referri haud potuerint, tribuendum procul dubio est Magistratibus, qui, ut lucem fugerent, Archiva sua in publicam cognitionem producere minime consueverant, & adhuc minus adnotasse videntur disceptationes de religione & irrisiones & tormenta & inflictas poenas, ex quibus, quam injuste cum Christianis actum fuerit, colligi poterat. Præterea cum non pauca obtrectationum & derisionum veritatum fidei exstent documenta, uti vel ex ORIGENIS *contra Celsum*, MINVCII FELICIS, PORPHYRII, ARNOBII, TERTVLLIANI aliorumque scriptis videre est, verisimile minime fit, hostes veritatis, cum aliis doctrinis & ritibus religiosis, baptismum Christianorum, cum janua & introitus in Christianismum sit, à derisione liberum reliquisse. Nec prorsus, quod rem pene conficere videtur, hujus baptismi derisionis testimonio destituti sumus, quod licet sit primo Chri-

stia-

ſtianiſmi ævo paulo inferius aut recentius, ex eodem tamen hoſtium Evangelii odio, ex eodem deridendi libidinoſo pruritu, & infeliciſſimo obtrectandi acumine maxime veriſimile fit, eos exoriente Chriſtianiſmi lumine eadem Confeſſoribus veritatis objeciſſe, aut poſtea potius illa iterum repetita fuiſſe; ita ut ex hoc teſtimonio conficere æquum ſit, quid primis temporibus Chriſtianis objectum fuerit. Teſtimonium innuo JVLIANI inclyti & ſereniſſimi illius παραβατου & haud indocti, qui non ſolum *Orat. V. in Deorum matrem p. 163.* ad Baptiſmum reſpicere videtur, verum etiam eundem, ejus expreſſa mentione facta, dum Pauli dicta de Chriſtianis ſceleſtiſſimorum quidem criminum reis, ſed jam converſis & ſanctificatis inſulſo ſale laceſſit, hoc modo exſibilat in CYRILLI *Alexandrini* libro *pro Chriſtiana religione adverſus* JVLIANVM p. 245. Græca compendii cauſa omitto. *Hæc ſunt,* (ex interpretatione *Lorboſii & Auberti*) *quæ de auditoribus ſuis Paulus ad illos ipſos ſcribit. Ne erretis, neque idololatræ, neque adulteri, neque molles regni Dei hæreditatem poſſidebunt. Atque hæc non ignoratis, fratres, quoniam & vos tales eratis, ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis in nomine Jeſu Chriſti. Cernis ut hos fuiſſe tales ait, ſed ſanctificatos & ablutos, quum iis aqua contigiſſet, cui vis abſtergendi eſt ac purgandi, quæ-*

que ad animam usque penetrat. Et leprosi quidem lepram BAPTISMA *non adimit, nec impetigines, aut vitiligenes, nec ferrucas infestas, nec podagram, nec dissenteriam, nec aquam intercutem, nec reduviam, non parvum non magnum corporis vitium; adulteria vero, rapinas & omnia omnino animi peccata eximet.* Et videamus, quomodo Apologiam instituat respondeatque *Juliano* CYRILLVS. Licet series Orationis satis sit longa, non piget eam hic infra paginam apponere, ut pateat quam graviter se *Juliano* oppoſuerit *Archiepiscopus*, & quibus armis veritatis se hostibus oppoſuerint, quidque de Baptismo senserint Doctores Christiani. (h) §. 18.

(h) *Blanditiis aut assentatiunculis Paulus uti non solet, o inclyte; veritatis enim erat minister.* „*Qui* „*vero fidei prædicationem acceperunt, ipsumque* „*Doctorem nacti sunt, idololatræ quidem erant,* & „*nefariorum Dæmonum cultores, impii vero* & „*impuri moribus & omnibus voluptatibus manci-*„*pati. Scortatores, pædicones, molles, ebriosi,* „*omnisque plane improbitatis servi.* „ *Nec enim sancti & puri videri poterant, qui, Deos suos secuti, nullum non vitii genus admiserant, ne meliores iis, quos adorabant, viderentur, si temperanter & juste vivere & innocentiam colere conarentur. Quamdiu igitur, o bone, tuis Diis mancipati fuerunt, in peccati cœno porcorum instar misere volutabantur. Posteaquam autem relicta Dæmonum fraude ac depulsis erroris tenebris veræ Dei cognitionis lumine ditati sunt, & universorum*

§. 18.

Haec jam ſcripſeram, cum inciderim in *Anonymi* cujusdam, qui ſub ficto LVTGERI VERO-

ſorum Regem ac Dominum, Chriſtum videlicet, agnoverunt, tunc omni ſorde abſterſa, & in vitiorum locum virtutibus ſuffectis ad Chriſtianam ſanctamque vitam, Evangelicam nimirum, vocati fuerunt. Atqui gentium Apoſtolus, Paulus omni ſapientia inſtructus, multis ad fidem adductis & a Diaboli laqueis ereptis, neceſſariam eis doctrinam tradidit, nempe fidei comitem adjungendam eſſe virtutem, & una cum errore quaecunque ad errorem pertinent extuenda, ſcortationem dico, adulterium & maſculorum concubitum aliaque vitia; hoc pacto ſibi patefactum iri adytum ad coeleſte regnum confirmavit. Quod ſi Julianus incuſandum idcirco putat Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, quoniam improbos & Idololatras admittit, ſciſcitanti reſpondeat, utrum illos praeſtaret in vitiis uſquequaque progredi, nec ullo pacto videri meliores tam improbis moribus repudiatis; an ad meliorem frugem reverti velle & omni conatu ad honeſtiſſimum vitae genus pervenire? At nemo non, ut reor, dicet, ipſis utique ſatius fuiſſe, rejectis turpibus contemtisque vitiis, ad meliora ſe convertere, vitamque in Chriſto laudabilem colere. Quaenam ergo incuſandi Chriſti cauſa eſt, ſi ſervavit eos, qui perierant, ſalutaremque manum eis porrigens humi jacentes erexit, & aegros ſanavit, & internorum vitiorum remiſſionem largitur? Dixit enim: Non veni vocare juſtos, ſed peccatores ad poenitentiam. Et rurſus: Non egent qui ſani ſunt medico, ſed qui male ſe habent. Quosnam

VEROSIMILIS nomine latere voluit, *Diatriben ad h. l. de Interrogatione bonæ Conſcientiæ*, quae in

enim decet a medicis curari, an qui morbis tenentur, aut qui nullo laborant? Oppidanos autem vel regionum incolas quosnam potiſſimum exercitus Imperatores tueri ſolent? An qui jam capti ſunt, & in hoſtium poteſtatem venerunt, aut qui mœnibus cincti necdum barbaricæ crudelitatis præda facti ſunt? At quosnam ablui convenit? An puros & labis expertes dicet, non autem ſordibus inquinatos? Atqui nonne jure merito rideatur is, qui valentibus magis ſuccurrendum diceret quam laborantibus? Quid ergo Julianus, uti dixi, Servatoris noſtri benignitati obſtrepit & humanitatem incuſat? Mortales ab ægritudinibus liberavit, morbis levavit, Diaboli dominatu eripuit, ſupra modum inquinatos purgavit & expiavit. Age gratias Illi pro tantis beneficiis & gratulatorio carmine dic cum Propheta Habacuc? Domine audivi auditum Tuum & timui, Domine conſideravi opera Tua & obſtupui. Sed hic ſapiens ridendi occaſionem capit ex iis, quibus lætari potius ſapientiſſime deberet. Qui cum ſancti Baptiſmatis vim prorſus ignoret, cavillatur res ſanctiſſimas, & abſterſos ait, qui crediderunt in Chriſtum, nactos nimirum aquam, cui ſit vis eluendi maculas. His frigidas & aniles neſcio quas fabulas adjungit, aitque aquam luſtralem inutilem eſſe prorſus iis, qui corporis morbis laborant: nos autem delirare, qui putamus ac dicimus eam animarum ſordes eluere. Sed reſpondeo tibi, Vir egregie, nobis ſalutare Baptiſma omnino non accipi ad curandos corporis morbos; neque ad ea, quæ ſenſu aut riſu percipiuntur, ut cenſes, pertinet Chriſti myſterium: ſubtilis

in *Faſciculo Tertio Veroſimilium Sacrorum & profanorum* quae *Lingæ* 1734. prodierunt prima eſt,

tilis & alta eſt ejus intelligentia, nec eorum, qui in errore verſantur, mentibus comprehendi poteſt. Unde Jeſaias propheta: Niſi credideritis, neque intelligetis inquit. Fides enim intelligendi principium. Atque hunc aditum habet Divinum hoc noſtrum ſanctumque myſterium. Ne ergo ad profanorum aures arcana deferens offendam Chriſtum dicentem: Ne detis ſancta canibus neque projiciatis margaritas veſtras ante porcos; relictis iis, quæ ſunt altioris intelligentiæ, ad illa nunc potius me convertam, per quæ temere fertur adverſarius, cavillandi potius ſtudioſus quam veri intelligens. Non promittit morbos ſolutum iri Baptiſma ſalutare. Quare ſi hoc minus præſtat, ne multum mireris. Nam ſi Chriſtus annuerit, ad hoc etiam aqua nobis ſufficiet, nec impedimento quicquam fore facile videbimus, ſi vim Ejus ineffabilem & ſupra omnem naturam poſitam reputaverimus. Quod enim miraculi genus ab eo factum non eſt? Quod vero ſuæ Divinitatis non præbuit argumentum? Nutu enim præpotenti leproſos purgavit, hydropicos morbo liberavit, claudo ſola voluntate gradiendi officium reſtituit, perfecitque ut incitato curſu cervi inſtar exiliret. Coeco præcepit aquis Siloe oculos abluere, quo facto inſolitum illi lumen affulſit, denſiſſimæque oculorum tenebræ diſſipatæ ſunt. Qui ergo res tam eximias nullo labore perfecit, & aquis ipſis ſuæ poteſtatis efficacitatem indidit, nunquid plane gratiam, quæ per ſanctum Baptiſma tribuitur omni morbo corporis potentiorem effecerit? Sed in alios uſus ipſam nobis datam eſſe contendimus. Depulſis enim ex animo noſtro

est. Commendat se haec Diatribe multiplici & grato haud proletariae eruditionis ap-

Græcanici delirii tenebris, & Dæmoniorum turbis abrenunciatis, omnique eorum pompa & cultu rejecto, tum veritatis lumine spiritualem cordis oculum aperientes & natura vereque parentem Regem ac Universi Deum agnoscentes, fidem confitemur in Patrem, & Filium ac Spiritum Sanctum: & tanquam ad alterius vitæ initia deducti, ac in veræ pietatis iter ingressi, Christo annuente, justificamur. Per Ipsum enim Pater nobis propitius est. Quum ergo nos Legislator justificat, & ab omni crimine nos liberat, pœnamque peccatis debitam remittit, prætereaque nos per Spiritum Sanctum spirituali modo sanctificat, nosque ea, quam novit Ipse, ratione ad novitatem vitæ moderatæ ac sedatæ reformat; quis demum condemnaturus sit, aut quæ sordes in nobis futuræ sint, dicere non possum. Plurima de his alia veraque dicerem, certissimisque argumentis probarem, mysterium esse per Mosen ac Prophetas typice declaratum, neque novum illud esse, aut recens editum, & a nobis inventum, nisi, ut antea dixi, profanorum aures metuerem. Fere enim ridere solent quæ vulgo percipi nequeunt, quoniam suæ mentis imbecillitatem non vident, & quæ omni admiratione prosequi par esset, ea nihili faciunt, sicuti nimirum iste quoque vir egregius. Sola enim aquarum inspectione mysterium illud admetitur, tametsi Johannes clare & perspicue diceret iis, qui ad Baptismum pœnitentiæ veniebant: Ego quidem baptizo vos aqua, venit autem post me, qui fortior me est, cujus non sum dignus calceamenta portare, Ille vos baptizabit in Spiritu sancto & igni. Com-

parat

apparatu, proditque Virum in Litteratura graeca eruditissimum. Legisse eandem nemi-

parat enim igni, ut reor, illam Spiritus Sancti virtutem & purgandi efficaciam, quæ in nobis ab Ipso perficitur. Ut enim argenteis vasis, si aliqua sordes adhæserit, adhibitus ignis eam consumit; ita vis, opinor, Spiritus Sancti, si nostras animas instar ignis, spirituali nimirum & Divina quadam ratione, occupaverit, omni macula nos liberat. Ceterum Julianus rerum nostrarum naturam velut in contrarium pervertens eos, qui per fidem in Christum ad agnitionem & cultum veri Dei deducti sunt, mancipiorum similes esse contendit: qui cum ex heri domo discedunt, servitutis jugum ægre admodum ferentes, fugam suam prospere sibi cessuram putant; sin autem spe sua exciderint, nihilo sibi deteriorem, quam qua usi sunt, futuram sortem existimant. Ad hoc autem ego respondeo; præstare, ut eos servis domesticis comparemus, qui benevolentia heri contenta, temerario ac præcipiti discessu, & illegitimæ libertatis siti intempestiva, quum fugissent, gravibus demum & inevitabilibus incommodis, ac perpetuo motu vexati, in acerbam & insanabilem paupertatem delapsi, rerumque necessariarum inopia pressi, & aliis quibusdam servire coacti, sero ac vix tandem meliora consilia capiunt, & pristinæ conditionis desiderio ad primum eumque bonum herum recurrunt. Annon vere dici potest, rerum omnium parentem ac Dominum esse, illum unum vere & natura Deum? Quocirca quicunque se Dæmoniis manciparunt, si resipuerint, jure censebuntur non a suis dominis recessisse; verum in potestatem Domini rerum omnium concessisse eoque adducti fuisse

neminem pœnitebit. Est Vir hic Doctissimus sententiae, de baptismate sanguinis hoc loco indigitato, quam pl. Rev. SCHEPPIVS proposuit, insignis Patronus. Non lubet omnia quae in ea occurrunt recensere. Praecipua sunt, quod Apostolus neget se de baptismo aquae agere, eumque non

spe sane luculenta. His enim proposita est gratia in promissionem adoptionis, adeoque se consecuturos sperant resurrectionem a mortuis in Christo. Quod sane præ ceteris omnibus maxime deridet ille veritatis hostis, quasi præpotens Deus non possit hominem, natura sua corruptionis legi subditum, morte superiorem facere, tametsi Plato aperte dixerit, mundi opificem Diis Deorum quibusdam dixisse: immortales quidem ipsos non esse, neque prorsus solutionis expertes, veruntamen si voluerit, solutum non iri; ac præterea scripserit: Heræ quendam Armenium, qui morte occubuerat, revixisse. Nam & ipse forsan ea, quæ de resurrectione mortuo . n traduntur, tanquam recta & vera, admittenda censebat. Qui enim principio hominem e nihilo in ortum edidit, is ad vitam facile revocaverit morte solutum. Est enim, opinor, ejusdem virtutis opus & argumentum evidens, hominem ex eo, quod non est, in ortum educere, & in corruptionem lapsum ad priorem statum reformare: aut certe priori minus erit alterum, si ratiocinando recte colligimus. Majus enim opinor esse, producere aliquid ex nihilo, quam jam productum & aliquid humanitus perpessum, reduci denuo in id, quod principio erat. Ceterum cum Deus supra mentem omnem positus, vita sit secundum naturam

ac

non poſſe eſſe αντιτυπον Diluvii: quod ρυπος σαρκος nihil aliud ſit quam peccata, Paulo quoque ἐπιθυμιαι, θεληματα, αμαρτιαι σαρκος dicta: quod το επερωτημα idem ſit ac ἐπερωτησις, ανακρισις, ἀνεταασις, ἐξετασις, *inquiſitio*, qualis in judiciis cauſisque gravioribus & potiſſimum capitalibus & inſtitui ſolet & exerceri vel quaeſtionibus multiplicibus, vel ſacramento, vel omnibus, quae in rerum natura ſunt triſtiſſima, fidiculis, tormentis, tabularibus, equuleo, igne: quod Apoſtolus ἐπερωτημα αγαθης συνειδησεως, ελλειπτικως dixerit pro ὑπερ, περι, ἑνεκεν συνειδησεως ἀγαθης. Non multum me inter & hunc Virum doctum intercedit, rem ipſam quod attinet, diſcriminis. *Quaeſtiones in judicio capitali* reis propoſitas, & in equuleo tormentisque exaſperatas, per επερωτημα intelligit: exinde eſt, quod ad bap-

ac vivificus, utique vitam, quibus velit, infundit, nullo impediente, quum vi polleat, cui obſiſti non poteſt. Quod ſi minus perſuadentur aliqui, propterea quod praeter rationem id miraculi videtur, & incomprehenſibili modo peragitur, id ipſum in plerisque aliis ſibi eventurum ne ignorent. Explicari enim non poteſt, quo pacto ſingulae res creatae productae ſint, cum ſenſibiles tum ſpirituales, cum viſibiles tum inviſibiles: ſed vere ſapientibus fide aeſtimari debent, quaecunque ingenii noſtri modum excedunt.

baptiſmum ſanguinis confugere coactus fuerit; me autem quod attinet, *ipſam ad quæſtiones reſponſionem*, qua bonam ſuam conſcientiam teſtabantur, & fidem in baptiſmo datam ſolvebant Chriſtiani, intelligendam eſſe cenſeo, & nulla me cogit neceſſitas alium mihi fingere baptiſmum, quam, de quo Petrus aſſerit, quod nos ſervet ab omni malo & in communionem Dei perducat, qui conſentiente univerſo Interpretum agmine in priori hujus commatis tmemate *Baptiſmus aquæ* eſt. Imo pæne crederem, re expenſa, ſi modo ad reſponſionem Vir eruditiſſimus τὸ ἐπερώτημα retuliſſet, ſponte in meam ipſam iviſſet ſententiam, eamque me melius exornaviſſet. Imprimis autem, quod hoc conficit, mihique perplacuit, mecum convenit Vir Doctiſſimus in ratione, quod ad judicia & tribunalia reſpiciatur, allata & deducta ex nexu ſermonis Apoſtolici. Dicit enim p. 24. Petrum ipſum, optimum verborum ſuorum interpretem, nos ducere ad ſacram vel ſanctam inquiſitionem, quæ propter fidem vel religionem inſtituitur, dum dicit: Eſtote ἑτοιμοι ἀει πρὸς ἀπολογιαν παντι τῳ αἰτουντι ὑμας, συνειδησιν ἐχοντες ἀγαθην περι της ἐν ὑμιν ἐλπιδος. Quæ verba magis conveniunt reddenti Apologiam, quam eandem poſcenti, quemadmodum Vir eruditus ea huc refert. §. 19.

§. 19.

Coronidis loco duas adpono obſervationes. Prima in ſubſidium venit expoſitioni *Richterianæ*, dum verba ἡμας ἀντιτυπον conjungit ut ad ſe invicem relativa. Ex verſione *Syriaca* robur eidem concilio. Commate 20. *Syrus* habet הלין דמן קדים לא אתטפיס חוי ביומתה דנוח *hæ*, ſc. animae, *quae antea non obedientes fuerant in diebus Noachi*, & in poſteriori tmemate ותמנא בפשן בלחוד עלין לה והיי במיא *& octo tantum animae ingreſſæ ſunt in eam* (arcam) *& ſalvæ factæ ſunt ſuper aquas.* Incipit poſt v. 21. hunc in modum דאף אנתון בה בהו טופסא חאין אבתון במעמודיתא *Secundum quem typum vos quoque ſalvi facti eſtis per baptiſmum.* Varia hic veniunt notanda. *Primum* eſt, quod Απειθησαντες *increduli* opponantur τοις ὀκτω ὀλιγοις, qui vi oppoſitionis proinde ut *credentes* conſiderantur. Priores deſcribuntur ut animae, quae לא אתטפיס הוי id eſt, *quae aſſenſum non praebuerunt typo per Noachum dato*, hinc octo animae credentes conſiderantur ut tales, qui Noacho fidem habuerunt, & ad typum, vitae morumque regulam ſe conformarunt. *Secundum* eſt, quod fideles N. F. ſalvi facti dicantur ſecundum TYPVM *octo illarum animarum* in diebus Noachi per baptiſmum. Haec verborum verſio, nae diſerte ſatis innuit Syrum conjunxiſſe verba ΗΜΑΣ ΑΝΤΙΤΥΠΟΝ? *Ter-*

tium

tium est, quod de utrisque fidelibus, tum qui tempore Noachi, tum, qui sub primis Christianismi incunabulis vixerunt, verbum אנה usurpetur pro σωθηναι vel διασωθηναι, quod *vivificationem* vel *resurrectionem ex mortuis* indicat. Sicut illae, quae cum universo orbe terrarum aquis diluvii absorptae primum & *mortuae* videbantur, (Universa enim caro, quae corruperat viam suam, ad mortem tendens, vitae suae terminum, perierat cum terra Gen. VI. 12. 13. VII. 21.) *ingressae in arcam, veluti è mortuis resuscitati fuerant super aquas;* ita fideles, qui cum orbe incredulo ut aquis judiciorum divinorum peremti & *mortui* haberi poterant, fide ad communionem Christi velut ad arcam confugientes & cum Eo uniti, *veluti è mortuis resuscitati fuerunt*, quam primum per baptismum fidem suam & communionem cum Christo pro ipsis mortuo & resuscitato professi essent.

§. 20.

Altera observatio aliquam forte lucem ipsi Baptismo adspergit. Designatur sc. & obsignatur baptismo vel extractione baptizati ex aqua *mortuorum resurrectio.* Non insoliti aliquid hoc ipso docuisse Apostolos ex eo colligo, quod videatur opinio fuisse Turcarum & forsan Arabum, multitudinem

nem hominum nudorum in balneis vel potius thermis, quae cum baptiſmo conveniunt, ſymbolice delineare reſurrectionem mortuorum univerſalem. Hanc enim Thermarum *Pruſenſium* in Bithynia ſub Olympo inſcriptionem refert eruditus Moldavienſium Princeps DEMETRIVS CANTIMIR in *hiſtoria regni Osmannici editionis German. p. 24. in not.* *Nemini mirum ſit*, ait *multitudinem nudorum in his thermis hominum tam concinne referre univerſalem mortuorum reſurrectionem, fontes enim aquarum, quibus lavantur, ortum ſuum ducunt ex ipſis Paradiſi fontibus.* Originem forte ſuam hæc ſymbolica Thermarum expoſitio debet egregio Thermarum uſui & noratu dignis aegrotorum undiquaque ad eas confluentium ſanationibus, ſicuti huc quoque pertinent exempla ſanatorum in fluviis aegrotorum, uti Naamanis Syri 2 Reg. VI. 1. quibus inductae gentes aquis quoque vel vim vitam mortuis reſtituendi tribuiſſe videntur; vel ex plerarumque gentium ſententia, quae aquam vitale principium eſſe ſtatuit. Invaluit hinc per perverſum gentes imitandi ſtudium pededentim eadem ſuperſtitio apud Chriſtianos. Baptiſmo mox tribuebant vim medendi corpora, imo *Agareni*, a *fœtore*, quum *male olebant*, per baptiſmum ſe liberari credebant ſecundum *Balſamonem*, uti refert I. B. CASALIVS *de*

ther-

thermis & balneis Veterum, *in Gronovii Theſauro Antiquit*, *Græc. T. IX. p. 633.* quod quoque idem CASALIVS de *Judæis male olentibus* ex *Fortunati Carmine* de Judæis anno 579. a S. Avito baptizatis probat

Abluitur Judæus odor baptiſmate divo,
Et nova progenies reddita ſurgit aquis.
Vincens ambroſios ſuavi ſpiramine rores,
Vertice perfuſo chrismatis efflat odor.

Quod unguentis odoriferis, de quibus nihil præcipit Evangelium, modo naturali adſcribendum erat, tribuebatur ſuperſtitioſe baptiſmati. Nos mortuorum futuram reſurrectionem a ſolo Soſpitatore exſpectamus, & reſurrectionem fidelium ad vitam æternam in baptiſmo ad typum reſurrectionis Chriſti deſignatam iis eſſe, & fide in reſuſcitatum a mortuis Σωτηρα obſignari credimus

TANTVM.

VI.

VI.

EPISTOLA
ANDREAE ACOLUTHI
LL. OO. PROF. VRATISLAVIENSIS (*)
AD
G. W. MOLANUM
ABBATEM LOCCUMENSEM

Argumentum

Varia de laboribus ſuis ad *Alcorani* Expoſitionem, *Feratum* transtulit, Auctorem Muhammedanum. Votum pro *converſione Turcarum.* Domeſtica & vocationes. *Kutboddinum* transfert. *Linguam Aegyptiacam Veterem eandem eſſe cum Armenica* variis argumentis probare conatur. *Kircheri* conatus ridet, in Litteratura *Hieroglyphica* Character *Chinenſis* ad *characterem* ſcriptionis *univerſalem* accommodatus eſt.

Reverendiſſime Domine Abbas
Domine ac Patrone colendiſſime!

Mille preſſum animi ægrimoniis & laboribus Litteræ Tuæ die 31. Mart. St. N. ab Illuſtriſſ. Dn. *Haunoldo* transmiſſæ inſigniter reficiebant, quibus hoc quicquid eſt,

(*) Edidit jam A. *Acoluthi* duas, ſimilis fere argumenti, Epiſtolas, quarum altera ad G. *Molanum* Abbatem, altera autem ad *Polycarpum Lyſerum* ſcripta

est, debui responsi. Ab *Alcorani* versione jam per integrum fere annum labor officii nimius me abstraxit, adeo, ut de ejus editione, saltem festina, fere dubitare incipiam, nisi Deus quietam magis concesserit vitam, quam quidem millenis exopto votis. Fuit quondam Theologus in urbe nostra, qui de meo & Collegæ officio asseruit: Hier ist Eselsarbeit und Zeisigsfutter. Et vere quidem, præsertim cum nunc temporis labor per informationes Catecheticas & conciones in Ergastulo habendas multum accreverit, præmia vero & beneficia indies decrescant, licet non propter præmia laboremus. Quo tempore *Alcorani* editionem in Catalogo librorum promittebam, alii non tam laborioso officio præeram, quod illius interpretationem citius ad finem deduci concessisset. Quamvis & hæc morosa procrastinatio non sine usu & fructu sit futura. Multa enim interea temporis perscrutatus sum, & adhuc perquiro, quæ ad Alcorani intellectum quam maxime

est, Cl. HEUMANNUS in *Poeciles T. II. p. 544. & 553.* Eam, quæ hic legitur, binas eas memoratas per integrum fere septennium antecedens, humanitati debemus S. V. F. J. A. SCHUMACHERI, Collegæ & Avunculi Charissimi. Varia continet, quæ in prioribus vel frustra quæres, vel non ita fuse exposita sunt. N. B.

maxime ſunt neceſſaria, & ſine quibus olim fruſtra exiſtimavi, hunc exquiſitæ elegantiae, ſed perditae malitiae profundaeque ſtultitiae librum intelligi & in aliam converti linguam poſſe. Qua ipſa perſuaſione deceptum ſe quoque ſentiet olim Dn. *Hinkelmannus*, cujus *Alcorani* ſpecimen, ſed ſine omni verſione, jam dudum vidi, ſummopere optans, etiam particulae verſionis ejus compos fieri, ſed negata mihi eadem eſt huc uſque; alias enim per epiſtolam publice lectores monuiſſem, ne crederent, illum in omnibus Alcorani ſenſum aſſe aſſecutum. Ajo ego, qui in Arabiſmo diſcipulum adhuc me profiteor, Alcoranum eſſe librum difficillimum, cujus abſtruſos ſenſus nemo perceperit, niſi qui in Muhammedanorum ſcriptis Theologicis probe ſit verſatus. Tranſtuli *Autorem Muhammedanum* à Dno. Præſide donatum, nomine *Fer ati*, qui lingua Turcica quadraginta quæſtiones legis Muhammedicæ enodavit: Vix oculis meis fidem adhibui, tam delira dogmata, & vere inſanientem ſapientiam, à Chriſtianis nondum cognitam, deprehendens. Ingemiſco, quoties cogito, tantum populum per ſeſquipedalia ſtolidiſſimi Alcorani verba dementatum inferno mancipandum eſſe. Utinam magiſtratus Chriſtiani viros alerent, qui miſeri po-

puli salutem per scripta saltem irent promotum! Sane vel nunc Deus viam ad illius conversionem aperuit vel nunquam. Utinam *Ravius* aliquis, vel *Wasmuthus* litteras Circulares pro instituendo Collegio Orientali iterum emitteret! Sed homines hujus seculi vix suam, imo ne suam quidem salutem operantur, quomodo curarent alienam? Bibunt ex phialis vinum, & oleis præstantibus se inungunt, nec afficiuntur dolore super contritione Josephi Amos 6, 6. Rogatus jam sum aliquoties à Viris doctis in *Ungaria*, ut *ex Alcorano brevicidum aliquod Anti-Muhammedicum* Latino vel Germanico idiomate conscriberem, transfundendum postea in Turcicum, & vicinis suis communicandum. Sed laboriosissimum officium Ecclesiasticum tempus omne mihi surripit. Neque ego ferreus sum, sed debilioris texturæ homo, qui annos juventutis, ipsam quoque vitam Academicam, in perpetuis fere morbis, iisque dolorosissimis & pertinacissimis exegi; cogor itaque sæpius horam quieti dare, quam Orientali studio impendere mallem. Per labores officii sæpe in extremam debilitatem præceps agor, ut per aliquot dies vires recolligere non valeam. Accedunt animi curae mordaces, maxime propter malum necessarium. Conjuge enim priore dulcissima meique amantissima,

ſima per mortem nimis maturam amiſſa, ad vota ſecunda, ſed profecto raro ſecunda tranſii, & Theologi quondam noſtratis ut piiſſimi ſic eruditiſſimi filiam in thorum ſuſcepi meum, de qua autem illud Hebræorum verum eſt: *Acetum filius vini.* Sic ferme nihil in hoc mundo habeo, quod me delectet, multum vero quod cruciet. Inter hæc vero mala illud omnium impatientiſſime fero, quod ſtudio Orientali ſoli, uni & ſemper non poſſim incumbere, ad quod tamen natura feror, non gloriolæ cujusdam aucupandæ gratia, ſed quod videam multa inibi ineſſe, Eccleſiæ Dei profutura. Ad homileticum ſtudium nunquam prolubium ullum ſenſi, ſed neceſſitas durum fuit telum, quæ huc me pertraxit. In ſinu mihi gauderem, ſi vel in totum vel maximam ſaltem partem hoc onere levari poſſem, id quod autem Vratislaviae ſperari nequit, nec forſan alibi. Ante ſexennium circiter via mihi ad Canonicatum *Mindenſem* in Electoratu Brandenburgico ſternebatur, ſed quia tunc temporis B. Parens meus adhuc in vivis erat, aliaque plura obſtabant, non aſſecutus ſum, quod quidem maxime optabam, & nunc adhuc haberem in votis, ſicuti daretur mihi occaſio adipiſcendi. Sed careo Patronis. Septem circiter efluxerunt anni, cum ad Profeſſionem Lin-

guar. Orientalium in Academia *Gryphiswaldensi* invitabar, biennium vero est, cum ad eandem Professionem in Academia *Lipsiensi* obeundam vocabar, sed utramque vocationem recusare me coëgit exiguitas salarii & accidentium, quae vocant, ex quibus cum familia vivere non potuissem. Deo sint res meae commendatae! Laudem merentur Angli, qui Virorum in studio certo excellentium conatus cura insigni eunt promotum. Sed Germani hoc flocci pendunt; Aut, si virtus laudetur, tamen alget. Male me habet, quoties *Bochartii*, *Pocockii*, *Seldenive* scripta evolvo, quod ex nostris nemo sit, qui praestet paria; cum & majora praestari possent ab eo, qui non tantum Arabismi, sed & Turcismi & Persismi gnarus est. Sunt mihi *Autores Turcici* & *Arabici* aliquot, in iisque *Kutboddini*, Vir magni nominis apud Muhammedanos, quos Latina veste induere satago. Modo mihi Deus otia facerer! Alo in aedibus meis foeminam Turcicam, Sacerdotis Belgradensis Primario proximi uxorem, & eruditam, per quam mihi aditus ad linguam ejus vernaculam difficulter quidem & sumtuose, sed tamen feliciter aperitur. Nec enim a foemina quoque discere me pudet, quo regnum Dei propagari possit. Atque ut *Alcorani* adhuc semel faciam mentionem,

vix

vix patiar me ab ejus verſione totum abſtrahi, niſi *Hinkelmannianam* expertus fuero limatiſſimam, de quo valde dubito (**). Grata mente agnoſco Tuorum, *Vir Reverendiſſime*, exemplarium *Alcorani* factam mihi copiam; Tranſmittendi eandem vix melior dabitur occaſio, quam per Mercatores, qui etiam Tuas & Hannoldianas reculas permutant. Teſtamentum Novum Turcicum jam diu eſt, quod deſideraverim, ſed nondum eo ſum potitus. Litteraturae Ruſſicae ſum ignarus, nec enim quicquam ad ſcrutinium Veteris vel Novi Teſtamenti facit; Inſcriptionem itaque *annuli Moſcovitici* ignoro. Interim pro communicatione ejusdem grates decentes exſolvo. *Alterius vero annuli Turcici*, quando repertus fuerit, typum avide expeto. Sed jam ad *Aegyptiaca*; de quibus quae ſcribo, nemini adhuc eruditorum tam aperte communicavi, idque

(**) Fatalis hora *Acoluthum* corripuit, priusquam verſionem Alcorani Latinam perficere poterat. Edidit ſolummodo *Specimen Alcoranicum quadrilingue*. Doctorum Virorum judicio *Acoluthum* huic operi parem fuiſſe patet ex Anagrammate, quod nonnemo ex binis nominibus *Andreas Acoluth*, hoc modo exſculpſit: *Tu edas Alcoran*, referente JOH. BVXTORFIO de *Alcorani editione Arabica*, BIBLIOTH. BREM. *Cl. VI. p.* 277. N. B.

que propterea, ne, ſi vel tarde vel nunquam prodirent, moram videlicet injicientibus laboribus Eccleſiaſticis, odium hominum incurrerem. Tibi vero, *Patrone Optime Maxime*, ea denegare nolo, quia non tantum de amore Tuo ſecurus, ſed firma etiam ſpe erigor, per Eum, quem Deus in Eminentia maxima, de qua animitus gratulor, conſtituit, conſilio ſaltem, niſi & reapſe in hiſce ſtudiis me poſſe adjuvari. *Kircherus*, ſublatus in altum ut lapſu graviore ruat, *linguam Copticam* ſtatuit *veterem eſſe Aegyptiacam*, atque huic fundamento omnia ſua ſuperſtruit. Sed quam infeliciter, ex meis patebit lucubrationibus, tam firmis ut non videam, quid ipſis ruinam minari poſſit. Statuo autem, *linguam Armenicam*, quae hodie vocatur, *eandem eſſe Veterem Aegyptiacam* tempore Pharaonum & Moſis, nec non antecedentibus & ſequentibus ſeculis uſurpatam. Idque probo

1. ex *ſcriptura Veteris Teſt. Hebraica.* In hac voces Aegyptiacas reperiri, uno ore aſſerunt Philologi. Et recte quidem. Sed originem illarum genuinam ne unus quidem potuit indicare. *Kircherus*, ejusque vel in totum, vel ex parte ἀκόλουθοι, quos inter etiam meus in lingua Armenica Præceptor D. *Pfeifferus* numerandus venit, è lingua *Coptica* illas deducens

cens horrendum in modum excarnificat. Ego vero ſine ullo crurifragio easdem è lingua *Armenica*, ut *vera Aegyptiaca*, reſtituo. Ex gr. אברך Gen. 41.43. quod communiter reddunt, *Flectite genua*, *Lutherus* autem, der iſt des Landes Vater (vid. *Pfeifferi Dub. Vexat. in loc.*) eſt ipſum *Armenicum* ſeu *Aegyptiacum Abrech*, *Vivite*, *ſalvi & incolumes manete*, à verbo *Abrek*, *vivere* & *eſſe incolumem*. Si jam inſpiciatur textus, omnia ſuaviſſime fluent: Pharao inſidere juſſit Joſephum currui ſuo ſecundo, & exclamaverunt coram ipſo (vel ipſis) *Abrech* i. e. *Vivite* ſc. *Tu Pharao & Joſephe!* Quid poſſet dici commodius? Sic פוטיפר Gen. 37. 36. c. 39. 1. (de qua voce *Pfeiffer Dub. Vex. p. 200. 209.*) compoſita vox eſt ex *Phut*, *Cito*, & *Phar*, *gloria* quaſi, *cito gloriam conſecuturus*, ut adeoque ſit nomen boni ominis; vel cui beneficio ſplendidorum natalium, ab ipſa nativitate vel infantia, adeoque *ſatis cito gloria adeſt*. Ex eodem fonte manat *Pharao*, *Mizraim* &c.

2. *Ex verſione LXX.* Hanc in Aegypto eſſe natam, omnes norunt eruditi. Voces autem Aegyptiacas in ea nemo unquam quæſivit, nemo reperit. Sed ecce! Eſa. 19. 18. dicitur, unam urbium ad Meſſiam convertendarum vocatum iri עיר החרס LXX. πόλις ἀσεδεκ, *Vulgat. Civitas Solis.*

lis. Ad hunc locum *Hieronymus*: *Pro civitate Solis, neſcio quid volentes LXX. interpretati ſunt ἀσεδὲκ, quam quidam noſtrorum Urbem juſtitiæ* (הצדק) *interpretatur.* Male, Ἀσεδὲκ eſt vox *Aegyptiaca* ſeu *Armenica Aſdg, ſidus, ſtella*, in genitivo *Aſdeg*, vel *Aſedeg*, (nam littera *ε*, quamvis non ſcriptura, tamen ſono in concurſu duarum, trium, quatuor imo quinque conſonantium, exprimitur) unde πολις ἀσεδὲκ *civitas ſideris, i. e. ſolis. Sidus* enim pro *Sole* etiam apud Latinos ſcriptores uſurpatur.

3. *ex nominibus propriis Regum Aegypti*, de quorum ſignificatu nihil omnino hactenus fuit cognitum. Ex gr. *Amenemes, Marsham in Can. Chron. p. 463.* hoc derivat ex *Ammone* & *Mene.* Sed perperam. Eſt vox *Armenica* ſeu *Aegyptiaca*, ex *Amen*, *Omnis*, & *Mez*, *Magnus*, nude in compoſitione *Amenemez*, *Omnium Maximus*, quod eſt nomen regiæ dignitatis. Et ſic in aliis pluribus, quæ partim inveni, partim indago.

4. *Quarto ex nominibus Deorum gentilium.* Mirum quantum me delectavit, quod jam inventis meis novum robur addidit, inſignis locus *Herodoti* in *Euterpe*: *Omnia fere Deorum nomina ex Aegypto in Græciam commigrarunt.* Hinc arguo: Si in *Græciam*, quidni & in *Latium?*

tium? Romani enim multa ſua à græcis, ſed forſan plura ab Aegyptiis habent. Etſi *Græci Philoſophi* Aegyptum, tanquam totius mundi Templum & Academiam, ſalutarunt, quis neget hoc de *Philoſophis Latinis*. Probo. *Saturni* nomen varie à variis derivatur. Sed nulla certior veriorque derivatio quam ab Armenico ſeu Aegyptiaco *Sator*, & cum *n*, ſuffixo, quod articuli locum ſubit, *Satorn, Magnus culter*; inde etiam eſt Perſicum & Turcicum *Satur*, *culter lanionum magnus*, ſecuri-formis, quo carnes diſſecant. Jam vero *Saturno falx meſſoria* appingi ſolet, quia pro inventore hujus inſtrumenti habetur, adeoque nomen ex re inventa ſortitus eſt. Porro de *Saturno* dixerunt gentiles, quod coelo genitalia ſua exciderit. Quid ſunt genitalia coeli, niſi gramina, herbæ, flores, ſegetes coeli beneficio pergenita, quæ falce meſſoria, ſatis magno cultro demetuntur? Quid *Mars*? Unde littera T in caſu ſecundo, *Martis*? Ex *Mart. bellum, pugna*; quia *Mars Deus belli* habetur. Quid *Bacchus*? Multiplex datur hujus vocis derivatio. Vera autem & genuina hæc eſt, *Bach, ligo, bipalium*, adeoque etiam hujus inſtrumenti inventio autori nomen dedit. Miratur *Kircherus in Prodrom. Copt. p. 151:* nullum apud Coptitas ex Deorum gentilium (Aegyptiorum videlicet, quod exempla ab eo adducta

ducta volunt; nam de Romanorum Deastrorum nominibus ex Aegypto deducendis, ille ne cogitavit quidem,) nominibus reperiri, qualia sunt *Osiris*, *Isis*, *Horus*, *Ichton*, *Emeph*: Sed reperisset, si lingua ejus Coptica foret vetus Aegyptiaca. Quo de prolixius agam in ipso *meo opere*, seu *lingua Aegyptiaca restituta*, cujus usus in omnem rem litterariam, sacram & profanam, Græcam & Romanam se effundit.

5) *Ex nominibus aliis.* *Manerota* nuncupabant Aegyptii *Calvariam*, in conviviis circumferri solitam, teste *Plutarcho*, Dicitur nomen illud significare *caput commonefaciens*, Sed falso. Potius est ab *Armenico* seu *Aegyptiaco Manrel*, *confringere*, *comminuere* & *Ot*, *Pes*, unde in compositione, demta terminatione Infinitivi *el*, *Manrot* vel *Manerot*, *res quæ pedibus comminuitur & conteritur*, id quod evenire solet ossibus humanis sepultis iterumque effossis. Mortis itaque memoriam Aegyptii refricare voluerunt convivantibus inter media gaudia, istius Calvariæ adspectu, quasi dicerent: *Memento te olim aliquando pedibus conculcatum & contritum iri* &c. Possem horum omnium plura adhuc afferre testimonia, nisi epistolæ limites transgrederer, & tempus me destitueret.(†)

In

(†) Innotuit *Acoluthi* hæc sententia Illustri LEIBNITIO.

In *litteraturam Hieroglyphicam* nondum quidem operæ multum impendi, clavem tamen ad ejus intellectum me inveniſſe puto. So-

TIO. Judicium ſuum hunc in modum aperuit *Jobo Ludolfo* in *Epiſtola*, ſcripta anno 1695, quæ legitur in *Commercio Epiſtolico Ludolfi & Leibnitii*, quod recenſuit Cel. AUG. BENED. MICHAELIS *Gottingæ* 1755. *Quid judicas de egregia, ſi comprobatur, theſi* Aeoluthi, *linguam Aegyptiam veterem eandem eſſe cum Armena? Hæc audienti mihi venit in mentem, quod Veteres quidam narrant,* & VALERIVS FLACCVS *etiam in Argonauticorum poema retulit, Colchos fuiſſe coloniam Aegyptiorum a Seſoſtri ductam. An forte Armeniorum potius colonia fuere, atque ideo Aegyptiorum linguam referentes, fabulæ originem dedere? Diſpicere jam operæ pretium erit, quam habeat cognationem Armena cum Arabica aliisque huic affinibus. Nam ſi Armena lingua Aegypto convenit, rationis eſt, credere, interpoſitos populos ſimili ſermone uſos, donec ingredientibus aliis nationibus connexio interrumperetur.* Addit, & hæc conſulto addo, *Implevi, ut vides, Epiſtolam argumento, quod tibi inter paucos placere poteſt, plerisque aliis inane videbitur, ut ſunt hominum judicia, ſed quæ nos magnopere mirari non debemus.* Sex autem poſt elapſis annis, ſc. anno 1701. non ita honorifice de *Acoluthi* ſententia judicavit *Illuſtris* Vir. Scribit enim in *Obſervatione*, adſcripta literis *Cel. D. E. Jablonskii* ad ſe datis, quas in *Collectione literarum familiarium inter hos eruditiſſimos viros edi curavit Cl.* KAPPIVS *p.* 259. Wegen Herrn *Acoluthi inventi Aegyptiaci* habe ich

Solent *Armeni*, exemplum ſuorum Patrum Aegyptiorum imitati, *litteras majuſculas figuris hominum, animaliumve quorumvis, vel aliis exprimere.*

ich mit Herrn von *Spanheim communiciret*, als Herr *Acoluthus* zu Berlin geweſen, und haben wir viel Zweifel gefunden. Ich habe Herrn *Acolutho* einsmahls vorgeſchlagen, er mögte uns *Vocabula Aegyptiaca*, ſo bei den *Veteribus* hin und wieder zu finden, ſonderlich bei dem *Plutarcho de Iſide & Oſiride*, in der Armeniſchen Sprache zeigen, aber es ſcheinet daran zu fehlen. Cel. M. V. la CROZIVM, at quantum in his literis virum! ſi audiamus, ejusque nos Auctoritati, animo minus nobili, ſubmittere non gravemur: *Sententia* Acoluthi *de conſenſu linguæ Armenicæ cum Aegytiaca abſurdiſſima eſt, nec tolerabili ullo fundamento nititur*, uti legitur in ejus Epiſtola ad *Joh. Chriſt. Clodium*, *Theſauri Epiſtolici T. III. p. 98.* Ex eodem *Theſauro Epiſtol. T. I. p. 83* conſtat, refutatam fuiſſe hanc ſententiam ab HAGERO in *Apparatus Wittebergenſis collectione altera.* Forte Cel. J. J. SCHROEDERVS in *Theſauro ſuo Armenico* eandem ſub examen revocavit. Forte pluribus hanc ſententiam adſtruxit in *Obadia* ſuo, quem edidit, *Armeno.* Num autem argumenta omnia & ſingula, quae *Acoluthus* in hac Epiſtola protulit, excuſſa ſint, quia libri hi non ad manus ſunt, me fugit. Id tute ſatis dici poſſe cenſeo, antiquiſſimis temporibus Armenicam Dialectum ſororia affinitate Aegyptiacæ propinquam fuiſſe, uti aliae omnes dialecti Orientales, atque adeo unam ex altera poſſe illuſtrari; ſi vero *Acoluthi* ſententia non a vero aberret, ſta-

tuen-

mere. Atque talismodi litteris Obeliſcos integros, quos meis contueri oculis optarem, inſcriptos animadverto, quanquam temporis injuria, & forſan etiam ab ipſo *Kirchero*, valde mutilatos, quibus non myſteria Philoſophico-Theologica, ſed *nomina Regum*, *tempus regiminis*, *& forſan triumphos ab hoſtibus reportatos*, pro ſimplicitate veteris mundi, expreſſa ſtatuo. Quod autem *Kircherus* iſtos characteres dicat, certa eſſe rerum ſymbola, in eo turpiter nugatur. Memini me aliquando in ejus operibus, quæ jam non poſſideo, legiſſe, quod figura hominis ſtantis, & faſciis, quantum recordor, invo-

tuendum eſſe, Armenos coloniam fuiſſe Aegyptiorum, quemadmodum vel *Colchos coloniam fuiſſe Aegyptiorum* aſſerit *Valerius Flaccus*. Sunt adhuc in hoc Linguarum & Dialectorum earumque cognationum indagandarum ſtudio multa impervia, quæ non niſi ex Hiſtoria gentium, earumque ductis hinc inde coloniis majorem lucem exſpectant; ex hiſtoria, inquam, antiquiſſima, cujus Annales deperditi vel mortui utinam reviviſcerent! Multa fortaſſis renaſcerentur, quæ jam cecidere, caderentque, quæ nunc ſunt in honore. Quid nuper in hac re præſtitum ſit a CAROLO HENR. TROMLERO, qui *Biblioth. Armenicæ ſpecimen & Commentationem de lingua Armenica* edidit, in qua *ejus* cum *Aegyptiaca* oſtenditur convenientia, dicere non habeo, cum nondum in has devenerit oras. N. B.

involuti, (ut ſcil. eo accuratius lineam rectam repreſentaret, ne divaricatis pedibus alia forte littera intelligeretur) brachiumque ſiniſtrum recta protendentis, ita ut digiti apertæ manus deorſum vergant, notare debeat *Divinam Munificentiam*, larga manu beneficia ſua hominibus diſtribuentem. Stolide. Non Deum, nec hominem, cujus imago cernitur, ſed litteram *u*, figura indicat. Idem judicium eſto de aliis. Poſſet utique Obeliſcus formari è tali Charactere, ſed alio prorſus modo, nec tanto forte labore, ut Jeſuita facit audaculus & nugivendulus, qui tamen pro ſuo fictitio Obeliſco magnum forte præmium ab Imperatore accepit indigniſſimus, ut ne dicam, quod omnes in admirationem ſui rapuerit, paucis omnino exceptis. Sed fama iſtius *Athanaſii ἀθανασιαν* non habebit. Sævos jam ſenſit ictus à *Rittangelio*, aliisque, meus forſan ipſi lethalis erit. Scio erroris originem. Putavit *Kircherus*, Aegyptiorum ſcribendi rationem, ei, qua *Chinenſes* utuntur, conformem fuiſſe. Hi enim per unicum characterem, non tumultuarie, uti quidem videri poſſet, verum magna ingenii ſagacitate formatum, rem ipſam ex. gr. *Amorem*, *Odium* &c. denotare conſueverunt; *Perſonas* & *numeros* in verbis per addita *pronomina perſonalia ad Infinitivum*, *tempora* autem *modosque* per

per *adjectam lineolam*, quamvis non ſemper diſtinguunt, unde ſenſus magna ſæpe difficultate laborat. Non autem ſic *Aegyptii*; qui per voces, aliquot characteribus conſtantes, aliarum linguarum ritu, mentis cogitata exprimunt, ſuorumque nominum & verborum certas flexiones habent. Toto itaque cœlo Chinenſium & Aegyptiorum litteratura à ſe invicem diſtat. Cæterum de *Charactere Chinenſi* recte ſtatuunt, qui ejus non ſunt ignari, *accommodatum eum eſſe ad characterem univerſalem*, qui per totum mundum intelligeretur ſcriptus, licet hic populus eundem aliter ac ille legeret, ſi nimirum omnium in orbe hominum conſenſus in deſignatione rei per characterem impetrari poſſit. Ex. gr. poſſet *Character Chinenſis* quem Tά legunt, ab omnibus populis agnoſci pro indicio *Magnitudinis*, licet diverſa in omnibus populis ejus foret lectio, Chinenſis enim legeret Τα, græcus Μεγας, Romanus *Magnus*, Germanus Groß &c. Num hiſce conformia vel difformia habeat *Becherus*, ignoro, quia ipſum autorem, nominetenus tantum cognitum, non habeo. Jam quid quæſo conſilii, *Vir Reverendiſſime*? Ars vere longa, maxime hæc, quæ Dryadum ſylvas ſaltusque intactos aperit; Vita mea annorum numerum quadragenarium jam tranſcendens brevis; Labores officii Eccleſia-

ſtici maximam injiciunt moram. Num Aſiam pro convertendis Muhammedanis; an vero Africam petere debeo, pro eruenda inde ſcientia Aegyptiaca, non per aliquot ſecula, ſed millenarios annorum ſepulta? Supplici quotidie adoro poplite Summum Numen: Tu rege conſiliis actus Pater Optime noſtros, noſtrum opus ut laudi ſerviat omne Tuo? Illius benigniſſimæ tutelæ commendo Te

Reverendiſſime Domine Abbas
Domine ac Patrone colendiſſime

Vratislaviæ d. 30. April St. N.
1694.

Cultor perpetuus
Andreas Acoluthus.

VII.

LITTERARIA.

Fidem, quoad Nova Litteraria, editosque in Germania & Belgio libros & libellos, in præfatione, Classi huic Primæ præmissa, datam solvere jam incipimus, & ab his scripta Germanico aut Belgico idiomate excusa non excludimus. Monendum autem duco, nos non solum novissima hic annunciare, sed illa quoque, quæ paucis abhinc annis lucem adspexerunt. Cum autem quosvis Bibliopolarum Catalogos haud inspicimus, nec Indicem nectimus Typographicum, eorum solummodo mentionem facimus, quorum notitia ad nos pervenit, & quum hæc inter selectus omnino instituendus est, ea tantum indicamus, quæ præ aliis erudito Lectori usui esse possunt, vel scientia, eruditione, judicio, aut ædificandi studio præpollent. Quam ob rem hic quoque aliquando scriptis eruditorum Anglorum, Helvetiorum, Danorum, Suecorum & Gallorum locus dabitur. Si quis vero scripta sua aut aliorum hic omissa esse deprehenderit, quæ ipsi tamen melioris frugis esse videntur, sibi persuadeat velim, vel eadem nobis haud innotuisse, vel nos eorum nunc non recordari, & in posterum, si animo jubeunt, eadem annunciaturos esse: Vel tanti non esse visa, ut eruditus Lector ea sine magno suo dispendio ignorare possit. Servamus ordinem urbium

bium & locorum Alphabeticum; & quæ ibidem acciderunt Nova, primum accupabunt locum.

AMSTELODAMI.

Prodierunt *pl. Rev.* WILH. KOOLHAASII, Eccleſiaſtæ tum Langeracenſis, *Obſervationes Philologico Exegeticæ in V. libros Moſis, aliosque libros hiſtóricos V. T., quibus præſertim verus & Analogus Temporum & modorum uſus variis in locis indagatur & illuſtratur, atque ab omni temere ficta ſeu credita Anomalia vel Enallage liberatur 1751. 8.*

Edidit Vir pl. Reverendus & eruditiſſimus GERARDVS KVLENKAMPIVS, Bremenſis, Eccleſiaſtes Amſtelodamenſis facundiſſimus Commentarium in Deut. XXXII. & Jeſ. V. 1-7. hocce titulo *De Naam van Jehovah Iſraels Rotsſteen, van God zelve openlyk, ten aanhoren van Hemel en Aarde uitgeroepen. Of het goddelyk Pleidooi, waarin alle de wegen van Jehovah met Iſraël, tot hiertoe ingeſlagen, en verder, tot aan het einde der wereld te houden, in twe onderſcheiden Vierſcharen voldingende, en tot overtuiginge van Iſraël, bepleit en gerechtvaardigt worden, ontvouwt en betoogt volgens den leidraad van het goddeligh Lied Deut. XXXII. 1-43. met een Aanhangzel of verklaringe van het Paraboliſch Lied Jeſ. V. 1-7. 1758.* duobus Tomis. 4. In hocce libro cum ad comma quintum verſionem & expo-

expoſitionem pl. Rev. & Doctiſſimi KOOLHAASII, jam Collegæ ſui in miniſterio, & Linguarum & Antiq. Orient. Profeſſoris P. Amſtelod. in citatis *Obſerv. Phil. Exeg.* datam examinaſſet & refutaſſet.

Cl. KOOLHAASIVS ad ſui defenſionem anno 1758. emiſit *Diſſertat. Philolog. Exegeticam, qua oſtenditur, quod in Codice Sacro Hebræo non temere Interrogationes admittendæ ſint, ubi nulla exſtat Interrogaudi nota, nec indicium.*

Secuta hanc Diſſertationem Cl. *Koolhaſii* fuit plurimum Venerandi G. KVLENKAMPII *Διεκζεισις modeſta quæſtionis Philolog. Hermeneuticæ, nuper admodum motæ, circa Ellipſin litteræ vel particulæ Interrogantis, in Codice Hebræo-Biblico, num ea ſit omnino eliminanda & proſcribenda, an vero, ſed non temere, admittenda* 1759. 8.

Variis ingenii, eruditionis & diligentiæ monumentis Rempubl. Literatam ſibi devincit *Cel.* PETRVS BVRMANNVS *J. U. D. Hiſt. Eloq. Linguæ Græcæ & Poëſeos Prof. Bibliothecarii Amſtelod.* cujus cura dias vident auras.

ANTHOLOGIA *Veterum Latinorum Epigrammatum & Poëmatum; ſive Catalecta Poetarum Latinorum in VI. libros digeſta ex marmoribus & monumentis Inſcriptionum vetuſtis & Codicibus MSS. eruta, primum à Joſ. Scaligero, P. Pithœo, F. Lindenbrogio, Th. Janſſ. Almelovenio aliis.*

aliisque colligi incepta, nunc autem ingenti inoditorum acceſſione locupletata, concinniorem in ordinem diſpoſita, & nonnullis virorum Doct. notis excerptis illuſtrata, cura P. BVRMANNI, *Secundi, qui perpetuas adnotationes adjecit* 1759. *Tomus Primus.* 4.

ARISTOPHANIS *Comœdiæ Undecim, ad fidem optimorum Codd. emendatæ, cum nova VIII. Comœdiæ verſione, & notis ad ſingulas ineditis Steph. Bergleri, nec non Car. Andr. Dukeri ad IV. priores. Accedunt deperditarum Comœd. fragmenta a Theod. Cantero & Guil. Coddæo collecta, eorumque indices à Joh. Meurſio & J. A. Fabritio digeſti, cura* P. BVRMANNI, *Secundi* Lugd. B. 1760. 4.

CLAVDIANI *opera, quæ exſtant omnia, cum notis Variorum edidit* PETRVS BVRMANNVS, *Secundus Amſt.* 1760. 4.

CICERONIS, (vel incerti Auctoris) RHETORICORVM *ad Herennium libri quatuor, & de Inventione libri duo, cum integris Dion. Lambini, Fl. Urſini, J. Gruteri, J. Gronovii & excerptis aliorum notis, variantibus Codicum MSS. lectionibus & ineditis Animadverſionibus J. G. Grævii, additis ſub finem Joh. Mich. Bruti, & ineditis notis Fr. Oudendorpii, curante* P. BVRMANNO, *Secundo, qui in limine operis de Auctore Rhetoricorum ad Herennium diſſeruit. L. B.* 1761. 8.

BERO-

BEROLINI.

Edidit POLYAENI *Stratagematum libros 8. Græce & Latine, recenſuit, Latinam Juſti Vulteji verſionem emendavit, & Indicem Græcum adjecit* SAMVEL MVRSINNA 1756. 8.

Nova itidem ibi prodiit Editio C. VELLEJI PATERCVLI, *quæ ſuperſunt curante* JOHANNE PETRO MILLERO 1756. 8.

BERNAE.

Cl. J. J. ALTMANNVS edidit *Delineationem Oratoriæ Sacræ* 1753. 4.

Et *Diſquiſitionem de Epiſtola Pontii Pilati ad Tiberium* 1755. 4.

BREMAE.

In Illuſtri Gymnaſio docent:

In *Facultate Theologica.*

NICOLAVS NONNEN *S. Th. D. ejusdem & Philoſ. Practicæ Prof. & h. t. Rector Gymnaſii, ut & V. D. M. ad ædem B. Virginis primarius,* Muneris ſui Theologici auſpicia capeſſivit a 1729. d. 23. Aug. Oratione habita *de Concordia Religionis Reformatæ & Status civilis.* Rectoratum adiit a 1744. oratione dicta, *de Signis Temporum cum maxime præſentis ſeculi felicioris anteambulonibus*, quæ typis excuſa eſt. Syllabum ſcriptorum Viri hujus Eruditiſſimi dabimus proxime.

NICOLAVS BARKEY *S. Th. Dr. & Prof. ad ædem S. Stephani V. D. M.* Is Vocatus Me-

dioburgo Zelandorum, ubi in Eccleſia docuit, in locum Cel. C. IKENII, licet ſatis noverat, ſe *Ikenio* haud eſſe parem, Patriæ ſuam tamen denegare noluit operam. Poſtquam Doctoratus Theolog. honore ab alma Groningana ornatus eſſet a. 1754., conſcripta hunc in finem *Diſſertat. Inaugurali ad Pſalmum XVIII.*, muneri ſuo inauguratus fuit a 1755. d. 2. & 7. Januar. *Orat.* & *prælectione Inaugur. de admirabili operum Div. Harmonia*, quæ lucem vident publicam.

JOHANNES OELRICHS *S. Th. Dr. & Prof. ad D. Pauli in Neapoli Bremenſi Eccleſiaſtes*, qui cum 1756. Doctoratus lauream ab alma Franequerana, conſcripta *Diſſert. Inaugurali de ſolemni celebratione feſti Paſchatis nec non Cantico Paſchali*, impetraviſſet, muneris ſui initium fecit a. 1757. d. 16. Jun. *Oratione auſpicali de Proclivitate hominum ad lapſum in extrema.*

In *Facultate Juridica.*

DIDERICVS DVSING, *U. J. D. horumque & Hiſtoriarum Profeſſor.* Dixit ſolenniter pro auſpiciis muneris demandati a 1732. d. 28. Oct. *de Cognitione Jurisprudentiæ Romano-Germanicæ Hiſtoricæ.*

JOHANNES à RHEDEN, *U. J. D. & Prof.* Licet nunc fato ſiniſtro munere ſuo fungi non poſſit, non tamen illi denegandus

dus est inter viventes locus. Dixit pro more in muneris sui exordio a 1736. d. 15. Nov. *de Juris Consulto Perfecto.*

DIDERICVS RVNGE, filius LVDOLPHI HENRICI, (cui, ut *Medicinæ Doctori, Ejus nec non Logices, metaphysices & Physices per* 44. *annos Prof., Practico, reipubl. per annos* 41. *Archiatro & totius Gymnasii Seniori*, anno superiori denato, justa fecimus funebria) *U. J. D. & Prof.* Capessivit sibi demandatum munus a. 1752. d. 17. Aug. *Oratione Inaugur. de Juribus Gymnasiorum Illustrium, præsertim Bremensis.*

JOHANNES ABRAHAMVS AHASVERVS, *U. J. D. & Professor.* Auspicatus fuit Provinciam suam coram solenni Panegyri a. 1756. d. 3. Jun. *Oratione de Dignitate jurisprudentiæ & Jure Consultorum.*

In *Facultate Medica.*

GOTHOFREDVS MELM, *Medicinæ D. & Prof.* Oratione solenni munus suum adiit a. 1741. d. 14. Sept. *de sorte & morte senili.*

GERARDVS BASS, *Med. D. & Prof.* Dixit pro auspiciis demandati muneris a. 1742. d. 8. Nov. *de Medicina Naturali.*

PHILIPPVS ISAACVS HEINEKEN, *Med. D. hujus & Matheseos Prof.* Peroravit ad auspicandum munus a. 1752. d. 2. Mart. *de Incessu humano.*

GERARDVS MEYER, *Med. D. & Prof.* Accinxit se ad munus demandatum a. 1753. d. 6. April. Oratione dicta, *de recentiorum Medicorum in explicando usu partium corporis humani præ veteribus præstantia.*

JOHANNES GEORGIVS RVNGE, filius *Ludolphi Henrici* & *Diderici* frater, *Med. D. hujus & Physices Experimentalis ut & Anatomiæ Prof.* Primordia muneris sui cepit a. 1754. d. 7. Mart. Oratione *de Necessitate experimentorum Physicorum in studio Anatomico & Physiologico.*

In *Facultate Philosophica* docent.

NICOLAVS NONNEN, S. Th. D. & Prof. *Philosophiam Practicam.*

HENRICVS HEISEN, *Eloquentiæ & Poeseos Prof. Bibliothecarius & Pædagogiarcha.* Muneri suo inaugurabatur a. 1732. d. 9. Oct. Oratione solenni *de Veterum Germanorum eloquentia*, quæ typis exscripta est.

DIDERICVS DVSING, U. J. D. & Prof. *Historias.*

PHILIPPVS ISAACVS HEINEKEN, Med. D. & Prof. *Matheſin.*

JOHANNES GEORGIVS RVNGE, Med. D. & Prof. *Physicam Experimentalem & Anatomiam.*

CONRADVS IKEN, filius CONRADI, *Græcæ & Orientalium Linguarum Professor.* Introitum sibi paravit a. 1754. d. 9. Dec. Ora-

Oratione Inaugurali *de lege Regia Studii Litterarii & Critici.*

Extraordinarii sunt.

JOHANNES NICOLAVS ROLLER. *Prof. Philolog. S. & primæ Classis Coll.*

JOHANNES PHILIPPVS CASSEL. *Philol. Prof. & primæ Classis Collega.*

CASPARVS BECHON, *linguæ Gallicæ Prof.*

Prodiit hic & publice defensa fuit a. 1756. d. 23. Jun. sub præsidio NIC. BARKEY Dissertatio Theologica *de termino donorum munerumque extraordinariorum ex verbis Pauli Eph. IV. 12. 13. eruto,* Auctore JOHANNE NICOLAO RICHTERO, V. D. M. jam Rhebornensi, eo ipso, qui *Fasciculos, primum & secundum Classis hujus primæ* doctissimis suis lucubrationibus exornavit.

Ab anno 1757. Societas quædam Litteratorum hujus urbis in hunc finem congregata, opus utilissimum edi curavit sub hoc titulo: **Bremisches Magazin** zur Ausbreitung der Wissenschaften, Künste und Tugend, von einigen Liebhabern derselben, mehrentheils aus den Englischen Monatsschriften gesamlet und herausgegeben, Bremen und Leipzig. Tomi Quarti propediem pars tertia & ultima prodibit. Optamus serio, ut Societas hæc VV. DD. in hoc utilissimo opere, & eo ipso sibi Germanos

nos ſuos, ſtudiorum & artium cultores, devincire pergat.

In grati animi monumentum, cum ſibi *Inclyta Academia Duisburgenſis* ſummos in Theologia honores contuciſſet, conſcripſit & edidit S. R. JOHANNES FRID. WINTER, *S. Th. D. & ad ædem D. Virginis Paſtor*, Diſſertat. Theolog. *Inauguralem de Vocatione Meſſiæ à Patre ad munus mediatorium ſub N. T. in ſalutem gentium æque ac judæorum ad Jeſ. XLII. 6. 7. Bremæ, 1759.*

BRUNSVIGAE.

Cel. J. C. HARENBERGIVS, cujus Nomen in republ. Litteraria nemini ignotum eſſe poteſt, edidit

1. Erklärung der **Offenbahrung Johannis** mit entwickelung der Frage; wo wir itzt in der Zeit der Anzeigen ſolcher Offenbahrung leben, Braunſchweig 1759. 4. Multa continet libellus hic notatu digna, & imprimis merentur attentionem *prolegomena*, quæ tempus ſcriptionis libri hujus Apocalyptici difficillimi intellectu excutiunt, & perpetuam alluſionem ad ſacra V. T. in hoc libro indicant. Ex ſcriptis Rabbinorum, quæ diligentiſſime tractavit S. Vener. Auctor, magnam & veram hinc inde lucem huic libro affudit.
2. Pragmatiſche Geſchichte des Ordens der Jeſuiten

Jesuiten seit ihrem Ursprunge bis auf gegenwärtige Zeit durch Johann Christoph Harenberg, Probst des S. Lorenzstiftes vor Schoningen, ord. Professor des Herzoglichen Carolins zu Braunschweig, Mitglied der Königl. Societät der Wissenschaften zu Berlin u. s. f. Halle 1760. *Vol. II. 4.*

DAVENTRIAE.

Cl. & Doctissimus JAC. DE RHOER, *Eloq. & historiarum Prof.* edidit opus eruditum sc. *Ferias Daventrienses, in quibus multi Veterum loci tam sacrorum quam profanorum explicantur, vindicantur vel emendantur Traj.* 1758. 8.

S. V. & Cl. ABRAH. FRID. RVCKERSFELDER *S. Th. Dr. ejusdemque & Philolog. Orientalis in Gymnasio Daventriensi Prof.* qui jam ut S. Ministerii Candidatus *Groningæ* a. 1753. *Dissertationem Criticam in Canticum Deboræ ad Judicum cap. V.* conscripsit, & sub præsidio Cel. D. GERDESII defendit, muneris sui auspicia cepit oratione Inaugurali 1753. d. 20. Dec. *de recentioribus circa verum creatarum Universitatem observatis, religioni Christianæ haud contrariis*, quæ typis quoque excusa est, *Daventriæ.* Et hanc secuta est a. 1755. *Dissertatio Exegetica ad Ps. LXXIII. 21. 22. 23.* qua Ampl. almæ Gro-

Groninganæ Senatui ob conceſſos Doctoratus Theolog. honores ſummas egit gratias. Duas poſt edidit *Diſſertationes Theol. Philol. ad Canticum Hiskiæ Regis Jeſ. XXXVIII. 9-20. a. 1757.*

DRESDAE.

Prodiit EPICTETI *Enchridion Græce & Latine cum Scholiis Græcis nunc primum è Bibliotheca Regia Dresdenſi vulgatis, & novis animadverſionibus 1756. 8.*

ERLANGAE.

RICHARDI POCOCKII Celebratiſſimi illius Angli deſcriptio orientis ex Anglico in Germanicum Iidioma translata fuit a Viro *Clar. & Doctiſſimo* CHRIST. ERNESTO à WINDHEIM *Philoſophiæ D. & Prof. in Academia Erlangenſi* hoc titulo R. Pocockes Beſchreibung des Morgenlandes und einiger anderer Länder, von Seiner Hochwürd. dem Herrn Canzler von Mosheim mit einer Vorrede verſehen. Erlangen 1754. 1755. Vol. III. 4. Tomus I^mus continet deſcriptionem *Aegypti.* Secundus *Palæſtinæ, Syriæ, Meſopotamiæ, Cypri & Candiæ.* Tertius *Inſularum Archipelagi, Aſiæ minoris, Thraciæ, græciæ & aliquot regionum Europæ.*

Idem hic *Vir Clariſſimus* in idem tranſtulit idioma Eruditiſſimi Angli JOHANNIS JACK-

JACKSONI *Antiquitates Chronologicas antiquiſſimorum regnorum inde ab initio mundi per 5000. annos deductas Norib. 1756. 4. Vol. II.*

Nec hic ſubſtitit indefeſſa *Viri Doctiſſimi* ſcientias promovendi cura. Edi curavit Beati ſoceri ſui, Venerabilis JOH. LAVR. MOSHEMII, Cancellarii quondam Gœttingenſis, *Elementa Theologiæ Dogmaticæ Noribergæ 1758. 8.*

Ut & Johann Lorenz von Mosheim Allgemeines Kirchenrecht der Proteſtanten. Helmſtädt 1760. 8.

Prodierunt quoque Erlangæ a. 1752. JOHANNIS WINCLERI *λειψηλια Bibliothecæ Regiæ Berolinenſis Aethiopicæ deſcripta 8vo.*

FRANCOFURTI AD VIADRUM.

Exiit ex prelo a. 1754. opus eruditum Viri Præclariſſimi, cui *Pantheon Aegyptiorum*, opus illud egregium, debemus, PAVLI ERNESTI JABLONSKI *Doctoris quondam in hac Academia Senioris & Societatis Scient. Regiæ Berolin. membri*, quod *Inſtitutiones hiſtoriæ Chriſtianæ antiquioris* inſcripſit.

FRANEQUERA.

Paſſa fuit jacturam Viri *Clar.* JOHANNIS ARNTZENII, *Eloquentiæ, Hiſtoriarum, nec non Poeſeos Prof. O.* qui occubuit a. 1759. d. 17. Dec.

Lu-

Luget quoque adhuc jacturam Viri *Cl. & Doctiſſimi* EMONIS LVCII VRIEMOET *S. Th. D. Ling. Orient. & Antiquit. Hebr. Profeſſoris*, qui a. 1760. d. 15. Jun. magno litteraturæ Orient. damno è vivis ereptus fuit. Parentavit ei pro more d. 24. Sept. Vir *Clar.* AEGIDIVS GILLISSEN *S. Th. D. & Prof.* cujus oratio funebris lucem videt.

Edidit B. VRIEMOETIVS a. 1758. *Tomum* Tertium *Adnotationum Philolog. Theolog. ad Dicta Claſſica Theologiæ Dogmaticæ Vet. Teſt. ſelecta*, quarum prior a. 1743. & alter a. 1747. lucem adſpexerunt.

Amiſit quoque Alma Franequerana nuper acerba morte conſtitutum anno elapſo *Linguarum Orient. Profeſſorem Extraordinarium*, Virum Doctiſſimum FRID. CHRIST. FABRVM, *Naſſavienſem.*

Læta autem videt adhuc apud ſe commorantem & docentem Virum *Celeb.* HERMANNVM CANNEGIETER *U. J. D. & Prof.* qui anno elapſo vocationi Trajectinæ morem gerere renuit.

Et in locum *E. L. Vriemoet* vocatum & ſuffectum Virum. *Clar.* SAMVELEM HENR. MANGER *S. Th. D. & V. D. M. Sebaldi Gothof. fil.* Oſtendit jam is litteris Trajecti ad Rhenum incumbens, quid reſp. Litteraria ab eo exſpectare

ctare poſſit, edita eleganti *Diſſertatione* & ſub præſidio Viri *Cel.* SEBALDI RAVII defenſa, *de iis quæ ex Arabia in uſum Tabernaculi fuerunt petita. Traj. 1753.* & *Halæ 1755. recuſa*, ut & *Diſſertat. Philolog. Theolog. Inaugurali* pro gradu Doctoratus Theolog. *de diverſa Regiminis divini forma ſub Oeconomia Veteri. Traj. 1755.*

Magnopere ſibi plaudit, & plaudit ſibi omnis Reſp. Litter. ſcriptis omni eruditionis & elegantiæ copia refertis Viri Venerabilis & Celeberrimi HERMANNI VENEMA *S. Th. D. ejusdemque & Hiſtoriæ Eccleſiaſt. Prof. O.* Edidit nimirum.

Diſſertationes Selectas ad Sacram ſcripturam Veteris atque Novi Teſtamenti, quarum Tom. I. pars 1. continet Diſſertationes quinque ad librum Geneſeos Leov. 1747. pars Secunda continet Commentarium ad Gen. XLIX. 1-27. Leov. 1750. 4.

Danielis Vaticinia itidem ab Erudiſſimo Doctore eleganter illuſtrata fuerunt. Sic prodierunt *a. 1745. Leovardiæ* & *Harlingæ Diſſertat. ad Vaticinia Danielis emblematica cap. II. VII. & VIII. de quatuor Orientis Regnis ordine ſibi ſucceſſuris, & quinto Meſſiæ, in quibus illa, nova via, demonſtrantur ex hiſtoria & illuſtrantur, aliisque Prophetiis lux adfunditur.* 4. Has ſequebatur.

Leovardiæ a. 1752. H. VENEMA *Commentarius ad Dan. XI. 4-45. & XII. 1-3. quo ſenſus ſermonis*

monis cum studio investigatur, & ex historia confirmatur ac illustratur. 4to.

Malachiæ Vaticinia quoque eleganter & doctissime illustravit H. VENEMA, pecul. *Commentario ad librum Elenchtico Propheticum Malachiæ Leov. 1759. 4.*

Et minime hic prætereundæ HERMANNI VENEMA *Exercitationes de vera Christi Divinitate ex locis Act. XX. 28. 1. Tim. III. 16. 1 Joh. V. 20. & Col. 1. 16. 17. quibus de vera lectione & genuino sensu eorum accuratius disseritur Leov. 1755. 4.*

Pro gradu Doctoratus & summis in Theologia honoribus doctissimam *Dissertat. Philolog. Theolog. Inauguralem ad 1 Cor. VI. 4.* edidit *Vir S. V.* JOHANNES HABBEMA: *Leovardia Frisius a. 1756.*, nunc ab anno 1728. Pastor Wyselensis & Kotensis.

GENEVÆ.

Typis excusæ sunt Viri *Excell.* J. J. BVRLAMAQVI *Juris Naturalis elementa a. 1759.*

GIESSÆ.

Cel. Academiæ Cancellarius CHRIST. M. PFAFFIUS, inclytum in republ. Litteraria nomen, edidit *Lectiones Academicas super idea Theologiæ Anti Deisticæ, in quibus detegunter & confutantur incredulorum objectiones, quas Revelationi toto die faciunt. Francof. ad M. 1759. 8.*

GOET-

GOETTINGÆ.

Magnif. quondam Academiæ Cancellarii *Venerab.* JOH. LAUR. MOSHEMII Sittenlehre der Heil. Schrift adeo nota est Germanis meis, ut non opus sit, eam ut laudem. Qui Partes illius quinque legerunt, lubenter audient, quod uti fama fert, Vir *Clar. & Meritissimus* JOH. PETRUS MILLERVS filum MOSHEMII pertexere adnitatur, quod nemo melius moliri poterit.

Prodierunt a. 1753. *Ejus de rebus Christianorum ante Constantinum Magnum Commentarii Helmst. 4.*

Uti etiam **Johann Lorenz von Mosheim** Erklärung der beyden Briefe des Apostels Paulus an den Timotheus. Hamburg 1755. 4.

Cel. JOHANNES DAVID MICHAELIS, *Philosoph. Prof. O. & Societatis Regiæ Gotting. Collega* edidit translatas à se in Latium Viri præclari ROBERTI LOWTH, *A. M. Collegii novi Socii & Poetices publici Prælectoris, de Poesi Sacra Hebræorum, Prælectiones Academicas, Oxonii* habitas *cum notis & Epimetris.* Pars earum *prior* lucem vidit a. 1758. 8. *Posteriorem* avidi adhuc exspectamus.

1 Scripsit Paraphrasin und Anmerkungen über die Briefe des Apostels Paulus an die Galater, Epheser, Philipper, Kolosser, Tessalonicher. Gött. 1750. 4.

2 Einleitung in die Göttlichen Schriften des Neuen Bundes. Gött. 1750. 8.

3 Poetischer Entwurf der Gedanken des Prediger-Buchs Salomons. Gött. 1751. 8.

4 *Commentationem de Battologia ad Matth. VI. 7. Götting.* 1753. 4.

5 Entwurf der Typischen Gottesgelahrtheit. Gött. 1753.

6 *Novam versionem Partis Suræ II. Corani cum illustrationibus subjectis, ut specimen novæ Versionis totius Corani.* Gott. 1754. 4.

7 *Dissertationes Duas ad Marc. X. 42. XV. 25. Joh. XIX. 14. auctas iterumque editas.* Gott. 1755. 4.

8 *Curas in Versionem Syriacam Actuum Apostolicorum cum consectariis Criticis, de indole, cognationibus & usu Versionis Syriacæ tabularum Novi Fœderis.* Gott. 1755. 4.

9 Abhandlung von den Ehegesetzen, welche die Heyrathen in die nahe Freundschaft untersagen. Gött. 1755. 4.

10 Beurtheilung der Mittel, welche man anwendet, die ausgestorbene Hebräische Sprache zu verstehen. Gött. 1756. 8.

11 *Paralipomena contra Polygamiam. Et*

12 *Orationem de felicibus connubiis aliarum Scientiarum cum Philologia Orientali.* Gott. 1757. 4.

13 *Lex Mosaica Deut. XXII. 6. 7. ex historia Naturali & moribus Aegyptiorum illustrata.* Gott. 1757. 4.

14 *Syntagma Commentationum, in quo continentur.*

1 Beschreibung einiger alten Deutschen Bibel-Uebersetzungen vor D. Luthers Zeit.

2. 3. *Commentatio ad leges divinas de pœna homicidii.*.

4 *Argumenta immortalitatis animorum humanorum & futuri seculi, ex Mose collecta.*

5 Briefe von der Schwierigkeit der Religionsvereinigung, bei Gelegenheit der projectirten Unions-Academie zu Neuwied.

6 *Oratio de ea Germaniæ Dialecto, qua in sacris faciundis atque in scribendis libris utimur.*

7 *Commentatio de Troglodytis, Sciritis & Themudæis, in Conventu Regiæ Societatis Scient. recitata.*

8 *Commentatio de Nomadibus Palæstinæ, recitata in solenni Societatis conventu.*

9 *Commentatio de combustione & humatione mortuorum apud Hebræos, eidem Societati recitata.*

15 Critisches Collegium über die drey wichtigsten Psalmen von Christus den 16ten, 40sten und 110ten. Frankfurt und Gött. 1759. 8.

16 *Compendium Theologiæ Dogmaticæ.* Gotting. 1760. 8. In præfatione, quæ disserit de stylo Theologiæ Dogmaticæ & genere dicendi Biblico Vir Doctissimus, expendi merentur.

Vir *Celeb.* CHRIST. GUIL. FRANC. WALCHIUS, *Theologus Göttingensis* typis excudi fecit scripta lectu dignissima, sc.

Entwurf einer vollständigen Historie der Römischen Päbste, vermehrte Ausgabe. Gött. 1758. 8.

Entwurf einer vollständigen Historie der Kirchen-Versamlungen. Gött. 1759. 8.

Grundsätze der Natürlichen Gottesgelahrtheit. Gött. 1760. 8.

Monimenta medii ævi ex Bibliotheca Regia Hanoverana Fasciculus primus Gætt. 1757. editus continet

1 *Matth. de Cracovia Episcopi Vormatiensis: de squaloribus Romanæ curiæ tractatus.*

2 *Gravamina nationis Germanicæ adversus curiam Romanam, Joan. Cardinali S. Angeli, Nicolai V. P. R. legato exhibita.*

3 *Johannis de Vesalia adversus indulgentias Disputatio.*

4 *Jac. Junterburgii de negligentia Prælatorum libellus.*

Fasciculo *Secundo a. 1758. edito* exhibentur.

1 *Johannis Novariensis Oratio in Concilio Constantino Pisano habita.*

2 *Matth. Rœderi Oratio, in Concilio Constantiensi habita.*

3 *Vitalis Valentini Oratio, in Concilio Constantiensi recitata.*

4 *Theodorici de Monasterio Panegyricus, in Concilio Constantiensi dictus.*

5 *Bertrandi Vaqueri Panegyricus, in Concilio Constantiensi dictus.*

6 *Anonymi Oratio de corruptissimis Ecclesiasticorum moribus, in Concilio Constantiensi habita.*

7 *Ano-*

7 *Anonymi Oratio, in concilio Constantiensi recitata.*
8 *Hotrici Abendon panegyricus in concilio Constantiensi habitus.*
9 *Anonymi Oratio in Concilio Constant. habita.*

Fasciculo *Tertio a. 1759. edito* continentur.

1 *Jacobi de Misa opusculum de purgatorio animarum.*
2 *Anonymi Oratio de Vitiis Clericorum in concilio Constant. dicta.*
3 *Joh. Zachariæ Oratio de necessitate Reformationis ibidem habita.*
4 *Theodorici de Monasterio panegyricus de infanda Ecclesiæ corruptione, ibidem dictus.*
5 *Leon. Statii, Oratio pro maturanda reformatione.*
6 *Anonymi, Or. de eadem materia.*
7 *Anonymi, Sermo de meliori Clero.*
8 *Hugenetti de Metis, Avenionensis, panegyricus pro maturanda Ecclesiæ reformatione in Concilio Constant.*
9 *Luciferi sive Satanæ Epistolæ binæ. Altera ad Clerum. altera ad Johannem Dominici Cardinalem Ragusanum.*

Fasciculi *Quarti a. 1760. editi* contenta sunt.

1 *Anonymi Oratio de reformatione infeliciter dilata in conc. Constant.*
2 *Anonymi panegyricus de dignis Clero virtutibus in conc. Const.*
3 *Johannis Gochii de quatuor erroribus circa le-*

legem Evangelicam exortis & de votis & religionibus factitiis Dialogus.

4 *Bernardi Weſterrodi planctus.*

Idem autem vir Doctiſſimus CHR. GVIL. FR. WALCHIVS *S. Th. D. & Prof. O.* ad audiendam ſuam orationem Auſpicalem invitavit, præmiſſis Obſervat. de *Chriſto Papa Gott. 1757.*

Vir Clariſſimus JOHANNES DAVID HEILMANN, *Theologus Gottingenſis*, munus Profeſſoris Theologiæ Ord. à ſe ſolemni oratione ordiendum pro more ſignificavit, *Programmate* publico, *de eo quod intereſt inter Divinas notitias Theologi & Chriſtiani Gott. 1758.*

Orationem autem, typis dein excuſam eodem anno auſpicalem, recitavit *de commodis ex ſacrarum Litterarum ſtudio ad Philoſophiam redundantibus.*

Laudem quoque meretur magnam *editio* THVCYDIDIS *Germanica*, quam curavit & perfecit S. V. & Doctiſſimus HEILMANNVS cum Animadverſ. Criticis *Lemgoviæ 1759.*

Et *Diſſertatio* ejus *Theol. prima de ratione, quam inter ſe habent humani generis jactura & reparatio, ad expoſitionem loci Claſſici Rom. V. 12-18. Gött. 1759.*

Haud proletariam ſuam eruditionem jam prodiderat HEILMANNVS, cum Halæ

læ Saxonum degeret & vocatus esset Scholæ Hamelensis Rector, edita *dissertat. qua Consecrationem Sanctorum apud Pontificios usitatam ad αποθεωσεις Vet. Roman. effictam esse ostendit* Halæ *1754.*

Et nuper admodum *Compendium Theologiæ Dogmaticæ* edidit Gött. 1761. 8.

V. C. JOHANN LVLOFS, Philosophi Lugduno Batavi, Einleitung zu der Mathematischen und Physikalischen Kenntniß der Erdkugel, aus dem Holländischen übersetzet von ABRAHAM GOTTHELF KAESTNER *Mathem. P. P.* Göttingen und Leipzig 1755. 4.

Prodiit quoque ejusdem Viri Cel. A. G. KAESTNERI Oratio *Inauguralis de eo quod studium Matheseos faci ad virtutem Gött. 1756.*

Jus Naturæ in usum auditorum concinnavit & edidit Vir *Cel.* GOTHOFR. ACHENWALL *I. C. Götting. 1759. 8.*

Typis quoque hic libellus JACOBI SERENII *S. Th. D. Præpositi & V. D. M. Nykopiensis* excusus est. gesammlete Zeugnisse der Heyden, und vornemlich des Flavius Josephus von Jesu, zur Bestätigung des Glaubens der Christen, aus dem Schwedischen eine Uebersetzung. Gött. 1758. 8.

GRONINGÆ.

Prodierunt *Celeb.* DANIELIS GERDESII, Theologi Groningani, cujus merita in

Remp. Litterar. quis ignorat? *Meletamata Sacra, sive Isagoge & Exegesis in caput XV. Epistolæ prioris ad Corinthios, antea per formam Disput. Acad. edita, jam denuo recensita, aucta & novis Observat. novisque summariis instructa* Groningæ & Bremæ *1760. 4.*

EGINHARTI *de vita Caroli M. Commentarii* cum annotationibus V. C. GERARDI NICOLAI HEERKENS *Groning. 1758. 12.*

Dissertatio Philol. de voto Jephtæ sub præsidio V. C. NIC. GVIL. SCHROEDER *L. L. OO. & Antiq. Hebr. P. O.* Auctore DID. ADR. WALRAVEN, *nunc V. D. M. Randwicensi in Gelria* 1753.

Disputatio Metaphysica, qua id, quod dubium est in quæstione de creato mundo Optimo illustratur, conscripta à V. C. NICOLAO ENGELHARDT, *Phil. & Mathem. P. O. 1754.*

ALLARDI HVLSHOFF, *Diss. Philosoph. Inauguralis, qua Entis Realissimi existentia à priori demonstratur,* pro Art. Lib. Mag. & gradu Doctor. in Philos. 1755.

HERM. JOH. OFFERHAVS, *Leonardi f.* nunc V. D. M. Gapingensis in Zelandia. *Diss. Chron. Hist. Theol. de Septuaginta Septimanis Danielis,* praeside V. C. D. GERDES. 1756.

THEODORI DE HASE, *Theod. fil. Corn. nep.* Disp. *Theol. Inaugur. de* שרץ העוף *minutis volatilium Quadrupedibus ad Lev. XI. 20-23. Deut. XIV. 19.* pro gradu Doctoratus Theolog. 1757.

JO-

JOHANNIS HENR. VERSCHVIR, jam V. D. M. Bolsverdienſis, *Diſp. Philolog. exhibens Obſervat. Miſcell. in ſelecta S. S. loca*, præſide V. C N. G. SCHROEDER 1757.

FRID. ADAMI WIDDERI, *A. L. M. Phil. Doct. & Præl. P.* Diſſert. *Philoſoph. de Hylozoismo & Leibnitianismo 1758.*

GVELPHERBYTI.

FRANC. ANT. KNITTEL, Archidiaconus Eccleſ. Metropol., *Ulphilæ verſionem Gothicam nonnullorum cap. Ep. ad Rom. & duo IV. Evangeliorum fragmenta Græca, ſeculo VI. ſcripta, é litura Codicis cujusdam MSt. reſcripti Auguſtæ, quæ Guelpherbyti floret, Biblioth. erutas, dandasque propediem foras orbi Litter. annunicat 1758.*

HAFNIÆ.

Prodierunt V. C. CASPARI FRID. MVNTHE, *Prof. ibidem Græcæ L.* Obſervat. *Philol. in S. N. T. libros, ex Diodoro Siculo collectæ, una cum indice vocum Diodorearum, quibus Lexica locupletari poſſunt. Hafniæ & Lipſiæ 1755. 8.*

Reverendiſſimi Epiſcopi, ERICH PONTOPPIDANS Abhandlung von der Neuigkeit der Welt, oder ein aus der Natur und Geſchichte geführter Beweis, daß die Welt nicht ewig ſey, zur Stärkung des Glaubens der Chriſten von der Wahrheit der bibliſchen Geſchichte. Aus dem Däniſchen überſezt von Chriſt. Gottl. Mengel. Kopenhagen und Leipzig 1758. 8.

HAL-

HALÆ SAXONVM.

Laudari omnino meretur elegantissimum V. C. JOHANNIS PETRI MILLERI, Rectoris Halensis, opus: Schilderungen zur Bildung eines edlen Herzens in der Jugend Halle 1756-1759. vol. III. 8.

Edidit hic S. R. JOH. DID. WINCKLERVS, *S. Th. D.* & nunc V. D. M. Hamburgensis, *Tempe, vel Anecdota Sacra, varia Virorum quondam Doct. opuscula inedita ad Antiq. Eccl. & Theol. Exeg. Patristicamque complexa 1758. 8.* Continentur eis *J. A. Schmidii Fragmenta Lexici Eccles. minoris. G. C. Bosii Comment. Ph. de Anathemate. Zornii Delineatio Theol. Patrist. Joh. Justi Losii Exerc. de defectu judicii Logici in Scriptt. Eccl. & hæreticis Vet. Eccl. H. v. d. Hardt Exegesis locorum difficilium 4. Evangelist.*

CHRIST. BENED. MICHAELIS V. C. edidit Dissert. Philolog. *qua Lumina Syriaca pro illustrando Hebraismo Sacro exhibentur* 1756.

JOH. FRID. STIEBRITZ V. C. *Philos. Prof.* diss. Philol. de *Ironia Sacra*, ut & Diss. *de justitia causæ Israelitarum in bello contra Cananitas suscepto 1759.*

Addidit variis suis scriptis, quæ elegantia sua se dudum commendarunt, Philosophus Halensis, *Celeb.* GEORGIVS FRID. MEIERVS Philosophische Gedanken von den Würkungen des Teufels auf dem Erdboden. Halle 1760. 8.

V.

V. C. SAMVEL MVRSINNA *Theol. Prof. & Ill. Gymnaſii Ephorus*, Cl. Joh. Georg. Michaelis datus ſucceſſor, ad audiendam Orationem ſuam Inauguralem invitavit Diſſert. *Philoſoph. Theologica de origine generis humani Halæ* 1759.

Tertius jam Tomus lucem videt operis egregii Ueberſetzung der Allgemeinen Welt-Hiſtorie der neuern Zeiten, die in Engeland durch eine Geſellſchaft von Gelehrten ausgefertiget worden. Dritter Theil, unter der Aufſicht und mit einer Vorrede herausgegeben von JOHANN SALOMON SEMLER d. H. S. D. und Prof. auch des Theol. Seminarii Director zu Halle 1760.

Varia etiam B. SIGISMVNDI JACOBI BAVMGARTEN, cujus morte Academia magnam jacturam paſſa fuit, ſcripta edi curavit, uti Auslegung der Pſalmen Davids, Evangeliſche Glaubenslehre ꝛc. V. C. JOH. SAL. SEMLER.

Vidit lucem: Einleitung in die Bücher des Neuen Teſtamentes, in einer wiſſenſchaftlichen Form mitgetheilet durch M. FRIEDRICH WILHELM ELLENBERGER, öffentl. Lehrer der Weltweisheit, Halle 1757. 8.

HAMBVRGI.

Eruditiſſimus & elegantiſſimus HERM. SAMVEL REIMARVS, *Profeſſor Hamburgenſis* doctiſſimo hoc libro adtentionem eruditorum excitavit & applauſum: Algemeine

Be-

Betrachtungen über die Triebe der Thiere, hauptsächlich über ihre Kunst-Triebe: Zum Erkentniß des Zusammenhanges der Welt des Schöpfers, und unser selbst vorgestellet. Hamburg 1760. 8. Belgica jam veste indutus cum prologo Vir. *Cel.* JOH. LVLOFS exiit *Lugd. Bat.* hoc anno.

Cel. Viri J. A. FABRICII *Bibliographiam Antiquariam ex MS. Auctoris insigniter locupletatam & recentissimorum Scriptt. recensione auctam* edidit Vir. Doct. PAVLVS SCHAFFSHAVSEN *Hamb. 1760. 4.*

HELMSTADII.

Vir Cel. JOH. ERN. SCHVBERTVS, Theologus Helmstadiensis, & Abbas Coenobii ad lap. S. Michaelis, edidit *Institutiones Theologiæ Moralis, Jenæ & Lipsi. 1759. 8. Et Compendium Theologiæ Dogmaticæ Helmst. & Halæ 1760. 8.*

Sub præsidio Venerab. SCHVBERTI diss. Theolog. *de modo agendi cum iis, qui fidem non sentiunt*, edidit & tuitus est JOH. HENRICVS PRATJE, Stadensis 1757.

BASILII M. *Orationem de humana Christi generatione Gr. & Lat. ex recensione Juliani Garnier in Sectiones primum descriptam, nunc nova versione, argumento & notulis mactam excudi curavit* V. C. JOH. BENED. CARPZOVIVS, Theologus Helmstadiensis 1757. 4.

Et

Et *stricturas* edidit *Theolog. & Criticas in Epist. Pauli ad Romanos cum adspersis floribus ex Philone Alexandr. Helmst. 1758. 8.*

JENÆ.

V. C. JOH. PET. REUSCHII, Theologi quondam Jenensis, *Compendium Theologiæ Moralis cum præfatione* typis excudi curavit CAR. GOTTH. MÜLLERVS *Prof. Jenensis 1760. 8.*

JOH. STEPHANVS MÜLLER, *Philos. Prof.* luci exposuit, cum præfatione V. C. CHRIST. GVIL. FRANC. WALCHII Die Sittenlehre Jesu als ein von Gott geoffenbahretes supplement der philosophischen Sittenlehre. Jena 1758. 8.

Idem J. STEPH. MÜLLER *Diss. Philosoph. sententias Protestantium Juris Naturæ Doctorum de Lege Naturali à vituperationibus Cel. P. Desingii defendit Jenæ 1756.*

Fried. Dan. Behns Gedanken von dem Geheimnisse der Dreyeinigkeit. Jena 1758. 8.

LAUSANNÆ.

Lettre sur le Deisme par Mr. SALCHLI *fils, Professeur à Lausanne 1759.*

LEOVARDIÆ.

Doctissimus quondam Scholæ Leovardiensis Rector, Johannes Pierſonus, nimium mature fato functus, edidit Verosimilium libros Duo Lugd. B. 1752. 8.

Et Μοιριδος Αττικιστε Λεξεις Αττικων και ελληνων κατα

κατα στοιχειον *Moeridis Atticistæ Lexicon Atticum cum J. Hudsoni, Steph. Bergleri, Claud. Sallierii aliorumque notis, quod secundum ordinem MSS. restituit, emendavit, animadversionibus illustravit. Accedit* Αιλιυ Ηρωδιανυ Φιλεταιρος *è MS. nunc primum erutus L. B. 1759.*

LIPSIÆ.

Edita sunt

LUDOV. DU FOUR DE LONGUERUE, *Abbatis S. Johannis ad Melodunum & septem fontium in Therascia, Dissert. de variis Epochis & anni forma Vet. Orient., de vita Justini M., de Athenagora, de tempore, quo nata est hæresis Montani, & de origine hæresium Valentini, Cerdonis atque Marcionis, quibus adjecta sunt Commercium Litter: Lud. Piquesii, Th. Eduardi, & A. Acoluthi, nec non relatio hist. de Choadja Morado, Regis Aethiopiæ ad Batavos quondam legato: ex MS. eruit, præmissoque de singulis Auctoribus anteloquio, luci publ. exposuit.* JOH. DIET. WINCKLERVS S. Th. D. & tum temporis *Eccles.* HILDESIENSIVM SVPERINTENDENS. *Lipsiæ 1751. 4.*

CONSTANTINI PORPHYROGENETI Imp. Constantinop. *libri duo de Ceremoniis aulæ Byzantinæ, prodeunt nunc primum græce cum Latina interpret. & Commentariis, cura* JOH. HENR. LEICHII & JOH. JAC. REISKII *1751. Vol. II. fol.*

SCIPIONIS AQVILIANI, Pisani, Equitis D. Ste-

Stephani, *de placitis Philoſoph. qui ante Ariſtotelis tempora floruerunt ad principia rerum naturalium & cauſas motuum aſſignandas pertinentibus, ſtudio & opera Georgii Moralis, Medici ac Philoſ., ob ſingularem raritatem & uſum ex ſcriniis paternis comment. & illuſtrationes adjecit. Phil. Jac. Crophii de Gymnaſiis Litterar. Athenienſium annotationibus emendata auxit* CAR. FRID. BRVCKERVS, *Jacobi Fil. Lipſ. 1756. 4.*

B. BRISSONIVS, de *formulis & ſolemnibus populi Rom. Verbis, ex recenſione Franc. Car. Conradi cum curis novis & animadverſionibus* V. C. JOH. AVG. BACHII *Lipſ. 1755.*

MOERIDIS ATTICISTÆ λεξεις Αττικων και Ελληνων *ex verſione & cum notis Joh. Hudſoni; accedit Timæi Sophiſtæ* λεξικον περι των παρα Πλατωνι λεξεων, *è recenſione Dav. Rhunkenii curavit & præfatus eſt. V. C.* JOH. FRID. FISCHERVS *Lipſ. 1756. 8.*

Idem Doctiſſimus FISCHERVS *Clavis reliquiarum verſionum Græcarum v. T., Aquilæ, Symmachi, Theodotionis, quintæ, ſextæ & ſeptimæ ſpecimen dedit Lipſ. 1758.*

Et C. NEPOTIS *vitas Excell. Impp. è recenſione atque cum animadverſ. J. A. Boſii, libellumque Variarum Lect. & præfat. addidit Lipſ. 1759. 8.*

Et PLATONIS *Dialogos quatuor, Eutyphronem, Apologiam Socratis, Critonem & Phædonem, Græce è recenſione H. Stephani, eosque varietate lectionis & Animadverſ. Criticis illuſtravit Lipſ. 1759. 8.*

Et L. A. FLORI *Epitomen rerum Rom. ex recenſione J. G. Grævii 1760. 8.*

MINVCII autem FELICIS OCTAVIVM & CAECILII CYPRIANI *de Vanitate idolorum, recenſitos utrosque c. n. variorum & ſuis edidit* JOH. GOTL. LINDNERVS, *Conrector Scholæ Longoſaliſſanæ. Præfatus eſt Cel.* JOH. AVG. ERNESTI *1760. 8.*

Prodierunt nitidiſſime HOMERI *Opera omnia ex recenſione & c. n. Samuelis Clarkii: acceſſit varietas lectionum MSS. Lipſ. & edit. Veterum cura* Viri Cel. JOH. AVG. ERNESTI, *qui & ſuas notas adſperſit Lipſ. 1759. 8. Vol. III.*

Cl. CLAVDIANI quæ *exſtant, varietate Lectionis & perpetua adnotatione illuſtrata & edita ſunt à Viro Cel.* J. M. GESNERO *Lipſ. 1759. 8.*

V. C. JOH. JAC. REISKE edidit *Animadverſionum ad Græcos auctores Volumen* Primum, *quo Diodorus Siculus & ambo Diones, Chryſoſtomus & Caſſius 1757. & Secundum, quo Lyſias & Plutarchi Opuſcula Miſcell. pertractantur 1759. 8.*

VITAE PATRIARCHARVM ALEXANDRINORVM *quinque, ſpecimen primum & ſecundum Arabice edidit, latine vertit, notasque adjecit* J. FR. REHKOPF *A. M. & ad D. Pauli Concionator Lipſ. 1757. 4.*

Cl. JOH. RVD. KIESLINGIVS edidit *de diſciplina Clericorum librum ſingularem, in duas partes diviſum, quarum prior antiquioris circa Clericos diſciplinæ, poſterior recentioris Eccleſiæ inſtitutis juxta Jus Proteſtantium Eccleſ. inſervit Lipſ. 1760. 8.*

Legi

Legi omnino meretur ad excitandum virtutis & Litterarum genuinum ſtudium, quam ſcripſit Celeb. FRIDERICVS PLATNERVS, ICTus Lipſienſis, *Lanx Satura*, acuto ſale ſcripta Altenburgi 1758. 8.

LUBECÆ.

Lucem adſpexit *Miſcellaneorum Lubecenſium Volumen III.* a. 1760. Continentur h. vol.

1 W. C. J. CHRYSANDRI *Judicium de mutilatione Orat. Domin. in uſu S. Cœnæ, eccleſiæ Lutheranæ exprobrata.*

2 J. C. H. DREYERI *Continuatio Bullarii Lubecenſis.*

3 J. C. HARENBERGII *diſſ. de tonſura Pauli Apoſt. votiva ad Act. XVIII. 18. Sect. I.*

4 J. H. OSTERMEIERI *pars prima Stromatum Theolog. Select. ex libris Theophili Antiocheni ad Autolycum illuſtratorum & partim examinatorum.*

5 *Nova Litteraria Lubecenſia.*

LUGDUNI BATAVORUM.

Ad Theologicam Profeſſionem, quam Vir Celebratiſſimus JOHANNES VAN DEN HONERT, *T. H. fil.* vacuam reliquerat, promotus eſt Eccleſiaſtes tum Amſtelodamenſis facundiſſimus Cl. JOHANNES VAN SCHELLE, S. Th. D. qui a. 1758. d. 17. Oct. munus ſuum rite capeſſivit Oratione Inaugur. *de feliciori, extremis Evangelii temporibus reſervato, Eccleſiæ Chriſtianæ ſtatu*, quæ eo ipſo anno typis expreſſa prodiit.

Obiit hic a. 1760. d. 11. Nov. *V. C. & Experientiſſimus* FRID. WINTER, *Med. D. & Prof. Archiater Sereniſſ. Principis Araufiaci.*

Prelum reliquerunt Θωμα τȣ Μαγιϛρȣ κατ Αλφαβητον ονοματων Αττικων εκλογαι *ex diſpoſitione Nic. Blancardi cum vetuſtis L. Bos & novis Heinſii, Junii, Hormanni, Benzelii, Wolfii, Drakenburgii, Torrentii, & cum maxime vivorum Saslierii, Witteri, Trilleri, Stœberi, Hemſterhuſii, Oudendorpii & Abreſchii animadverſionibus, collegit, digeſſitque* JOH. STEPH. BERNARD, *M. D. qui & ſuas notas adjecit L. B. 1757. 8.*

Vir celeberrimus ABRAHAMVS GRONOVIVS curavit editionem JVSTINI HIST. *Philipp. cum integris Comment. J. Bongarſii, Modii, Bernecceri, Boxhornii, Voſſii, J. Fr. Gronovii, Grævii, Fabri, Vorſtii, Schefferi & excerptis H., Loriti Glareani atque editoris Oxonienſis L. B. 1760. 8.*

Prodierunt quoque REIZEN *door een gedeelte van Europa, klein Aſien, verſcheide Eilanden van de Archipel, Syrien, Palæſtina, Egypten, den berg Sinai enz. gedaen door de Heeren* JOH. AEG. *van* EGMOND *van der* NYENBVRG, *Vroedſchap en Schepen, en* JOH. HEYMAN, *Hoog Leeraar der Ooſterſche Talen te Leiden, uitgegeven door* JOH. WILH. HEYMAN, *M. D. 1759. Vol. II. 4.*

V. C. DAVID RHVNKENIVS, *Gr. L. Prælector* edidit & animadverſ. illuſtravit Τιμαιȣ Σοφιϛȣ λεξικον περι των παρα Πλατωνι λεξεων *ex codice MS. Sangermanenſi L. B. 1754. 8.*

S. Rev.

S. *Rev. & Doctissimus* JOHANNES KLENCKE, V. D. M. *Lehensis in ducatu Bremensi* a. 1756. hic lauream Doctoralem adeptus fuit, conscripta Diss. Theol. Typica Inaug. *de mysterio thuris, fertis jungi soliti*, ad continuationem dissertationis Philol. Antiq. ante tredecim annos sub præsidio *Cel. Ikenii* Bremæ *de Oblatione Thuris fertis jungi solita*, habitæ.

A. 1758. eadem Laurea Doctorali ornavit Alma Lugdunensis in Batavis Acad. CONR. HENR. RVNGE. *V. D. M. jam Cellensem*, conscripta ab eo Dissert. *Exeg. Theol. Inaug. sistente Vindicias Apostolorum à suspicione erroris, universale judicium diemque mundo fatalem, ipsorum jam tempore instare*, cujus partem priorem a. 1757. jam *Göttingæ* ediderat & defenderat.

Prodiit quoque hic erudita Dissertatio sub præsidio *Cel.* J. J. SCHVLTENSII sub titulo *Speciminis Philologici de Linguæ Hebrææ pomœriis ampliandis*, Auctore CORNELIO VAN WAENEN *L. B. 1759.*

MARPURGI.

Vir *Cel.* D. WYTTENBACH publicavit *Theologiæ Elenchticæ initia, in usum prælectionum publicarum Francof. 1759. 8.*

MEDIOBURGI.

Venerabilis Senex JOHANNES PLEVIER V. D. M. rude ab aliquo tempore donatus, Collega olim Amantissimus, Eccleſiam

Belgicam ædificare perrexit editis his libris.

Azafs Twaalf Pſalmen, ontleedt, verklaardt en tot gebruik gebragt naar tyds gelegenheid Middelb. 1754. Vol. II. 4.

De Veertien eerſte Pſalmen uit het boek der Pſalmen verklaardt, en naar tyds gelegenheid tot gebruik gebragt. Middelb. 1757. 4.

De Vyftiende en Negen volgende Pſalmen uit het boek der Pſalmen verklaardt enz. Middelb. 1760. 4.

Prodierunt quoque Medioburgi a. 1761. *Nagelatene Mengeldichten en Levensbeſchryving van wylen den Heere Mr.* PIETER BODDAERT, *Secretaris van het Ed. Mog. Collegie ter Admiraliteit in Zeeland, Griffier van den Ed. Leenhove van Vlaanderen enz. enz. door zyn Ed: zelve ter eigene herdenkinge en gebruike zyner kinderen opgeſteld.* Biographia hæc lectu digniſſima eſt, & veram ubique ſpirat pietatem. Præmiſſa eſt ab ejus editore, Nobiliſſimo CORNELIO V. D. HELM BODDAERT, *Senatore & Scabino Medioburgenſi* Apologia pro pie defuncto ſuo Parente. 4.

Et *Verklaring van zommige hoofdſtukken der H. Schriftuure, eerſte Deel, over eenige Hoofdſtukken uit de Vyf boeken van Mozes* door den Heere KORNELIS BOOTT, *in zyn leven Pred. te Middelburg, met een Voorrede ter aanpryzinge van het onderzoek van Gods woord door N. Barkey, Doctor en Prof. en Pred. te Bremen, nevens eene Beſchryving van het leven van den Heere*

Heere Boott door den Heere P. VERSLVYS *Pred. te Steenbergen Middelb. 1760. 4.*

NORIBERGÆ.

Lucem vidit *Sylloge Nova epistolarum varii argumenti*, in qua sunt *Epistolæ Cuperi, Leibnitii, J. A. Fabricii, Gesneri, Barbeyracii, Gronovii, Heinsii, Huetii &c. 1760. 8.*

OXONII.

Prodierunt BIONIS *Smyrnæi &* MOSCHI *Syracusani, quæ supersunt, cum notis* JOH. HESCHINI, *ex ædeChristi é TheatroClarendon. 1754.*

LUTETIÆ. PARISIORUM.

Prelum reliquerunt.

Histoire des Rois de Thrace & de ceux du Bosphore Cimmerien, eclairci par les medailles, par M. CARY, *de l'Academie* de Marseille & de celle de Cortone 1752. 4.

BIBLIA HEBRAICA *cum notis Criticis & versione Latina ad notas Criticas facta, quibus accedunt libri græci, qui Deutero-Canonici vocantur, Auctore* CAR. FRANC. HOUBIGANT, *Oratorii Jesu Sacerdote. 1753. Vol. IV. fol.*

l' Eloquence du corps dans le Ministre de la Chaire, ou l' Action du Predicateur par M. l' Abbe Dinouart 1754. 12.

Reflexions sur l' Alphabet & sur la langue, dont on se servoit autrefois à Palmyre, par M. l' Abbé BARTHELEMY, *1754. 4.*

R. WALLAGE *Essai sur la difference du nombre des hommes dans les temps anciens & modernes, traduit de l' Anglois par M. de Joncourt. 1754. 12.*

Description historique & Geographique des Plaines d' Heliopolis & de Memphis, par M. FOVRMONT, *1755. 12.*

Essai sur l' heure des Marées dans la Mer rouge, comparée avec l' heure du passage des Hebreux. 1755. 12.

De l' origine des Loix, des Arts, & des Sciences, & de leurs progres chez les anciens peuples, depuis le deluge jusqu' a l' avenement de Cyrus au trone de Perse, cujus Auctor dicitur ANTONIVS YVES GOGVETVS, *Consiliarius quondam Parlamenti Parisini,* Liber varia eruditione refertus 1758. Vol. III. 4.

Dissertation sur le Papyrus, par M. le Comte de CAYLVS 1758.

Memoire dans lequel on prouve, que les Chinois sont une Colonie Egyptienne, avec un precis du Memoire de M. l' Abbé BARTHELEMY *sur les lettres Pheniciennes, par M.* GVIGNES, *Professeur. 1759.*

Doutes sur la Dissert. de M. de Guignes, qui a pour titre, Memoire, dans lequel on prouve, que les Chinois &c. par M. LEROVX DESHAVTERAYES, *Professeur Royal en langue Arabe 1759.*

Reponse de M. DE GVIGNES *aux doutes proposés par M. Deshautesrayes sur la Dissertation, qui a pour titre, Memoire dans lequel on prouve, que les Chinois sont &c. 1759.* Ob Materiæ affinitatem hic refero.

Disser-

Dissertation sur une Colonie Egyptienne, etablie aux Indes, par M. FRED. SAM. SCHMIDT. Berne 1759.

STADAE.

Reverendissimus Ecclesiarum Bremensis & Verdensis Ducatuum Superintendens, JOHANNES HENRICVS PRATJE, qui editis Bremisch- und Verdische Hebopfer, & post: Bremisch- und Verdische Bibliothek, & Die Herzogthümer Bremen und Verden, oder vermischte Abhandlungen zur Erläuterung der Politischen- Kirchen- Gelehrten- und Naturgeschichte wie auch der Geographie dieser Herzogthümer, rem Litterariam sedulo promovit, denuo sibi remp. Litter. devincire pergit, edito Theologisches Magazin, worin brauchbare Abhandlungen und Anmerkungen zur Aufnahme der theologischen, philologischen u. histor. Wissenschaften gesammlet werden. Gotha, 1761 8. des ersten Bandes erstes und zweites Stück.

TRAJECTI AD RHENVM.

Vocatus hic fuit, & vocationi morem gessit Vir Clar. JOH. GER. CHRIST. RVCKER, *Jure Consultus*, antea *Groninganus*, qui a. 1760 d. 22 Sept. Provinciam sibi demandatam adiit, oratione Inaug. *de Juris Civilis disciplina, morum Magistra*, quæ typis excusa est.

Et in locum Viri S. *Rev.* & *Cl.* WILHELMI IRHOFII *S. Th. D.* & *Prof.*, qui diem obiit

biit ſupremum a. 1760. d. 18 Nov., ſuffectus eſt, qui ſub præſidio Cl. WESSELINGII peculiari ſpecimine Hiſtorico *de cauſis ſuperſtitionum inter Chriſtianos* a. 1753 diſſeruerat publice, GISBERTVS BONNET, poſt *V. D. M. Amersfortenſis*, *Roterodamenſis* & tandem *Hagienſis*. *Cel. Weſſelingii gener.*

Vir celeberrimus P. WESSELINGIVS elegantem editionis Herodoti, quam molitur, dedit promulſidem *Diſſertatione* ſua *Herodotea ad V. C. Tiberium Hemſterhuſium 1758. 8.*

Promovit rem Litterariam variis doctiſſimis ſcriptis Vir Celeb. SEBALDVS RAVIVS *Joh. Eberh. fil. LL. OO. & Antiq. S. Prof. O.* quorum en Syllabum ſequentem!

Diſſertatio de cultu rationali ſub Vet. T. Oeconomia Herborn. 1744.

Diatribe *de Epulo funebri gentibus dando ad Jeſ. XXV. 6-8. Traj. 1747. 8.*

Oratio *de Monumentis Veteris Eccleſiæ orientalis, deque uſu, quem afferunt Theologo linguarum perito*, cum Profeſſionem Extraordin. auſpicaretur *Traj. 1750.*

Diſſert. Phil. Theol. *de eo, quod fidei merentur Judæorum monumenta ſacris in Antiquitatibus & ſenſu earum myſtico. ibid. 1751.*

Exercit. Philol. *de Auctore atque uſu antiquiſſimi in Leviticum Commentarii, Judæis Siphra dicti, deque nomine adyti* רביר *ibid. 1751.*

Oratio

Oratio *de eloquentia & sublimitate dictionis Hebraicæ scriptorum antiqui foederis*, cum Prof. ordinariam susciperet. *ibid. 1752.*

Exercit. Philol. *in Psalmum XLII. 7. 8. ibid. 1753.*

Oratio *de ortu & progressu, deque impedimentis studii Litterarium Orientalium*, cum Rectoratu Academico abiret. *ibid. 1754.*

Dissert. Philol. *de Vindemia & torcularibus Vet. Hebræorum. ibid. 1755.*

Positiones Philol. Controversæ, ordine systematico in fasciculos digestæ. pars prima *1753.*

Positiones Philol. Controv. ex Antiq. Hebr. selectae. pars Secunda. *1760.*

Cl. CHRIST. SAXIVS, Philologus Trajectinus, edi curavit *Onomasticum Litterarium, sive Nomenclatorem præstantiss. omnis aevi scriptorum, præcipue Græcorum & Latin. verisimilibus, quantum fieri potuit, temporum notis, & scholis domesticis accommodatus Traj. 1759. 8.*

Idiomate Belgico Vir S. Ven. & Clar. FRANC. BVRMANNVS, *Nepos, S. Th. D. & Prof.* telam à Cel. Parente suo FRANC. BVRMANNO, *filio*, inchoatam pertexuit & absolvit hoc titulo, *De Harmonie der Vier H. Evangelisten, waarin volgens de gronden in 't eerste Deel gelegt, de Vier Evangelisten in Orde geschikt zyn enz.* Tweede Deel 1757. 4.

Geographiæ Sacræ lucem adspergit egregiam liber melioris frugis, h. titulo typis excu-

excusus. *Aardrykskundige Beschryving des Joodschen Lands, als mede de andere daerbygelegene landen in de H. S. voorkomende met de nodige Landkaarten,* cujus Auctor est pl. Rev. & doctissimus W. A. BACHIENE *V. D. M. Trajecto-Mosanus* Utrecht 1759. Vol. II. 8.

TVBINGÆ.

Vir. Doct. JACOBVS BAVR, Magister Legens in Stipendio Theol. edidit *Tentamen Exegeseos Novæ Psalmi XVI. per choros alternantis Lugd. B. 1759.*

UPSALIÆ.

Prodierunt in forma Dissertat. Acad.

Strictura Philolog. quibus radices & voces nonnullæ Ebrææ, in Lexicis vulgo desideratæ, restituuntur, Auctore *M.* OLAVO DOMEY 1757.

Dissertatio Gradualis de Poesi Biblica, Auctore M. CAROLO AVRIVILLIO *1758.*

ZIRICZEÆ.

A. 1760 d. 21 Oct. fatalis hora nobis eheu! eripuit Virum pl. Rev. & Doctissimum GER. JOH. LETTE, *V. D. M.*, eundem, qui Fasciculum hujus Bibl. primum exornaverat: Virum longiori vita dignum, & cujus obitu Litteratura Orientis æque ac erudita Pietas magnam jacturam passa fuit. De ejus vita & scriptis forte aliqua in posterum.

ERRATA.

Pag. 2. lin. 29. *lege* oppoſita. p. 12. l. 4. *lege* vigeſimi ſecundi. p. 29. l. 18. *lege* deferendam. p. 31. l. 11. *lege* reſtrictione. p. 34. l. 34. *lege* veriſimile. p. 35. l. 3. *lege* genero. p. 36. l. 8. *lege* quae. p. 38. l. 25. *lege* quem. p. 40. l. 10. *lege* Gazvinius. p. 40. l. 13. *lege* vide. p. 41. l. 7. *transpone voces Arab.* p. 42. l. 18. *lege* דרומם. p. 44. l. 24. *lege* אחר. p. 44. l. 26. *lege* αγνιζομενοι. p. 44. l. 29. *lege* αυτο αναλ. p. 48. l. 27. *lege* אחר. p. 50. l. 20. *lege* שהוא הקוף. p. 54. l. 5. *lege* nonnullis. p. 57. l. 4. *lege* Viris. p. 59. l. 11. *lege* adaptati. p. 62. l. 10. *lege* credam. p. 63. l. 13. *lege* בא ארנו. p. 64. l. 16. *lege* ארונו. p. 65. l. 25. *lege* filum. p. 67. l. 4. *lege* ἱνωθι. p. 68. l. 2. *lege* הגה. p. 70. l. 18. *lege* καταφυγειν. p. 70. l. 24. *lege* σωθησομαι. p. 72. l. 7. *lege* והוא. p. 72. l. 14. *lege* הוא. p. 81. l. 25. *lege* probe. p. 89. l. 3. *lege* ſit צוער. p. 89. l. 11. *lege* licet conſervationem. p. 90. l. 23. *lege* quam. p. 92. l. 9. *lege* quibuscum. p. 93. l. 23. *lege* του. p. 97. l. 5. *lege* quod. p. 98. l. 19. *lege* ultimis. p. 100. l. 5. *lege* es, qui alienum. p. 100. l. 24. *lege* omnes. p. 104. l. 31. *lege* πιστεως. p. 105. l. 24. *lege* praedicatum. p. 106. l. 18. *lege* proveniat. p. 108. l. 29. *lege* cf. quos. p. 111. l. 7. *lege* evellendam. p. 111. l. 27. *lege* quae. p. 112. l. 13. *lege* afferre. p. 113. l. 15. *lege* intelligimus ſalvif.

p113.

p. 113. l. 29. *lege* indicari. p. 117. l. 30. *lege* παροδω. p. 118. l. 13. *lege* oportet. p. 119. l. 4. *lege* indicari. p. 125. l. 26. *lege* in. p. 125. l. 30. *lege* Insula. p. 126. l. 26. *lege* G. J. Lettii. p. 136. l. 21. *lege* φορεουσι. p. 137. l. 23. *lege* notas. p. 138. l. 18. *lege* Stephanum. p. 138. l. 20. *lege* τω. p. 140. l. 12. *lege* transmitti pot. p. 140. l. 17. *lege* inferendo, aut dulce canendo, & pacem & concordiam promittendo. p. 140. l. 19. *lege* utroque simul. p. 146. l. 26. *lege* εγχωριων. p. 146. l. 29. *lege* εγχωριους. p. 147. l. 4. *lege* adhuc. p. 150. l. 6. *lege* των. p. 152. l. 7. *lege* Heroidas. p. 152. l. 25. *lege* cognomine. p. 153. l. 9. *lege* tripodem. p. 154. l. 10. *lege* deportato hoc. p. 154. l. 19. *lege* quænam. p. 154. l. 30. *lege* ea, qua ex. p. 156. l. 11. *lege* אשרמן. p. 160. l. 13. *lege* δε ανωτερω. p. 165. l. 6. *lege* exponendi. p. 167. l. 6. *lege* Callirrhöe. p. 169. l. 18. *lege* meus. p. 172. l. 6. *lege* 1 Chron. p. 175. l. 13. *lege* videatur. p. 175. l. 31. *lege* Canaanitarum. p. 176. l. 7. *lege* §. 10. p. 177. l. 3. *lege* eo. p. 185. l. 26. *lege* eumque. p. 186. l. 10. *lege* erat, sc. p. 186. l. 14. *dele* vellet. p. 196. l. 4. *lege* assignantur abyssis thesauri. p. 205. l. 3. *lege* est, quod David. p. 213. l. 8. *lege* dederunt præstant. p. 220. l. 2. *lege* Israelitarum. p. 223. l. 6. *lege* fluctus compescuit. p. 223. l. 26. *lege* tantam. p. 226. l. 27. 29.

lege

lege גוים. p. 227. l. 7. *lege* electorum. p. 227. l. 22. *lege* גויך. p. 227. l. 25. *lege* גוים. p. 236. l. 21. *lege* Johannem Apoſt. p. 237. l. 16. *lege* Servatoris. p. 240. l. 4. *lege* prætermittere. p. 240. l. 18. *lege* hoc. p. 247. l. 14. *lege* κακότητα. p. 248. l. 4. 5. *lege ubi vero ad ſummum ventum fuerit.* p. 253. l. 22. *lege* adpinxeram. p. 254. l. 17. *lege* plene. p. 256. l. 6. *lege* ἐθίεις. p. 258. l. 28. *lege* δεικνυειν. p. 259. l. 3. *lege* ΦΡΑΖΟΥΣΙ. p. 263. l. 21. *lege* διατῶζει. p. 269. l. 26. *lege* θυσιαςήριον. p. 269. l. 27. *lege* exſtructione. p. 273. l. 13. *lege* ὀξύθυμον. p. 278. l. 6. *lege* κακὸν ἐποίησε. p. 278. l. 22. *lege* Η'γεῖθέ. p. 281. l. 23. *lege* ad v. 21. p. 282. l. 6. *lege* eam. p. 282. l. 28. *lege* aliorum, non mea. p. 283. l. 23. *lege* fulcro. p. 285. l. 2. *lege* injuſtis. p. 287. l. 4. *lege* glorioſiſſimam. p. 289. l. 22. *lege* denotare. p. 294. l. 20. *lege* innuere. p. 295. l. 11. *lege* fuerunt. p. 295. l. 7. *lege* πορευθεις. p. 295. l. 27. *lege* cramben. p. 299. l. 21. *lege* afferre. p. 306. l. 2. *lege* adhortationes. p. 307. l. 23. *lege* παλιγγενεσιας. p. 308. l. 28. *lege* oppoſitum. p. 318. l. 28. *lege* oder der. p. 327. l. 31. *lege* qua. p. 340. l. 18. *lege* aliquid. p. 343. l. 28. *lege* eum. p. 348. l. 11. *lege* ſunt. p. 355. l. 6. *lege* tanta. p. 355. l. 23. *lege* denique. p. 356. l. 7. *lege* cum Deo. p. 356. l. 9. *lege* eſt earum. p. 357. l. 15. *lege* vivis. p. 362. l. 25. lege conjugi. p. 363.

363. l. 27. *lege* reo. p. 370. l. 13. *lege* profecto. p. 376. l. 15. *lege* Hedericum. p. 384. l. 4. *lege* Suida. p. 389. l. 12. *lege* mutila. p. 389. l. 26. *lege* undæ. p. 418. l. 20. *lege* denuo complevit. p. 429. l. 28. *lege* præeminentia. p. 437. l. 27. *lege* accersunt. p. 438. l. 24. *lege* Hymenæum. p. 445. l. 21. *lege* μη αὐξη. p. 447. l. 22. *lege* propterea. p. 449. l. 14. *lege* Sabbathorum Jud. p. 451. l. 3. *lege* 2). p. 466. l. 18. *lege* videntur. p. 469. l. 19. *lege* illuc. p. 486. l. 18. *lege* confunderent. p. 490. l. 9, 11. *junge voces Syr.* p. 490. l. 11. *lege* כבוא. p. 492. l. 6. *lege* morumque. p. 492. l. 21. *lege* ταραχθητε. p. 494. l. 18. *lege* τον Ιησουν. p. 507. l. 4. *lege* dicit. p. 512. l. 34. *lege* visu. p. 519. l. 8. *lege* רנוח. p. 519. l. 10. *lege* ותמנא נבשן. p. 519. l. 14. *lege* אנתן. p. 525. l. 21. *lege* Ferâti. p. 529. l. 8. *lege* Haunoldianas. p. 533. l. 19. *lege* progenita. p. 542. l. 25. *lege* Goddelyk. p. 544. l. 14. *lege* cura. p. 545. l. 4. *lege* versionem. p. 550. l. 5. *lege* contuliſſet. p. 551. l. 25. *lege* rerum. p. 552. l. 14. *lege* Idioma.


Inches
1 2 3 4 5 6 7 8
1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19
Centimetres
KODAK Color Control Patches
©Eastman Kodak Company, 1997
Kodak
Blue
Cyan
Green
Yellow
Red
Magenta
White
3/Color
Black
© The Tiffen Company, 2000
KODAK Gray Scale
C
Y
M
Kodak
LICENSED PRODUCT
A 1 2 3 4 5 6 M 8 9 10 11 12 13 14 15 B 17 18 19